17 / 82

17 E

Ex legato R. Equitis Antonii
Francisci de Marmis

HISTORIA BIBLIOTHECÆ FABRICIANAE

QVA

SINGVLI EIVS LIBRI EORVMQVE CONTENTA ET SI QVAE DANTVR VARIAE EDITIONES AVGMENTA EPITOMAE VERSIONES SCRIPTA ADVERSA ET HISCE OPPOSITAE APOLOGIAE SIVE DEFENSIONES AVCTORVM ERRORES ET VITAE

DOCTORVMQVE VIRORVM DE AVCTOR. ILLIS EORVMQVE LIBRIS IVDICIA ET ALIA AD REM LIBRARIAM FACIENTIA RECENSENTVR SCRIPTORESQVE ANONYMI ET PSEVDONYMI NEC NON SCRIPTA SPVRIA INDICANTVR

AVCTORE

IOANNE FABRICIO.

WOLFFENBVTTELII,
SUMTIBUS GODOFREDI FREYTAGII BIBLIOPOLÆ.
ANNO MDCCXVII.

HELMSTADII LITTERIS SCHNORRIANIS.

Digitized by Google

SERENISSIMO PRINCIPI AC DOMINO

DOMINO
AVGVSTO WILHELMO

DVCI BRVNSVICENSI ET LVNEBVRGENSI

PRINCIPI

PIO FELICI AVGVSTO

VITAM

AC

PROSPERITATEM

a 2 SERE-

Digitized by Google

SERENISSIME DVX DOMINE CLEMENTISSIME

PRima hæc *Hiſtoriæ bibliothecariæ* Pars ſine temeritatis nota, graviſſimisque de cauſis, Serenitatis tuæ genibus advoluitur, eiusque celſiſſimo Nomini debita cum ſubmiſſione ſeſe dicat dedicatque: non enim tu ex eorum es Principum genere, qui litteras ac litteratos averſantur, proque inutilibus terræ ponderibus habent, ſed illas magnum Dei beneficium eſſe, ſine quo nullum imperium, nullum regimen conſiſtere, feliciterque geri queat, ſapienter & cordate iudicas; atque hos pro eorum meritis non tantum æſtimas, iisque faves, verum etiam ipſe nobiliſſima eorum es portio, utpote ea eruditione, quæ Principi viro neceſſaria & congrua eſt, ſatis atque egregie imbutus: & quamvis ad exemplum beatis adſcriptorum Avi & Paren-

Digitized by Google

rentis, AVGVSTI & ANTONII VLRICI, quorum memoria eſt eritque ſemper in benedictione, libris ſcribendis, quod nec tui eſt officii, non des operam, rem tamen litterariam in conſervandis & locupletandis Scholis, Bibliotheca Auguſta, & Academia Iulia inſigniter promoves, eoque, præter alia præclariſſima laudandaque opera, famam tibi comparas immortalem. Neque hoc ſcriptorum genus, quod ſubiectiſſime offero, a faſtigio principali, in quo ſupremus rerum Arbiter Serenitatem tuam collocavit, alienum, aut indignum eſt, quod coram eo compareat: nam res bibliothecaria & per ſe ſacroſancta eſt, & olim Bibliothecæ ſacris in ædibus aſſervatæ, iisve adiunctæ fuerunt, atque hæc Pars ſanctisſimos libros, quibus verbum Dei continetur, eorumque inſigniores omnium temporum interpretationes, adeoque theſaurum exhibet omnibus mundi regnis longe maiorem; ſicut & pietas tua, ſcio,

agnoſcit, cumque inclyto Iſraëlitarum Rege, qui librum Pſalmorum reliquit, ultro confitebitur. Præterea illud in Academia illuſtris Senatus Noribergenſis altorfina cœptum quidem, at in alma tua Iulia, cuius poſſidendæ gubernandæque æquo & pari iure, cum potentiſſimo Magnæ Britanniæ, Franciæ & Hiberniæ Rege, eodemque S. R. I. Architheſaurario & Electore, ac Duce Brunsvic. & Luneb. quem Deus præteritis temporibus ſervavit, ſervetque in poſterum, gaudes ac frueris, continuatum, auctum, recognitum, emendatum, atque eo uſque perductum eſt, ut, ſi Deus velit, una iam pars poſt alteram in lucem emitti, cumque eruditionis ſtudioſis, ſi non cum eruditis, communicari poſſit. Et habet ſane Prima hæc Pars, de quo ſibi gratuletur, dum Superi voluere, ut hoc prodiret anno, quo Serenitas tua magnificentiſſimi Academiæ ſuæ *Rectoris* munus ac nomen glorioſe gerit, quo-

 que

que, quaſi altero iobelæo, reformationis a *Luthero* factæ, cuius illo in tempore neceſſitatem ne ipſi quidem adverſæ partis Proceres ſcriptoresque, prudentia, iudicio & candore valentes, diffiteri poſſunt, memoria rite atque ſolemniter recolitur. Sed & otii mei, Domine, tibi reddenda erat ratio. Cognoſces autem ex hoc ipſo ſcripto, me in tam grandibus operibus pervolutandis ac legendis, tamque multis variisque rebus colligendis, diſcernendis, ponderandis, collocandis, atque in litteras redigendis, minime otioſum fuiſſe, ſed multum curæ, laboris, ſtudii, induſtriæ & vigiliarum impendere debuiſſe. Huc accedit, quod a ſereniſſima Domo Brunsvic. & Luneburg. atque in primis tua, multis magnisque beneficiis affectus & ornatus ſim: quorum memoriam ſicut nulla in me dies, nulla temporis iniuria aut iniquitas delere unquam valebit, ita præſens liber in publici eorum ac ſempiterni

terni teſtimonii locum ſubire geſtit, laudesque virtutum tuarum, dum hinc & illinc eas recenſet, quæ optimorum ſunt Principum, præclariſſime celebraſſe ſibi videtur. Denique cum omnium tibi parentium votis, inter eos, ſi fidem, cultum, atque obedientiam ſpectes, non ultimus, coniungo meum, Deumque precor optimum, maximum, ut ſoſpitem & florentem te nobis ſervet, Dux ſereniſſime, eamque tibi felicitatem largiatur, quæ piis deſideriis tuis reſpondeat, & ſalutem gloriamque cumulet atque adaugeat cum temporalem, tum æternam. Scriptum Helmſtadii, in celebri Academia Iulia, V. Non. Auguſti, die AVGVSTO ſacra, anno a nativitate Chriſti MDCCXVII.

SERENITATI TVAE

Subiectiſſimus
IOANNES FABRICIVS.

PRAEFATIO.

ACcipis hic, benevole LECTOR, *Primam Partem Hiſtoriæ* librorum in folio qualis *meæ* cunque *bibliothecæ*, habiturus brevi alteram, in qua ſcripta dogmatica, polemica, moralia, homiletica, philoſophica, hiſtorica, philologica, lexicorum volumina, ſynodica, juridica, & alia recenſentur. Atque alteram iſtam, ſi Deus velit, opusque non diſplicuerit tibi, ſequentur cum tempore ceteræ etiam Partes, eæque prioribus conciſiores ac breviores; nam in grandibus iſtis voluminibus, quæ primus librorum ordo exhibet, quæque tam multa in ſe comprehendunt, verboſiores nos eſſe oportuit; ſequentes autem paucioribus abſolvi poterunt. Ita tamen in illis quoque verſabor, ut inſtituti memor non præteriturus ſim quidquam eorum, quæ mihi commemoranda ſunt, atque ad modum priorum in medium producenda. Edo autem præſens hoc opuſculum, ceteraque editurus ſum, non tam in gratiam excellenter eruditorum, nobiliorumque bibliothecarum poſſeſſorum, quam eruditionis alumnorum, ſeu ſtudioſorum, eorumque virorum, quibus non datum eſt multos & ſelectiores ſibi comparare libros, & tamen aliquam eorum ſitiunt cognitionem, eamque nec vulgarem,

Digitized by Google

nec vanam atque inutilem. Nam pro ſtudioſis, atque in meum pariter uſum, cœptum a me fuit hoc opus in alma Noribergenſium Academia altorfina. Vbi cum aliquando reſpirarem a diurnis laboribus, & crepuſculi tempore in muſeo meo, libris undique cincto, deambularem, illos circumſpiciens cogitare cœpi: *Bone Deus, tuum hoc eſt munus, tuumque beneficium, quod bonis me libris, partim a maioribus & parente ad me translatis, partim ære meo, immo tuo comparatis, inſtruxeris; tibi pro theſauro iſto gratias ago habeoque immortales. Sed utinam exactius conſtaret mihi, quid in ſingulis contineatur ac proponatur.* Mox incidit hæc cogitatio: *Voti tui facile damnari poteris, ſi prælectiones inſtituas bibliothecarias, & libris omnibus probe inſpectis & excuſſis, eorum contenta & auctorum vitas, variaque de illis doctorum iudicia, & ſi quæ ſunt alia huc facientia, colligas, collectorumque copiam facias auditoribus ſtudioſis.* Nec mora. Cogitationis enim huius, tanquam fidi & ſinceri amici conſilium ſecutus, horas ſubſecivas operæ huic impendi, & parata in materiam lectionum ſupellectile aliqua, bono cum Deo adplaudentibusque ſtudioſis, ſcholam aperui bibliothecariam, eamque aliquot vicibus, ſi qui deſiderarent, non ſolum Altorfii, ſed etiam hic loci, fideliter continuavi, donec præſens exinde, ſummo Numine favente, prodiret commentarius, tanquam arrha & ſponſor ſubſequentium. Quodſi vero Superis viſum fuerit, prius me e vita

evocare, quam opus ſit abſolutum; fieri tamen poteſt, ut alii meo excitentur exemplo, qui eiusmodi in ſe operam ſuſcipiant, eaque & melius & elegantius fungantur: meam enim exiguam eſſe fateor, errorumque ac defectuum, qui a congerie tam variarum rerum non abeſſe ſolent, veniam & ſtudioſe peto, & ab humanitate tua, LECTOR optime, mihi plane polliceor. Patere etiam, quæſo, ut adhuc unum atque alterum tibi ſignificem. Frequenter excito G. M. *Königium*, Tob. *Magirum*, *Blountium*, Guil. *Caveum*, & Io. Gottfr. *Olearium*, quoniam eorum libri ſunt parabiliores, iidemque alios indicant ſcriptores, qui & ipſi, ſi lubet, evolvi atque inſpici queant. Et quod ad errorum indicia attinet, (adfero autem non vivorum, ſed defunctorum errores) illos omnes ego nolim præſtare, aut tanquam certos approbare; ſed fides eorum ſit penes auctores, quos allego: qui ſi cui iniuriam faciunt, in culpæ conſortium memet non poſſunt attrahere, qui narratorem & hiſtoricum ago, non vero accuſatorem & adverſarium. Pari modo ſi quæ ſunt alia, quæ offendere quem poſſunt, aut a veritate recedunt, eorum, tantum abeſt, ut prudens ac ſciens me reddam participem, ut potius omne illud indictum velim, ſive a me dictum ſit, ſive ab alio. Scopus meus eſt, ſincera & fideli

recenſione prodeſſe diſcentibus & librorum amatoribus, iisque Bibliothecæ meæ, non quidem magnæ atque eximiæ, nec tamen etiam plane contemnendæ, uſum concedere. Abundent alii pluribus ac maioris pretii libris; ego me beatum reputo, quod mihi conceſſum fuerit, meos propius atque intimius inſpicere, eorumque viſcera, artus, temperamentum, affectiones, habitum, ornamenta, itemque nævos, vitia & defectus accuratius perſcrutari, & quidquid in illis boni & notabilis, quidquid etiam malæ notæ, ac proinde fugiendum, ad meum & aliorum uſum transferre, adeo, ut Dei beneficio (huic enim, huic ſoli omne bonum adſcribendum eſt) dicere liceat cum poëta:

Exiguus nobis, ſed bene cultus ager.

Vale.

BIBLIA

Digitized by Google

I.

BIBLIA SACRA HEBRAICA & CHALDAICA, cum Maſora, ac ſelectiſſimis hebræorum interpretum Commentariis, R. *Salomonis Iarchi*, R. *Abrahami Aben Eſra*, R. *Davidis Kimchi*, R. *Levi ben Gerſon*, R. *Saadia Gaon*, R. *Ieſchaia*, & Notis ex auctore, quem *Baal Turim* vocant, collectis, ſtudio & labore *Io. BVXTORFII*, Baſileæ, 1620. Cum ejusdem Tiberiade, ſeu Commentario maſoretico triplici. 2. volum. Ex Bibliotheca Mart. *Beerii*, Prodiit hoc opus ſic correctius poſt quatuor, ut titulus habet, editiones venetas, quæ adornatæ fuerunt a Dan. *Bombergo* antverpienſi, qui a Felice Pratenſi linguam didicit hebræam, & Venetiis typographia hebraica maximis ſumtibus erecta & curata (vide *Magiri* Eponymol. crit. p. 143.) æternum ſibi nomen comparavit. Prima editio fuit anni 1517. ſecunda anni 1525. tertia anni 1548, quarta anni 1568, ceu refert *auctor* in Præfatione. Quatuor autem ſunt, quæ hoc opus præcipue continet, nempe textum hebræum, textum chaldæum, Maſoram, & commentaria Hebræorum. *Idem* ibidem. Henricus Iac. *von Basbuyſen*, Hanoviæ profeſſor theologiæ, linguarum oriental. & hiſtor. eccleſiaſticæ, meditatur editionem Bibliorum rabbin. gloſſat. in qua gloſſas Rabbinorum contracturus eſt in compendium, ceu memorant *Relationes innocuæ* de anno 1709. p. 60. Ceterum de variis editionibus Bibliorum hebræorum videantur *Buxtorf.* in Biblioth. rabbin. p. 297. Pet. *Terpagrius* in Prodromo Bibliothecæ ſanctæ, Rich.

Digitized by Google

Simon in Hiſt. crit. V. T. Append. libri III. p. 511. & Iac. *Le Long* Biblioth. S. quam CL. *Boernerus* cum Additionibus edidit Lipſiæ, part. I. 96. ac ſpeciatim de præſente p. 112. Et *Simonius* quidem in Hiſt. crit. V. T. p. 513. refert, iudæos parvi æſtimare hanc Buxtorfii editionem propter errata, quæ in ea occurrant, præcipue in Commentariis Rabbinorum, ubi reliquerit mendas amanuenſium, quæ in præcedentibus erant editionibus. Certe non aſſurgit ad perfectionem Bibliorum *Bombergi* in fol. cum paraphraſibus chaldaicis, & commentariis plurium rabbinorum, nec non Maſora magna & parva, ac præfatione R. *Iacob Haiim* A. 1525. editorum. R. *Simon* l. c. p. 512. qui & de aliis ebraici codicis editionibus ibid. & in ſeqq. verba facit. *Boernerus* autem in Additam. ad Biblioth. Le Longi dubitari ait, an recte fecerit Buxtorfius, cum ad librorum Esdræ & Danielis analogiam punctationem paraphraſium chaldaicarum revocavit. P. I. 113. Interim *Kortholtus* huic editioni laudem tribuit, in tract. de Var. ſcripturæ verſionibus p. 387. De Commentatoribus Bibliorum ebraicis, & inprimis de illis, quorum mentio fit in titulo præſentis operis, conſulendi ſunt *Buxtorfius* in Biblioth. rabbin. p. 293. *Leusd.* in Iona illuſtrato p. 22. 28. Rich. *Simon* Hiſt. crit. V. T. l. 3. c. 5. & in Catal. auctor. hebr. p. 535. *König* Bibl. vet. & nova, & I. C. *Wolf.* Biblioth. hebr.

R. *Salomon*, Iſaaci filius, contracte רשי unde nonnulli fecere *Rabbi Salomonem Iarchi* (nam *Iarchi* nomen i. e. Lunatici, aiunt aſſumſiſſe ab urbe Luner provinciæ Aquitaniæ, ubi aliquandiu vixit, ירח enim ſignificat Lunam) Auguſtobonæ ſeu Trecis, quæ nunc Troyes, in Galliæ Campania natus, Rabbenu Gerſchom diſcipulus, Iudæis κατ' ἐξοχὴν פרשנדתא *Parſchandata* i. e. Legis interpres, *Buxtorfio* in Biblioth. rabbinica p. 393. 234. commentatorum princeps dictus, ac ſtilo ſtrictiori & ſubobſcuro uſus, ſcripſit commentarium in tota V. T. Biblia, & claruit ſec. XII. obiitque anno, ut fertur, æt. 75. Vid. G. *Calixt.* Appar. theol. 133. *Cartvvright* præfat. in Annot. in Gen. d. *Cren.* Animadverſ. P. V. 186. Io. Frid. *Breithaupt* in Annot. ad præfat. in commentar. Iarchi in V. libb. Moſis, a. *König.* 423. 717. & *Wolf.* Biblioth. hebr. 1057.

R. *Abraham*, bar R. Meir, *aben Eſra*, i. e. nepos Eſræ, theologus, medicus, philoſophus, aſtronomus, Iudæis dictus *Sapiens*, aut *Doctus*, in pleroſque ſcripturæ libros ſcripſit commentarios literales,

nec

Digitized by Google

nec non multos libros grammaticos, interque mortales eſſe deſiit A. 1165. æt. 75. Stilus eius eſt conciſus, ideoque interdum obſcurus. *König* 2. *Wolf* 71. *Cartvvright* præfat. in Annot. in Gen. d.

R. *Saadias*, cognomine Gaon ſiue Haggaon, i. e. excellens, dictus, ex urbe Ægypti Pithom, (Al Fiumi) princeps academiæ ſoranæ, e ſecta Karæorum, ſcripſit tractatum de Reſurrectione, &, ſi non omnes libros V. T. certe Legem in arabicam linguam tranſtulit, commentarium quoque in Canticum & Danielem, compoſuit, vitaque hac exceſſit A. 942. æt. 50. *König* 71. Rich. *Simon* in Catal. ſcriptor. iudaicor. 544. *Wagenſeil* de LXX. hebdomad. Danielis p. 24. *Le Long* Biblioth. S. part. I. 218. 224. 240. 244. I. C. *Wolf* præf. in Notit. Karæorum & Biblioth. hebr. 932.

Libri *Baal hatturim* (i. e. Domini montium) autor eſt R. *Iacob*, Aſcheris filius, germanus, qui vixit ſec. XIV. & ſcripſit טורים ד ſeu IV. Ordines, quibus inſtituta & leges Iudæorum omnes, quæ vel in Gemara, vel in ſcriptis iuris iudaici peritorum continentur, complexus eſt. Notulæ autem eius in Pentateuchum, בעל הטורים *Baal hatturim* vocatæ, ſunt commentarius allegoricus & cabbaliſticus; ſed, *Simonii* iudicio in Hiſtor. crit. V. T. l. 3. c. 6. ſatius fuiſſet, ut eius loco poſitus hoc in opere bliblico fuiſſet commentarius R. *Aben Melec*, qui pure literalis eſt. *Placcius* de Anon. 686. *Wolf*. 584.

Quod ad Tiberiadem attinet, ſeorſum hæc prodiit A. 1620. & 1665. in 4. Et in primo quidem libro agitur de Maſoræ nomine, definitione, urbe Tiberiade, ſchola & ſapientibus Tiberiadis, quorum princeps erat R. *Iehuda* ſanctus, compilator Miſchnæ A. C. 190. (quibus tamen incrementum potius, quam initium Maſoræ tribuit *L' Empereur* in annotat. ad Kimchii Ὁδοιπορ. 63.) deque translatione ſcholarum ex Iudæa in Babyloniam: nam mortuo R. *Iehuda* ſancto, diſcipuli ejus, *Raf* & *Samuel* in Babyloniam migrarunt, ſecumque illuc traduxerunt doctores & diſcentes. Habuit autem Babylonia celebres academias in urbibus Nahardea, Sora, & Pumbeditha. Præterea agitur in Tiberiade de ultimis Tiberiadis ſapientibus; de tempore ſcriptæ Maſoræ, videlicet, eam ante Talmud eſſe concinnatam; de punctorum vocalium & accentuum inventoribus, eos non fuiſſe Maſoretas; de viris 120. Synagogæ magnæ, hos eſſe primos Maſoræ auctores; de materia Maſoræ, & cenſura cir-

Digitized by Google

ta voces, litteras, & litterarum numerum: & denique de Maſoræ forma, ac fine. In ſecundo autem libro traditur clavis Maſoræ, & in tertio caſtigationes in Maſoram. De Maſora videatur Rich. *Simon.* Hiſt. crit. V. T. l. 1. c. 24. adſerens, Buxtorfium ea, quæ de Maſora adfert, petiviſſe a Iudæis, malæ hominibus fidei, iuxtaque cum illis rem exaggeraſſe. Errat autem, iudicante Barthol. *Mayero* Philol. S. Tom. II. p. 109. Buxtorfius noſter, quando cap. X. p. 26. ſcribit, Esdram *cum duce Zorobabele* Ieroſolymam miſſum fuiſſe. In præfatione Tiberiadis (nullus enim liber ſine lectione præfationis, ſi qua datur, inſpiciendus eſt, quoniam illa lectorem in notitiam libri deducit, & ſæpe præclara continet. *Hottinger* Biblioth. quadrip. 120.) commemorat auctor 1. fidelitatem ac ſtudium ſuum, 2. brevem hiſtoriam de Maſora & Maſoretis, 3. occaſionem & cauſam ſuæ ſcriptionis.

Ioannes *Buxtorfius*, weſtphalus, *Piſcatoris*, *Grynæi*, *Hoſpiniani*, *Bullingeri* & *Bezæ* diſcipulus, profeſſor hebrææ linguæ in academia baſileenſi per annos 38. linguarum orientalium peritiſſimus, & *Rabbinorum Magiſter* dictus, ideoque & apud Iudæos in diverſis Europæ partibus magnæ celebritatis, atque ab ipſis, immo & ab integris Synagogis, creberrimis literis ſalutatus dicam? an fatigatus, vir pietate in Deum, humilitate & candore præſtans, & in quo ne hoſtes quidem quidquam, niſi præconceptam rabbinicarum opinionum exiſtimationem, taxare ſciunt, hue peſtifera pluribus magnis laboribus ereptus fuit A. 1629. æt. fere 65. Plura de eius vita, & elogiis dabunt *Witte* in Memor. Philoſoph. 306. *Blount* in Cenſura ſcript. celebr. 910. *Magirus* 157. *Paſor* in præfat. Manual. in N. Teſtamentum, & L' *Empereur* in Annot. ad Kimchii *Οδοιπορ.* 64.

II.

BIBLIA HEBRAICA cum latina interpretatione Xantis PAGNINI & Benedicti ARIÆ Montani hiſpalenſis. Acceſſerunt libri apocryphi græce ſcripti. Cum N. T. græco, eiusque vulgata interpretatione a Benedicto *Aria* Montano correcta, ita ut, quæ minus recte a vulgato ſunt reddita, in marginem tranſlata ſint. Aureliæ Allobrogum 1609. Sæpius editum eſt hoc opus, videlicet Antverpiæ A. 1584. (quam editionem, ut optimam, ſequi ſolebant, teſte *Crenio* Animadverſ. philol. P. XI. 96, Raphelengius

&

& Grotius) & A. 1613. in 8. Lipſiæ A. 1657. cura Mart. *Geierl* ac Io. Phil. *Olearii*, & Francofurti ad Mœnum A. 1707. Sed & lipſienſis prædicta commendatur a *Boſio* in Introd. in notit. ſcript. eccleſ. c. 6. (Crenii Method. T. III. 466.) Cum in titulo aliarum editionum legeretur: *Acceſſerunt huic editioni libri græce ſcripti, quos eccleſia orthodoxa, hebræorum canonem ſecuta, inter apocryphos recenſet*; verba hæc, rogatu Ieſuitarum, ut *Crenius* narrat l. c. mutata fuere in illa, quæ ſupra attulimus. Notabis autem, ea, quæ in margine, & littera antiqua in textu occurrunt, *Pagnini* eſſe; quæ autem currente, ut vocant, littera expreſſa ſunt, *Montani*. In præfatione agit Ben. *Arias* Montanus de antiquitate & utilitate linguæ hebrææ, nec non integritate Bibliorum hebraicorum, de ſtudio Sanctis *Pagnini* in vertendis Bibliis, & quomodo eius verſio ab ipſo alicubi correcta, taliſque Bibliis regiis, quæ Antverpiæ prodierunt, inſerta fuerit. Curam veto corrigendi Pagninus, teſte *Simlero* in Epit. Biblioth. Geſner. 743, communem habuit cum Fran. *Raphelengio* & Guidone ac Nicolao *Fabriciis Boderianis*, fratribus, (de quibus vide Io. Alb. *Fabricii* Centur. Fabricior. p. 32.) eamque, auſpiciis & iuſſu PHILIPPI II. Hiſpan. regis, lovanienſis academiæ theologis ſuffragantibus, ſuſcepit; ſed & hoc pacto, ut *Thuanus* ad A. 1598. obſervat, magnam ſibi invidiam conflavit, atque in primis adverſarium habuit Leonem a *Caſtro*.

Hac occaſione de verſionibus Scripturæ non nihil dicendum eſt. Nimirum magnum eſt Dei beneficium, quod, cum variæ ſint hominum linguæ, in eas paſſus ſit transferri S. Scripturam, ut eius cognitionem omnes ſibi gentes comparare & acquirere poſſent. Quamvis enim nulla verſio ad puritatem fontium ubivis accedat: tamen cum *Brochmando* in Αυχνω λογ. περιΦητ. parte II. c. 5. perſuaſiſſimi ſumus, nondum prodiiſſe ullam Bibliorum verſionem adeo corruptam, e qua citra præiudicium lecta diſci non poſſit, quicquid ad ſalutem præciſe neceſſarium eſt. De variis autem ſcripturæ verſionibus vid. Rich. *Simon* in Hiſt. crit. V. T. l. 2. Iac. *Le Long* Biblioth. S. P. I. 157. & ſeqq. & *Kortholt* in ſingulari de hac materia ſcripto.

Xantes ſive Santes *Pagninus* fuit nativitate lucenſis, religione dominicanus, ſeu ordinis Prædicatorum, & teſte *Sixto* ſen. Biblioth. S. l. 4. 375. trium linguarum, maxime vero hebrææ peritiſſimus,

Digitized by Google

mus, & LEONE X. hortante ſumtusque præbente, quanta maxime valuit diligentia ac fide primus poſt B. Hieronymum omne V. T. ex hebraica veritate latine reddidit, diemque ſuum obiit A. 1536. aut A. 1541. ætatis 70. Nic. *Antonius* in Biblioth. hiſpan. Verſionem eius, ut commodiſſimam, theologi commendant lovanienſes, nec non in Bibliis regiis gallicanis) pariſienſes, ceu omnes, vulgata excepta, cum ſermonis puritate, tum proprietate verborum ab ipſis fontibus cum delectu petita, antecellentem. Eademque laudatur a *Sixto* ſen. l. c. *Franzio* de Interpr. ſcript. p. 31. 41. & *Hottingero* in *Bibliothecar*. p. 166. errata tamen etiam ex *Luthero* ibidem p. 33. indicantur. In eiusdem laudes quoque eunt *Calovius* Part. 1. Bibl. illuſtrat. p. 3. & *Hackſpan*. in prolegom. in Annotata ad dicta ſcript. difficil. p. 12. *Genebrardo* autem præfat. in Origenis *Opera*, verſio eius videtur eſſe minus diligens, nimis ambitioſa, nimis curioſa, nimis grammatica, nimium rabbinicarum fabularum æmula &c. Videatur etiam R. *Simon* Crit. V. T. l. 2. c. 20. p. 313.

Bened. *Arias*, Montanum ſe vocans ob montoſam patriæ regionem (erat enim, ut refert Cypr. *de Valera* in præf. ad Biblia, natural de Frexenal dela Sierra) quem *Friſius* in Epitome Biblioth. Geſner. p. 111. & *Scaliger* in Scaligeran. 270. hiſpalenſem, *König* autem in Biblioth. vet. & nova p. 550. andaluſium facit, obiit A. 1598. æt. 71. De eius ſcriptis & elogiis videatur *Blount* 774. & *Lexic. univerſ. hiſtor*. editum Lipſiæ 1709. T. I. 191. Eundem vero perſtringunt *Druſius* in Levit. 18, 6. & Iud. 4, 11. Matth. *Polus*, & Rich. *Simon* Crit. S. V. T. l. c. p. 317. quod Pagnini verſionem temere loco moverit, & pro bonis Pagnini ſua prava, inepta, ac barbara vocabula repoſuerit. Sed aliud, mitiusque iudicium de verſione eius fert Brianus *Waltonus* in operis anglicani præfatione, quod videlicet, licet alicubi barbara, nec ita commode, ac Pagninus, ſenſum exprimere, videri queat; in hoc tamen veniam mereatur, quod non ad elegantiam latini ſermonis, ſed ad vim vocis hebraicæ exprimendam, in uſum tironum, Pagnini verſionem mutaverit.

III.

Divinæ ſcripturæ, nempe VET. & NOVI TESTAM. omnia, GRAECE. Francofurti apud Andr. Wecheli heredes. 1597. Quæ editio commendatur a *Franzio* de Interpret. ſcript. 30. nobiliſſ. Collecto-

Digitized by Google

lectoribus lipſienſ. *Actor. erudit.* A. 1698. 75. & Jo. Alb. *Fabricio* Biblioth. gr. l. 3. c. 12. p. 326. Prodiit etiam Londini LXX. interpretum verſio, ſecundum exemplar romanum, quod laudat *Colomeſius* p. 801, in grandi, minore quadruplici, & octuplici forma, (inter quas media præſtare dicitur) & Lipſiæ 1697. in 8. ch. aug. iuxta exemplar oxonienſe, cum Io. *Frickii* præfatione de variis LXX. interpretum editionibus, & notabilioribus rebus ad hanc verſionem ſpectantibus: (vide *Acta eruditorum* A. 1698. 75. Rich. *Simon* Hiſt. crit. V. T. l. 3. p. 135. & Io. Alb. *Fabricium* l. c.) item cura Io. Ern. *Grabe* Oxonii A. 1708. 1709. in fol. & 8. (ubi tamen deficit ea pars, quæ libros hiſtoricos & propheticos complectitur) nec non ſtudio Lamberti *Bos*, Franequeræ 1709. 4. mai. Vide *Acta erudit.* A. 1708. 193. & A. 1710. 469. & 473. & *les Nouvelles* de la Rep. des lettr. A. 1710. 634. In præfatione docetur, editionem hanc a viro quodam doctiſſimo, quem Rich. *Simon* Hiſtor. crit. V. T. l. 3. 136. putat fuiſſe Fran. *Iunium*, iuxta exemplar complutenſe, antverpienſe, argentinenſe, ac romanum recognitam, & inde varias lectiones fuiſſe collectas: Novum autem Teſt. ad exemplar Rob. *Stephani* excuſum, & ex eo, ac aliunde varias lectiones expreſſas: noluiſſe autem Veteri Teſtamento præfigere titulum *Verſionis ſeptuaginta*, quia iure ne an iniuria ſic appellentur, inter doctos non conveniat. Ceterum diſſeritur in ea de LXX. interpretibus, ac variis V. T. verſionibus græcis.

De hodierna verſione græca, eiusque ab antiqua genuina differentia, legi poſſunt Iac. *Vſſerius* in Syntagm. peculiari, & in Diſſert. de Cainane Arphaxadi, (T. VII. Crit. ſacror. 3266.) Aug. *Pfeiffer* diſp. de Colloquio Caini & Abelis §. 9. *Sixtus* ſen. B. S. l. 4. 376. *Petitdidier* Diſſert. IIX. & IX. 59. *Scaligerana* 368. *Colomeſius* 447. *Grabe* in Prolegom. verſion. ab ipſo editæ, de qua *Acta erud.* A. 1710. 469. & Io. Alb. *Fabricius* Biblioth. gr. l. 3. c. 12. p. 324. Negat autem *Hottinger* in Theſauro philolog. 279, verſionem τῶν LXX. eſſe omnium antiquiſſimam, eique præponit Chaldaicam, non Onkeloſi illam, ſed alias, unde Onkelos ſuam deinde concinnavit. Sicut *Colomeſius* Opp. 801. correctiorem, ita Patricius *Iunius* in Notis ad I. ep. Clementis ad Corinth. p. 150. edit. clericanæ, & poſt eum Iſ. *Voſſius* promiſere novam editionem Bibliorum V. T. græc. ex MS. exemplari *Theclæ*, quod omnium, ut ille ait, quotquot hodie in Europa ſunt, longe optimum & antiquiſſimum eſt. Vid. etiam

Digitized by Google

Le Long Biblioth. S. 340. Io. *Maſius* in Ioſ. 3, 16. (Criticor. ſacr. Francofurt. editionis p. 1470.) notat, LXX. interpretes vocalium obſervationi operam nullam dediſſe, quarum fortaſſe, ipſius iudicio, nullæ erant eo tempore notæ. Et in c. 4, 8. eos non nunquam certo conſilio, nullo errore, aliud, quam hebræum habet, reddidiſſe. Et ſi Ioſ. *Scaligerum* in Scaligeranis p. 50. audire iuvat, in nominibus animalium, arborum, lapidum, iis magis, quam aliis interpretibus, eſt fidendum. Danielis, aut certe quarti capitis eiusdem prophetæ, nec non apocryphorum verſio *Theodotioni* tribuitur, ſicut interpretatio pſalmorum Symmacho. Quid? ſi C. *Cellario* in Collectaneis hiſt. ſamarit. credimus, tota hæc verſio Bibliorum V. T. non eſt LXX. interpretum, ſed *Doſithei* cuiusdam, iudæi. *Placc.* de Pſeudon. 564. Antequam diſcedamus ab hoc libro, lubet communicare cum Lectore ea, quæ viri eruditi notarunt, & corrigendis accenſuerunt.

Iob. 39, 19. *φοβον*	*φοβην. Le Cene* dans le Projet d'une nouv. verſ. 409.
Pſ. 67, 27. *αρχοντες*	*ψαλται*, cantores. *Wagenſeil* Notabil. noriberg. 169.
Ezech. 20, 37. *αριθμω*	*αρθμω. Bos* in Prolegom. in V. T. græc. LXX. interpr. c. 3. atque in *Actis erudit.* A. 1710. 476.
Amos 9, 6. *επαγγελιαν*	*στραγγαλιαν. Idem* ibid. 476.

IV.

BIBLIA S. cum Gloſſa ordinaria STRABI, & Poſtilla Nicolai LIRANI, cum Additionibus PAULI burgenſis epiſcopi, ac Matthiæ DOERINGI Replicis. Leander a S. MARTINO omnia recenſuit, adiecitque plures antiquos ac novos tractatus, analyſes, parallela, tabulasque chronologicas & proſopographicas. Antverpiæ 1634. volum. III. Ex bibliotheca G. *Calixti.* Editio hæc, iudice *Le Long.* P. I. 639, eſt omnium optima; priores autem ſunt veneta A. 1588. & pariſina A. 1589. Præmittuntur duo B. *Hieronymi* Prologi, videlicet galeatus ad Paulam & Euſtochium, & alter ad Paulinum cum annotationibus Leandri a *S. Martino*, Peculiare & proprium

prium huic eſt operi, quod ſecundum Gloſſam ſingula capita in verſus diſtributa ſunt, Stephani *Layſtoni*, Cardinalis & archiepiſcopi cantuarienſis, partitio capitum in ultimo tomo ſeparatim exhibetur, ſummaria ad ſingula capita ſunt appoſita, loca SS. *Patrum* ſuis redduntur auctoribus, *Iohannis* abbatis nivicellenſis Concordantia canonum & ſcripturarum annotata eſt Gloſſæ ordinariæ, Fran. *Luca* Correctiones romanæ cum coniecturis Leandri *de S. Martino* exhibentur, totius ſcripturæ Tabula analytica operi, ſingulis autem libris ſingulæ analyſes præmittuntur; ultimo tomo comprehenſa ſunt Nic. *Lirani* Opuſcula contra iudæos, *Pauli* burgenſis ſcrutinium ſcripturarum, Chronologia totius ſcripturæ, Calendarium veteris ſynagogæ, Index propriorum nominum, locorum communium S. Scripturæ, nec non rerum & verborum, præterea Index in ſingulas epiſtolas & evangelia dominicalia, & denique Index controverſiarum iſtius temporis. Videatur de hoc opere Rich. *Simon* Hiſt. Crit. V. T. l. 3. c. 11. de Gloſſa autem ordinaria *idem* l. c. p. 414. & Hiſt. crit. N. T. part. III. c. 27. *Matheſ. in* Concionib. de Luth. 144. *Gerhard.* Conf. cathol. 1465. & G. *Calixt.* Appar. theol. 181. ubi dicit, Gloſſam interlinearem eſſe *Anſelmi* laudunenſis.

Walafridus; Rabani diſcipulus, ac primum monachus fuldenſis, tum abbas Augiæ divitis, ab oculorum vitio *Strabus* vel *Strabo* dictus, vixit ſec. IX. & commentatus eſt in multos S. Scripturæ libros; Gloſſa autem eius ordinaria ex SS. Patribus collecta, a poſteris aucta & ornata fuit. *Bellarm.* de Scriptor. eccleſ. ad A. C. 840. Io. *Gerhard.* Conf. cathol. 1465. & Exeg. L. de ſcript. S. n. 89. Io. Gottfr. *Olear.* Biblioth. S. P. II. 237 Io. Frid. *Mayer* Biblioth. bibl. 53. Io. Chriſtian. *Neu* in Acceſſion. ad Wheari Relect. 283.

Nicolaus de Lyra, oppido non Brabantiæ, neque Angliæ, ſed Normanniæ, non ex iudæo factus chriſtianus, (*Saubert.* Palæſtr. theol. philol. 29.) dictus *Doctor planus & utilis*, *Luthero* bonus hebraiſta & fidelis chriſtianus, vixit Lutetiæ Pariſiorum in conventu Fratrum minorum, & ſupremum diem vidit A. 1340. Vide *Sixt.* ſenenſ. Biblioth. S. 347. Rich. *Simon.* H. C. du V. T. l. 3. c. 11. & Biblioth. crit. T. IV. 252. *Luther* Colloq. menſal. 478. *Matheſ.* in Concion. de Luthero 144. *Mayer* Biblioth. bibl. 53. *Gerhard.* Patrol. 629.

Olear. Biblioth eccleſ. P. II. 22. *Cartvvright* præfat. in Annot. in Gen. d. & I. C. *Wolf.* Biblioth. hebr. 912. Animadverſiones in eum ſcripſere *Paulus*, epiſcopus burgenſis, & Diegus *Deza*; *Döringus* autem eum contra illum defendit. Ipſe vero præter Poſtillam prædictam, quæ eſt perpetuus brevisque commentarius in univerſa S. Biblia, ſcripſit *Poſtillas maiores*, ſeu enarrationes in epiſtolas & euangelia dominicalia: diſputat. contra perfidiam iudæorum: Probationem adventus Chriſti per ſcripturas a iudæis receptas: Tract. de animæ clauſtro: & alium de idoneo miniſtrante & ſuſcipiente ſacroſanctum altaris ſacramentum.

Paulus, Burgo-hiſpanus, religione iudæus, e ſanguine levitico, ſed lectione Summæ Thomæ aquin. converſus ad fidem chriſtianam, atque in baptiſmo nomen *Pauli de S. Maria* conſecutus, eccleſiæ carthaginienſis ſpartariæ primum, deinde burgenſis in patria epiſcopus, poſtea regnorum Caſtellæ & Legionis archicancellarius, tandemque patriarcha aquileienſis, ſcripſit Scrutinium ſcripturarum, obiitque A. 1435. Vide Barthol. *Mayerum* Philol. S. part. II. 71. *Trithemius* vocat virum in divinis ſcripturis ſtudioſiſſimum, & valde peritum. Videatur quoque *König* 143. *Olear.* Part. II. B. S. 61. *Caue* Append. 63. *Cartvvright* præfat. in Annotat. in Gen. d. *Simon* Hiſt. crit. V. T. 415. Optima Scrutinii ſcripturar. editio, Labbeo videtur illa, quæ Brugis prodiit A. 1591. *Caſaubon.* in Exercit. S. 412. *Lutheri* in Colloq. menſal. p. 478. iudicio, Additiones eius & *Simigeri* ſatis ſunt frigidæ.

Matth. *Doringus*, ſaxo, ordinis Minorum, claruit ſæculo XV. Vide Rich. *Simonium* l. c. 415. & *Mayeri* Biblioth. bibl. 54. Erat vir in theologicis quidem non indoctus, ebraici autem nihil quidquam intelligens; unde ad iſtiusmodi quam ſuſcepit provinciam minime fuit idoneus, ac eruditis interdum riſum movit, iudice *Cartvvrighto* præfat. in Annot. in Gen. T. 1. ſupplem. Crit. ſacr. d.

Ioannes *Iones*, vulgo *Leander a S. Martino*, londinenſis, ordinis benedictini, Præſes generalis Congregationis anglicæ, & in academia duacena hebrææ linguæ profeſſor regius, obiit A. 1636.

Fran. *Lucas*, brugenſis, theologus lovanienſis, atque eccleſiæ cathedralis audomaropolitanæ theologus & decanus, vir græce & hebraice doctiſſimus, A. 1619. obiit, & Concordantias biblicas, Commentarium in IV. evangelia, Notasque in S. Biblia reliquit. *Le Long*

P. II.

P. II. 430. 437. *König* 483. *Cartvvright* præfat. Annot. in Geneſ. d. *Mayer* Biblioth. bibl. 65.

V.

Targum, h. e. paraphraſis ONKELOSI, ex chaldæo in latinum verſa, & annotationibus illuſtrata a Paulo *Fagio*. Argentorati 1546. Ipſum hoc Targum, dictum *Babylonicum*, lingua chaldaica conſcriptum, reperitur etiam in Bibliis polyglottis A. 1657. neque niſi ſolum Moſis pentateuchum complectitur. Sed & aliæ ſunt interpretationes ſacri codicis chaldaicæ, videlicet *Ionathanis* ben Vziel in prophetas, Ieruſalemitani, & Hagiographorum interpretis, qui vulgo *Ioſephus cæcus* eſſe putatur, ſub eiusque nomine Dav. *Wilkins* Paraphraſin chaldaicam in librum I. & II. Chronicorum in lucem emiſit Amſtelædami A. 1715. 4. quæ editio & correctior & plenior eſt Beckiana. Vid. *Clerici* Biblioth. vet. & nova T. IV. 219. Immo & longe plures extiterunt translationes chaldaicæ, de quibus videatur *Le Long* Biblioth. S. part. I. 158. Onkeloſi & Ionathanis idioma eſt elegans & nitidum. Targum in totum V. T. latine reddidit Andreas *de Leon* zamorenſis. *Fagius* in præfat. huius translationis oſtendit, tres præcipue cauſſas eſſe, propter quas chaldaica biblia merito nobis commendatiſſima eſſe debeant. Incidit autem ibi cum *Galatino* triplicem in errorem, putans, *Onkeloſum & Aquilam unum eundemque eſſe*: Onkeloſum fuiſſe *proſelytum*: & paraphraſin adornaſſe in V. T. *totum*. Præterea conſilium aperit ſuum, quod in transferenda iſta paraphraſi ſecutus ſit. Nimirum in verſione non ſpectavit elegantiam linguæ, ſed operam dedit, ut non multum a verbis auctoris diſcederet, phraſes & idiotiſmos linguæ in Annotationibus accurate expoſuit, ritusque & alia memoratu digna & utilia ex ebræorum ſcriptis fideliter indicavit. Quo nomine laudatur a *Boiſſardo*, Melch. *Adamo*, *Leighio*, & aliis apud Blount 645. Quibus adde *Cartvvright* in Annot. in Gen. d. 2. & Rich. *Simon*. Crit. V. T. I. 3. c. 15. & 24. p. 507.

Onkelos creditur eſſe æqualis Hillelis, Schammai, & Gamalielis ſenioris, cuius apoſtolus Paulus facit mentionem, non autem, uti iam dictum, idem cum Aquila pontico, nec proſelytus, nec ſororius Titi Veſpaſiani, nec denique univerſi paraphraſtes Teſtamenti veteris. *Hottinger* Theſ. Philol. 254. *König* 589. *Lightfoot* ad

ad Matth. I, 23. *Placc.* de Pſeudon. 468. I. C. *Wolf.* Biblioth. hebr. 959. & *Scaligerana* 289. ubi magnus Scaliger profitetur, Onkeloſum & Ionathanem eiusmodi eſſe paraphraſtas, ut valeant inſtar commentatorum.

Paulus *Fagius*, germanice *Büchlein*, Tabernis rhenanis natus, Wolfg. *Fabricii* Capitonis diſcipulus, fuit ludi iſnenſis magiſter, & ibidem, poſtquam Argentorati docuiſſet, paſtor, & quamvis inter chriſtianos excelleret in ebraicis, tamen informatione *Eliæ Levitæ*, Venetiis accerſiti, uſus eſt: poſtea Argentina, ubi in locum Capitonis ſucceſſerat, occaſione libri Interim, cui ſubſcribere recuſabat, iuxta cum Bucero recuſante idem in Angliam ſe contulit, ab archiepiſcopo cantuarienſi Thoma *Crammero* evocatus, ubi S. biblia transferre cœperunt: ſed progreſſum mors Fagii inſperata evertit. Mortuus autem eſt Cantabrigiæ A. 1550. æt. quaſi 46. non ſine veneni ſuſpicione, & ſepultus in æde S. Michaëlis. Sed ſub regimine MARIÆ hæreſeos accuſatus, ideoque corpus eius effoſſum & crematum; ſub ELISABETHA vero in integrum reſtitutus eſt, vir ſeverus & humanus, atque in concionando eloquens, & liberi oris. Melch. *Adam.* in Vitis theol. 204. Varia ex ebraico transtulit in latinum, atque inter illa etiam Tobiæ librum, quem ebraice conſcriptum & a iudæis CPli impreſſum Seb. Münſterus Baſileæ recudi curaverat. De quo vide *Placcium* in pſeudon. 594. & Io. *Sauberti* Opera poſthuma 102. Scripſit etiam Collationem præcipuarum, quæ in uſu ſunt, translationum Geneſeos, & Iſagogen in linguam ebræam. *Elias Levita* eum dignum cenſet, de quo, ad imitationem iudæorum, qui de Moſe Maimonide dicunt, *A Moſe* (legiſlatore) *usque ad Moſen* (Maimonidem) *non ſurrexit ſicut Moſes* (Maimonides) dicant Chriſtiani: A Paulo (apoſtolo) usque ad Paulum (*Fagium*) non ſurrexit, ſicut Paulus (*Fagius*.) Et Chriſtoph. *Cartvvright* præfat. in Electa targumico-rabbinica (T. I. ſupplem. Critic. ſacr. c. 2.) hanc Fagii ſententiam: *Si ex præcipuis Hebræorum commentariis unum quoddam fieret, reſectis iudaicis naniis atque cavillis, & reſervatis, quæ alicuius penſi atque momenti eſſent, futurum eſſet, ut plures ad S. linguæ ſtudium animum applicarent, nec facile S. lingua, quod alias formidandum, iterum conſideret, penitusque interiret*, utroque adprobat pollice, addens, unius Fagii iudicium pluris apud ſe eſſe, quam omnes omnium hebræomaſtigum

ſtigum cenſuras. Rich. *Simon* l. 3. Hiſt. crit. V. T. c. 15. ſcribit, eum pluribus locis Münſtero feliciorem eſſe. Fagius, *Scaligeri* in Scaligeranis p. 153. iudicio, in Geneſin optimus. Plura eius encomia congeſſit *Blount* p. 645.

Cypriani de VALERA Biblia hiſpanico idiomate, cum annotat. marginalibus. Amſtelodami 1602. Editio altera. Altera autem dicitur, non reſpectu alicuius prioris, quam emiſerit Valera, ſed eius, quam publicaverat Caſſiodorus *de Reyna* Baſileæ A. 1569. 4. unde *Kortholtus* de variis ſcripturæ edition. c. 24. ſcribit, hanc noſtram non tam novam translationem eſſe, quam Reynanæ, alicubi ex genevenſi, præſertim gallica, mutatæ & emendatæ repetitionem. Biblia hiſpanica, Francofurti impreſſa A. 1622. 4. non nova ſunt editio, ſed ipſiſſima reynana anni 1569. Sunt & translationes Bibliorum hiſpanicæ a iudæis adornatæ, ut Ferrarienſis A. C. 1553. quæ non eſt caſtrata, (vid. Biblioth. *Sarraziana* p. 3.) & verſionem Santis *Pagnini*, uti in præfatione dicitur, eiusque Theſaurum ſequitur, ſeque iactat placuiſſe romanæ Curiæ, (certe etiam placuit Ioſ. I. *Scaligero*, ſicut patet e Scaligeran. 59.) & Conſtantinopolitana; ſi non eadem eſt, paucis mutatis, cum Ferrarienſi. Videatur *Le Long* P. II. 152. Fran. *de Enzinas* (du Houx) quem *Camerarius* & *Melanchthon* recte adpellant Dryandrum, traduxit N. T. in linguam hiſpanicam; ſed inde ſibi negotium accerſivit apud theologos belgicos, de quo videantur *Colomeſii* opera p. 807. Præmiſſa noſtræ editioni eſt Adhortatio non tantum Cypriani de Valera, in qua agit de divino legendi ſcripturas præcepto, de canone librorum ſacrorum, de uſu nominis Iehova, quem retinuerit, deque ſui ſcopo negotii, ſed etiam Caſſiodori *de Reyna*, qui partim ad Concilium tridentinum, quod lectionem ſcripturæ in lingua vulgari permiſerit, provocat, ſeque nec verſionis vulgatæ, nec pagninianæ mancipium fuiſſe, ſed fontes ipſos adiiſſe ait: præterea prædictæ verſionis ferrarienſis corruptelas quasdam, ex odio chriſtianorum illatas, aperit atque indicat. Mart. Sylv. *Grabe* in Append. apologet. ad Vrb. Regii Form. caute loq. p. 186. obſervat, translatorem noſtrum *Gen.* 37, 35. vocem שאור non recte reddidiſſe per ſepulcrum, ſed reddere debuiſſe per infernum ſeu inferos. In meo huius verſionis exemplari, quod Lugduno Batavorum a Cl.

 quo-

quodam viro accepi, ſceleſta nebulonis cuiusdam, qui ſine dubio iudæus fuit, manus, ex perverſo zelo omnes paginas, libros apocryphos V. T. nec non Matthæum & Marcum usque ad huius capit. 4. complectentes, diſcidit & perforavit, tamque ſubtiliter & affabre, ut vix obſervari queat.

Cyprianus *de Valera*, hiſpanus, reformatæ æque, ac Caſſiodorus de Reyna, addictus eccleſiæ, quem Thom. *Hyde* l. 2. Biblioth. bodlei. p. 219. alias *de Valeriola* dici ait, claruit initio ſeculi XVII. & alios duos libros hiſpanica lingua ſcriptos reliquit, unum de Vitis Pontificum, eorumque doctrina & nimia poteſtate, alterum de Falſis miraculis viſitationis B. Mariæ, matris Domini. Caſp. *Lindenberg* Lubecæ emiſit Epiſtolam de non contemnendis ex lingua hiſpanica utilitatibus theologicis, lectu omnino dignam, qua reynanam verſionem, a Valera noſtro correctam, ac ferrarienſem pro accuratiſſimis habet. Vid. *Læſcheri* Narrat. innoc. A. 1716. 211. & *Place.* de Anon. 673. & Pſeudon. 599.

VI.

Biblia utriusque teſtamenti, ex editione Rob. STEPHANI. Pariſiis 1557. volum. II. Quæ magno in pretio hodieque apud Gallos habentur, mihique, cum A. 1681. ſpectarem Bibliothecam celeberrimi collegii, Doctorem eius inſignem interroganti, quem pro rariori ac præſtantiori Bibliothecæ libro haberent, ille exerto digito opus hoc biblicum, tanquam ſingularem theſaurum, indicavit atque oſtendit. Et ſane meretur commendari, quoniam correctiſſime editum eſt, typisque argenteis, teſte *Hülſemanno* Prælect. in Form. concord. 237, ſane elegantiſſimis. Quid autem in eo præſtitum ſit, ex Præfat. hauriri poteſt. Nimirum in V. T. ponitur litteris minuſculis verſio vulgata: maiuſculis, uti quidem Robertus dicit, interpretatio Santis *Pagnini* a *Vatablo* correcta, Notæque, ut iterum Robertus ait, ſubiiciuntur ex Santis αὐτογράφῳ, ac Vatabli dictatis. Sed transferendis in latinum libris apocryphis Claud. *Badvellus* operam ſuam navavit, notisque eos illuſtravit. Novi Teſtam. translatio & notæ ſunt Theodori *Bezæ.* Atque in hisce notis Beza multa N. T. loca in ſuſpicionem mendarum & corruptelarum illatarum vocare non veretur. *Colomeſ.* 787. Quæ loca vindicatum it *Glaſſius* lib. I. Philol. S. & Io. Eric.

Oſter-

Oſtermannus in Poſition. ſuis philol. obſervationes bezanas examinare ſtudet. *Cren.* P. I. Animadverſ. philol. p. 58. At alii obſervant, verſionem novam, quæ iam A. 1545. prodierat, non eſſe Pagnini, ſed tigurinam, ſeu Leonis Iudæ, eaque Doctores lugdunenſes & ſalmanticenſes, qui pro pagniniana acceptabant, deceptos fuiſſe; Notas autem, pro vatablicis venditatas, ipſum Rob. *Stephanum* ex iudæis & aliis collegiſſe. Vid. *Genebrardus*, *Ducaus*, R. *Simon* apud Le Long. Biblioth. S. part. I. 603. 665. M. *Adam* in Vit. theologor. 96. *Episcop.* Opp. T. I. a. 277. *Calov.* P. I. Biblior. illuſtr. p. 4. Io. *Hulſeman.* l. c. & auctor *præfat.* in Simon. Hiſt. crit. V. T. 4. Cuius autem cunque ſint, profecto valde literales & criticæ ſunt, adeoque magni æſtimandæ, iudice Rich. *Simonio* l. 3. Hiſt. crit. V. T. c. 15. p. 443. Ant. *Teiſſero* apud Blount in Cenſura celebr. auctor. 605. & Dav. *Chytræo* orat. de Stud. theolog. p. 7. quamvis Alphonſus *Martini*, bæticus, ſub Sanctæ in hæreticos Inquiſitionis nomine, Cenſuram earum A. 1558. ediderit.

Rob. *Stephanus*, de cuius familia legendi ſunt Theodor. *Ianſſon* ab Almeloveen, & Mich. *Maittairius* de Vitis Stephanorum (in Tomo V. ſupplem. Actor. erudit. 504. & Novor. libror. atrio (Neuer bücher ſaal) T. I. 730.) nec non *Ancillonius* Mel. crit. P. II. 92. fuit typographus pariſienſis, qui variis doctiſſimis ſcriptis inclaruit, qualia ſunt: Dictionarium ſive Theſaurus latinæ linguæ, Lexicon latino-gallicum, Lexicon gallico-latinum, Elucidarium poëticum, Ambroſii *Calepini* Dictionarium ex Theſauro auctum, Reſponſio ad Theologorum pariſienſium cenſuras, quibus Biblia ab ipſo edita notarunt, (cuius excerpta reperies in R. *Simonii* Crit. S. N. T. part. III, c. 39.) & Genevæ, quo propter theologorum perſecutiones ſe tranſtulerat, obiit A. 1559. ætatis 56. foris gloria dives, & domi liberis, quibus, ſi Genevæ manerent (ſic enim teſtamento caverat) reliquit opulentam ſupellectilem. Elogia eius vide apud *Colomeſium* p. 22. & *Blountium* 636. Quibus adde *Thuanum* l. 23. p. 453.

Fran. *Vatablus*, Gamachio-picardus, romano-catholicus, ſub FRANCISCO I. ebrææ linguæ prof. pariſienſis, & abbas bellozanenſis, quem ebræi admirati ſunt, chriſtiani autem maximo cum fructu audiverunt, obiit A. 1547. uti teſtantur *Colomeſius* operum p. 9. lib. 3. pag. 62. & *König* pag. 832. Elogia eius dant *Colomeſius* l. c. & *Blount* 603. Ioſ. *Scaligeri* in Scaligeran. p. 401, iudicio,

non

non tantum magnus fuit in hebræis, ſed nec alius chriſtianus in iis eo doctior. Nihil ſcripſit: Annotationes autem, quæ eius nomine ſunt editæ, ſtudioſi in auditorio collegerunt.

Claud. *Badvellus*, natione gallus, reformatæ addictus religioni, & prof. nemauſ. claruit A. 1567. cuius ſcripta recenſentur in *Epit*. Biblioth. geſner. p. 150. interque illa eminent liber de Ratione vitæ ſtudioſæ ac literatæ in matrimonio collocandæ & degendæ: de officio & munere Profeſſorum: Annotationes in Ciceronis orationes pro Milone & M. Marcello: Inſtituta literaria, quibus demonſtratum, quemadmodum diſciplina iuventutis in gymnaſio ſit conſtituenda: Acta martyrum ſui, quo vivebat, ſeculi, ab ipſo latine reddita.

Theodorus *Beza*, natus Vezeliis, vetuſto Heduorum oppido in Burgundia, proſelytus religionis Reformatorum, Aureliæ creatus Licentiatus iuris, in voluntarium exilium, religionis cauſa, abiit Genevam, poſteaque docuit Lauſannæ græcas literas & ſacram ſcripturam: inde rediit Genevam, factus collega Calvini, & docuit tam in eccleſia, quam in ſchola, ejusque primus fuit rector. Fuit valde præſtanti forma, & eloquentia atque auctoritate pollebat, ideoque in ſynodis & legationibus ab eccleſia reform. adhibitus, & a Pontificiis dictus *Papa Hugonotarum*. Interfuit colloquio pariſino, ſynodo rupellanæ, & nemauſenſi, colloquio mompelgartenſi (in quo collocutorem habuit Iacobum *Andrea*) & conventui bernenſi. Nimis reprehendit Eraſmum in minutulis, & interdum iniuſte. *Clericus* Biblioth. choiſ. T. XII. 20. Obiit An. 1605. ætatis 86. Epitaphium eius extat apud Melch. *Adamum* in vitis exteror. theol. p. 237. Scripta eius recenſentur p. 242. Doctorum de eo iudicia habes apud *Magir*. in Eponymol. crit. 131. *Blount* 710. *Ancillon*. P. I. 378. *Crenium* Animadverſ. P. XII. 45. 46. & *Bibliothecar.* nulli addict. part. T. I. 277. Ex omnibus eius ſcriptis Annot. maiores in N. T. cum Elogiis hominum illuſtrium, & Poëmatibus latinis maxime commendantur. *König* in Bibl. V. & N. p. 109. *Colomeſ*. oper. p. 497. *Cren*. Animad. P. I. 8. & *Bibliothecarius*. l. c. Optima bezani N. Tti editio eſt cantabrigienſis A. 1642. Polluit inſigni memoria, eamque, quod ad præterita, etiam in ſenectute retinuit, quum præſentium oblivione facile caperetur. Iuſtus Ioſephus *Scaliger* ſtomachatur contra eum, quod in ea eſſet hæreſi, ut pronunciationem græcam probaret novam. De

Digitized by Google

De Bibliis latinis vid. Rich. *Simon* l. 2. H. cr. V. T. c. 21. & in Append. libri III. eiusdem Hiſt. p. 525. Iac. *Le Long* Bibl. S. 518. & *Epiſcop.* T. I. a. 276. Nimirum in 3. claſſes Biblia latina diſtribuuntur. Ad primam pertinet *Vetus vulgata* ſecundum græcam verſionem LXX; ad ſecundam *Hodierna vulgata*, maximam partem iuxta ebræum facta; ad tertiam *Nova verſiones*, ſecundum eundem ebræum textum. Hodiernæ vulgatæ innumeræ extant editiones, & variæ admodum. Olim multi eam reformare & corrigere tentarunt, ut complutenſes Theologi, pariſienſes, lovanienſes, & Rob. *Stephanus.* SIXTUS V. P. M. novam & correctiorem verſionem edere ſtuduit, iuſſitque, ut Miſſalia omnia, Breviaria, Officia Virginis, Pſalteria, Ritualia, Pontificalia, & alii eccleſiaſtici libri iuxta hanc editionem emendarentur. Meliorem poſtea CLEMENS VIII. A. 1592. dare voluit; ſed & ipſe expertus eſt, ſe in ſuis correctionibus non fuiſſe infallibilem. Hinc, etſi Rich. *Simon*, romanæ addictus eccleſiæ, concedit, in uſu Eccleſiæ publico editionem Clementis uſurpandam eſſe, expedire tamen iudicat, in privatum uſum editiones Stephani & Lovanienſium uſurpare, quia non ſolum poſtremæ correctionis auctores infallibiles ſe eſſe non arbitrati ſunt, ſed maxime, quod teſtati ſunt, multa ſe inemendata reliquiſſe, quæ emendari poterant. p. 528. 529. Append. ad lib. 3. Hiſt. crit. V. T. Idem meminit aliarum editionum latinarum, videlicet Iſidori *Clarii*, Lucæ *Oſiandri*, *Münſteri*, *Caſtellionis*, Leonis *Iuda*. ibid. Adde etiam eiusdem Crit. S. N. Tti. Autorem hodiernæ vulgatæ quidam putant eſſe B. *Hieronymum*, ſed in libro duntaxat Pſalmorum: alii ignotum eſſe aiunt. *Placc.* de Anon. 82. In *Scaligeranis* dicitur, vulgatam verſam eſſe ex ebræo, exceptis Pſalmis, & aliis duobus libris, qui ex græco verſi ſint. p. 405.

De Vulgata verſione latina, qualis hodie datur, ſanum videtur ferre iudicium *Sixtus* ſenenſis in Biblioth. S. lib. 8. p. 854. concedens quidem, reperiri in ea non nullas mendas, ſolœciſmos, barbariſmos, hyperbata, multa parum accommodate verſa, & minus latine expreſſa, obſcure & ambigue reddita, itemque non nulla ſuperaddita, aliqua omiſſa, quædam tranſpoſita, immutata, ac vitio ſcriptorum deprauata; negans tamen inde ſequi, eccleſiam latinam, quæ illa uſa eſt, non habuiſſe veram, ſinceram & inte-

gram SS. Bibliorum editionem. in eave quid inveniri, quod vel a veritate chriſtianæ fidei devium, falſum ac mendax ſit, ita ut in fide & moribus homines inde nequeant inſtrui & informari. Et quamvis notetur a *Galatino* l. 3. A. C. V. c. 7. *Dilherro* Diſpp. T. I. 40. *Calovio* Crit. S. 535. aliisque, tamen etiam laudatur a *Bugenhagio* in comment. in Ierem. c. 1. p. 1. Ioſ. *Scaligero* in Scaligeranis 405. & Alex. *Moro* in Matth. 24, 50. Ne quid dicam de *Ramireſio* in Pentecont. c. 49. Io. *Boys* apud Rich. Simon. dans l' H. cr. des verſions du N. T. 158. & Chriſt. *Helvvichio* in Vindic. Diſcuſſ. 40. Sique a fonte abit, ſæpe id fit ob variam lectionem, notante *Simonio* de Commentator. N. T. 878. aut quod, uti *Fagius* obſervat in notis ad Paraphraſin chald. Gen. 4, 8. ſequitur vel LXX interpretes, vel paraphraſten chaldæum, vel rabbinorum quendam. Magnam quoque ei invidiam conflavit opinio de intolerabili authentiæ axiomate, quaſi in Concilio tridentino Seſſ. IV. decreto de editione & uſu SS. librorum, reſpectu fontium declarata fuerit authentica: cum tamen, ſicut contexus docet, non reſpiciantur niſi *editiones latinæ*. Qua de re legi qoteſt *Wagenſeil.* in Confut. carm. Lipmann. 523. 524. Prima vulgatæ impreſſio facta fuit Moguntiæ per Io. *Fuſt* & Pet. *Schoiffer* A. 1462. *Le Long* P. 1. 575. & *Bibliothecar.* nulli parti addict. T. I. 359.

VII.

Sebaſt. CASTELLIONIS Biblia ſacra, ex eius interpretatione, cumque eiusdem Annotationibus. Francofurti 1697. Prima editio prodiit A. 1551. ultima 1699. In dedicatione ad EDVARDVM Angliæ regem, quem *Flori* exemplo de Pyrrho Epiroratum rege loquentis vocat *clariſſimum*, translationis ſuæ inſtitutum exponit, dicens, ſeſe operam dediſſe, ut fidelis & latina ac perſpicua illa eſſet, quoad eius fieri poſſet, ne quem deinceps orationis obſcuritas, aut horriditas, aut etiam interpretationis in fidelitas a ſacrorum lectione librorum reuocatet: fatetur, eſſe adhuc ſuum ſeculum in profundis ignorantiæ tenebris circa divina demerſum, eiusque cauſam eſſe hominum vitioſitatem ac impietatem, veram autem ad divinarum rerum cognitionem viam diviniNuminis metum & cultum, eiq; præſtitam obedientiam: ſperanda noſtris meliora tempora, cum multa & maxima in oraculis promiſſa

multa nondum ſint perfecta: docet, in controverſiis religionis decidendis non eſſe condemnationibus, aut vinculis ſuppliciisve utendum, ſed caritate, lenitate, & patientia, quam etiam Deus exerceat, dum ſinit cum frumento creſcere zizania; eosque demum viros eſſe bonos, & magiſtratui etiam politico fideles & obedientes, qui ex religione erga Deum nolint credere, quod capere nequeant. Ceterum, uti in Præfatione indicat, quæcunque ebræo aut græco ſermone a ſacris auctoribus ſcripta ſunt, ea inde ſuo marte tranſtulit in latinum; quæ autem chaldaice extabant, ex aliorum translationibus eſt interpretatus, ut linguæ illius imperitus. Profitetur etiam, ſe non eſſe vatem, ſed vatum & veritatis ſtudioſum, ſuis igitur rationibus non temere credendum: docetque, apoſtolum, dicentem, *nullum fatidicum ſcriptum privatæ explanationis eſſe*, hoc velle, ſacrarum literarum mentem, divinumque ſenſum nullis artibus, nullis ſcientiis, nulla humana induſtria, aut memoria, aut ingenio poſſe percipi. Si ſcire velis, quæ ſit recta ad intelligendas ſacras ſcripturas via, eam ſtatim poſt præfationem monſtrare laborat, nempe hanc, oportere te ſpiritu divino ſeu pietate eſſe præditum: impios enim literam duntaxat videre & verba audire poſſe. Et quoniam hiſtoria a temporibus Maccabæorum usque ad Chriſti adventum manca & mutila, ideo eam ex Fl. *Ioſepho* ſupplevit, & libris Maccabæorum adiunxit, novi autem fœderis libris Defenſionem utriusque translationis ſuæ, & latinæ & gallicæ, eamque in primis contra Theod. *Bezam.*

Seb. *Caſtellio*, gallice Châteillon, qui poſtea *Caſtalio* maluit audire, (vide *ipſum* in Defenſ. contra Calvinum p. 356. & *Scaligerana* 84.) allobrox, Baſileæ græcæ linguæ profeſſor, ibidem obiit An. 1563. æt. 48. ſicut indicat eius epitaphium, quod legitur in fine Dialogorum ipſius ſacrorum. Vertit S. Biblia non tantum in latinum, ſed etiam gallicum ſermonem. Et in illa quidem puritati latini ſermonis ſtuduit ut cum maxime. Sed hoc eius ſtudium non nullis viſum eſt nimium, immo ſuperſtitioſum, inque eius notis crediderunt ſe inveniſſe impia quædam. Itaque factum, ut vulgo male audiat, & verberetur a Genevenſibus, atque in primis *Beza* (contra quem ſcripſit Defenſionem ſuarum translationum) *Voſſio* Inſtit. orat. P. II. 6. *Riveto* T. II. opp. 917. *Hottingero* Bibliothecar. p. 167. Henr. *Stephano* præfat. in Pſalmos cum Expoſit.

 cathol.

cathol. & præfat. in N. T. *Hotomanno* ep. 1. *Hofmanno* in Lexico, *Sixto* ſenenſi Bibl. S. lib. 8. 839. R. *Simonio* Hiſt. crit. V. T. l. 2. c. 21. l. 3. c. 15. & H. C. des Commentat. du N. T. c. 52. *Dieterico* part. 1. Antiqq. bibl. 174. *Calovio* Prolegom. in Biblia illuſtr. 4. & in *Excerptis menſtruis* A. 1700. 686. Sed alii eum excuſant, immo laudant, ut *Polus* in præf. tomi 1. Synopſ. criticor. 5. Iac. *Du Port* præfat. ad Metaphr. pſalmor. H. *Grotius* in Epp. Arn. *Boot*, Io. *Checus* & Laur. *Humfredus*, C. *Carleilus*, Phil. *Melanchthon*, & Frid. *Furius*, (quorum teſtimonia huic Bibliorum editioni præmiſſa ſunt, ut & IV. ipſius Dialogis) G. *Arnold* Hiſt. eccl. & hær. P. IV. ſect. 2. n. 57. R. *Simonius* Crit. ſacr. V. T. l. 3. c. 15. p. 443. Sim. *Epiſcopius* Opp. T. I. a. 277. 278. Mart. *Ruarus* Epp. P. I. 97. & Scæv. *Sanmarthan.* l. 1. Elogior. Vide plura apud *Blount* 708. & *Le Long* P 1. 696. Et laudatoribus eius accenſendus etiam eſt *Thuanus*, qui lib. 36. p. 670. ſic ſcribit: *Caſtalio puriorem linguarum cognitionem ad theologicam ſcientiam adiunxerat, & Biblia ſacra interpretatione nova tranſtulerat.* Minime vero hæc eius ſunt verba, quæ quis hoſtili animo editioni infarſit genevenſi: Caſtalio cum puriorem linguarum cognitionem ad theologicam ſcientiam adiunxiſſe *ſe putaret, impuriſſimas manus, multorum iudicio, ad ſacra tractanda attulit, cum a rebus ad tantum opus neceſſariis homo imparatiſſimus novam Bibliorum interpretationem inſolenti temeritate molitus eſt.* Vide *Le Long* l. c. Tandem, cum ſententiam de prædeſtinatione mutaret, adverſariorum impotentia bonus vir ad tantam redactus eſt paupertatem ut, teſte *Grotio* ep. XI. lignando ſibi vitam quæreret; ſæpe etiam Io. *Oporinus* inopem ſuſtentavit, & poſt mortem eius inventi ſunt quidam, qui æs defuncti alienum diſſolverent, eiusque liberos ſuis educandos ſumtibus ſuſciperent, tres quoque Poloni fideliſſimo præceptori monumentum poſuere, in quo eum ob multivariam eruditionem & vitæ innocentiam, doctis piisque viris percarum fuiſſe teſtantur. *König* 174.

תורה נביאים וכתובים Ioſ. ATHIÆ Vetus Teſtamentum germanicum ſeu teutonicum, literis rabbinicis. Amſtelædami A. M. 5447. C. 1687. Antea expreſſum fuerat A. 5439. C. 1679. literisque germanicis exhibetur in Bibliis pentaplis Wandesbeci prope Hamburgum 1711. 4. de quo vid. *Neu. Bücher ſaal* T. 2. 786. R. autem

Iekuthi-

Digitized by Google

Iekuthielis verſio, Amſtelodami A. 1677. edita, multorum errorum poſtulatur. *Id.* 788. Ordo librorum ſcripturæ S. hoc in noſtro libro eſt ſequens: V. libri Moſis, Canticum Salom. Ruth, Eccleſiaſtes, Eſtheris, Ioſuæ, Iudicum, Samuelis, & Regum libri: Ieſaias, Ieremias, Ezechiel, & Prophetæ minores: Pſalmi, Proverbia, Iob, Daniel, Eſra, Nehem. & Paralipomena. Athiæ verſio, uti *Odhelius* obſeruat in Synag. bifr. 17. ſæpe Lutheri verſionem ſequitur, ſuperatque ſermonis elegantia *Iecuthielianam.* Et Theodor. *Daſſovius*, ceu refert *Meelfuhrer* in Acceſſion. ad Almeloveeniik Biblioth. latent. p. 23. promittit Conſenſum Athiaſianæ verſionis cum Lutherana. De hac Athiæ verſione videantur *Le Long* Biblioth. S. part. 2. 271. *Kortholt* de Var. ſcripturæ edition. 342. *Wolfius* Biblioth. hebr. 553. & *Wagenſeil* in præfat. Inſtructionis de iudæorum modo loquendi & ſcrib. germanice, E 4. ut qui iſtam verſionem habet inſtar magni commentarii. Eſtque illa efformata, ſicut in titulo dicitur, iuxta optimos iudæorum interpretes & libros, videlicet Ionathanis Targum, Raſchi, Aben Eſræ, R. David Kimchi, Rabbenu Ieſaiam, Rabbenu Saadiam Gaon, Ralbag, Beer Moſche, Maggid, Aiala Schlucha, Chibbure lect, & Michlal iophi. Vbi ſciendum, *Beer Moſche* auctorem habere R. Moſen filium Iſſacharis, *Maggid* R. Iacobum f. Iſaaci, *Aiala Schlucha* R. Naphthali fil. Aſcheris, *Chibbure leckt* R. Abrahamum fil. R. Iehudæ, & *Michlal iophi* R. Salomonem fil. Melech. De quibus qui plura ſcire cupit, adeat *Buxtorfii*, *Bartoloccii*, & *Wolfii* Bibliothecas hebræas ſeu rabbinicas.

Ioſephus *Athias*, iudæus, typographus amſtelodamenſis, medio ſeculo XVII. clarus, Biblia hebraica, hiſpanica, & anglicana characteribus nitidiſſimis in lucem edidit; & anglicana quidem ingentibus ſumtibus: non enim per ſingulas ſchedas, ut ſolent typographi, literas æneas in loculamenta repoſuit, ſed omnes typorum formas, ut vocant, integras ſervavit, ut ſequentes editiones ſtatim imprimi poſſent, ſine nova typorum poſitione. *Wolfius* l. c. *Le Long* P. II. 336. Ipſe autem non eſt auctor huius verſionis, ſed eius rogatu, R. *Ioſeph Goſel*, filius Alexandri, cognomine *Witzenhauſen* dictus, & reviſores eiusdem R. *Meir*, archiſynagogus Germanorum amſtelodamenſis, & R. *Schabtai*, qui poſterior operam in primis dedit, ut eiusmodi adhiberentur voces, quæ a quibuscunque iudæis germanis intelligerentur. *Wolf* 505. *Neu.*

Digitized by Google

Bücherſaal T. 2. 788. ita ut Athias nihil contulerit, quam ut prelo eam ſuo excuderet.

IIX.

BIBLIA ſacra LATINA, in quibus vulgata emendata, & difficiliora loca, potiſſimum ex Lucæ *Oſiandri* Obſervationibus explicata, per Andr. OSIANDRUM. Francofurti 1611. Editio quarta, emendatior & locupletior. Præmittitur duplex præfatio, una editoris, altera Conſiſtorii theologici in Ducatu würtenbergenſi. In illa oſtendit editor, ſe hoc opus conſenſu & voluntate FRIDERICI, Principis würtenbergenſis aggreſſum eſſe, atque eum in finem unice elaboraſſe, ut genuinam, fideique analogam difficiliorum locorum explicationem lectori ſuppeditaret, graviſſimarum quæſtionum ac controverſiarum theologicarum ſuccinctam enodationem ſuo loco infereret, veros ſolutionum fontes, ſive ſerio cum adverſariis confligendum, ſive in congreſſibus academicis veritas defendenda ſit, extento quaſi digito monſtraret, & una cum textu biblico quoddam velut compendium theologiæ (quod index operis poſterior oſtendit) additis interdum etiam ſuis cogitationibus, in hac præſertim editione poſteriori, adornaret, denique capitum argumenta textui & gloſſæ convenientiora multis in locis ſubſtitueret. Idem præterea indicat, iſtam patris ſui paraphraſin ſimul & lutheranam & brentianam Bibliorum explicationem proponere & exhibere. In hac autem Conſiſtorium würtenbergenſe docet, quid ſigna diuerſa huic Bibliorum editioni inſerta, ut [ ] ıı – ( ), ſignificent, pariterque indicat, in apocryphis ſcriptis, præſertim in Baruch, libro Sapientiæ, & Siracide, non verbum verbo, ſed ſententiam redditam eſſe, nec ſe dubitare, quin inter reliqua promovendi ſtudii adminicula haud poſtremo loco opus hoc ſit futurum. Recuſa ſunt hæc Biblia, ſed ſine notis, Stutgardiæ A. 1664. in 8. maiori, in uſum ſtudioſorum. Et hæ Vulgati editiones oſiandrinæ optimis accenſentur a *Boſio*, in Introduct. in notit. ſcriptor. eccleſ. c. VI. n. 7. & *Crenio* T. II. Methodor. 450. Iam accipe aliorum obſervata.

Deut XVI, 2. Immolabilis Phaſe *de ovibus* & *de bobus*.	Oves & boves. *Caſaubon.* Exercit. XVI. 418.
1. *Reg* 21, 1. Venit David in *Nobe* ad Achi-melech ſacerdotem.	In *Nob*. Hieron. *Dicelius* Geograph. S. l. 5. p. 710.

Andr.

Andr. *Oſiander*, Lucæ ſenioris, paſtoris eslingenſis filius, & Andreæ, paſtoris noribergenſis, deinde autem profeſſoris & paſtoris regiomontani nepos, fuit eccleſiæ uracenſis paſtor, deinde concionator Aulæ wurtenbergicæ, & conſiliarius porro abbas adelbergenſis, denique cancellarius academiæ tubingenſis, & eccleſiæ præpoſitus. Melch. *Adamus* p. 862. laudat eum, quod fuerit theologus vigilans, prudens, conſtans: in concionibus nervoſus ac diſertus, in conſolando placidus, in erigendis lapſis & viſitandis ægris facilis: robuſtus elencticus: perſpicuus exegeticus: utrobique artificioſus orthotomicus. Scripſit etiam Aſſertiones de Conciliis, & Reſponſ. ad Analyſin Greg. de Valentia, & obiit A. 1617. æt. 55. Hoc opus laudatur ab *Hulſemanno* in præfat. in Form. concord. 237. *Gerhardo* in Methodo ſtudii theol. 151. A. *Pfeiffero* in Theſauro hermeneut. 520. & R. *Simonio* Hiſt. crit. V. T. l. 2. c. 21. Lucas *Oſiander* ſua decerpſit ex Luthero, *Vinarienſes* ex L. Oſiandro, ſicut obſervat *auctor Annotat.* ad Biblioth. Schrader. P. I. A. 8. Oſiandri explicatio, ex latino in germanicum idioma a Dav. *Förtero* translata, prodiit Stutgardiæ A. 1600.

IX.

BIBBIA VOLGARE tradotta per il. Rev. P. D. Niccolò DE MALERMI, In Vinegia A. 1567. Primum edita fuit A. 1471. & recuſa cum Summariis Marini *Veneti* A. 1477. cum præfatione Hier. *Squarzafici*, qui & hiſtoriam Ariſteæ ſubiunxit, (unde R. *Gedalias* errandi occaſionem cepit, ut ſcriberet, Chriſtianos inter ſacros libros recipere illam etiam Hiſtoriam. *Wolf.* B. hebr. 215.) eod. anno, ac poſtea ſæpius, donec in lucem veniret ultima iſta noſtra editio, cum licentia, ut in frontiſpicio dicitur, S. Congregat. inquiſitionis, & ab omnibus mendis ſumma diligentia purgata. De italicis Bibliorum verſionibus videantur Rich. *Simon* p. 534. *Le Long* Biblioth. S. part. II. 119. & *Du Pin* Differt. prelim. ſur la Bible T. I. 222. Iidem agunt etiam de aliis vernaculis verſionibus, ut gallicis, hiſpanicis, anglicis, polonicis, ungaricis, belgicis, & germanicis. Et omnino notandum, quod *Simonius* dicit, omnes horum populorum verſiones, ante Lutherum iuxta vulgatam compoſitas fuiſſe, minusq; accuratas eſſe, propter imperitiam linguarum l. 3. p. 141. Ant. *Brucioli* verſio italica ſecundum fontes concinnata eſſe dicitur, quæ-

Digitized by Google

quæque A. 1540. prodiit cum Notis, reliquis editionibus præfertur; ſed R. *Simonius* ait, eum exſcripſiſſe Pagninum, l. 2. H. cr.V. T. c. 22. Recuſa eſt A. 1544. & 1546. ac 1548. niſi fortaſſe hæc ultima cum penultima confunditur. Tribuitur etiam SIXTO V. Papæ verſio Bibliorum italica, quæ prodierit A. 1590. ſed ſine fundamento. *Le Long* Bibl. S. part.II. 131. *Placc.* de Anonym. 643.

Nicolaus *Malermus*, in ſubſcriptione ſe vocans *Malberbium*, natione venetus, religione camaldulenſis, fuit abbas monaſterii S. Michaëlis de Lemo, floruitque ſub finem ſeculi XVI.

X.

Verſio Bibliorum germanica nitidiſſimo charactere impreſſa Noribergæ apud Anton. Koburgerum A. 1483. volum. II. Eadem etiam fuit excuſa Auguſtæ Vindel. A. 1518. Vetuſtior autem eſt illa, quam Auguſtæ Vindel. A. 1467. excudit Io. *Beumler*, de qua vide Diet. *von Stade* in Specim. lection. antiq. francicar. 22. Immo *Hottingerus* p. 150. meminit adhuc antiquioris, quæ excuſa fuerit A. 1448. In hisce verſionibus liber Deuteronomii appellatur das Buch der andern Ee, Eccleſiaſticus das Buch der geiſtl. Zucht, Acta apoſtolorum das Buch der Würckung der 12. Botten. Continent etiam, & epiſtolæ ad Galatas ſubiungunt epiſtolam ad Laodicenſes, ſpuriam illam, ut erudite docet *Ittig.* in Append. Diſſert. de Pſeudepigr. Chriſti, Mariæ & apoſt. c. 6. 135. Quam barbarum ſit hoc idioma germanicum, quod in hisce reperitur verſionibus, facile apparet, dummodo evolvantur ſeqq. loca, videlicet Gen. 3, 15. 16. *Ich vvirt ſetzen* feyntſchafft zwiſchen dir und dem weyb. und deinen ſamen. und irem ſamen. Sy wirt *zermuſchen* dein haubt. *und du vvirſt heymlich tragen neyde irem fuſstritt.* Vnd zu dem weyb ſprach er. *Ich vvird mannigfaltigen deyn iamer und dein empfahung.* Du wirſt *geberen die ſun* in ſchmerzen. *und vvirſt under dem gevvalt des mannes.* und derſelb wird über dich herſchen, Gen. 8, 21.: Vnd der herr *ſchmecket den geſchmack* der ſuſſigkeit. Ex. 34, 29.: Vnd do moyſes *abgieng* von dem berg Synai, *er hielt* die *zvvu* tafeln der *gezeugnuſs.* unnd weſſte nit das antlutz *gehörret vvas von vvegen der geſellſchafft* des worts gottes. Pſ. 1, 1: Selig iſt der mann, der nicht *abgieng in den rath der ungütigen* unnd nicht ſtund in den weg der ſünder. und *nicht ſaſs in dem ſtull der peſtilentz,*

Digitized by Google

lentz. Quæ verba in alia quadam verſione ſic redduntur: Selig iſt der mann, der nicht den weg iſt gangen *der unvvilden*, und den *vveg der ſünder nicht iſt geſtanden*, und *in den meiſterſeſſel der ſchelmen nicht iſt geſeſſen.* & denique Pſ. 22. (23.) 1. & 7. Der herr regieret mich, und *mir gebriſt nichts. Du haſt ervveyſtet mein haubt in dem oel. und mein kelch machet truncken, vvie lauter er iſt.* Vltimum hoc dictum in verſione quadam, ut aiunt, heluetica, ſic exprimitur: *Du ſchmiereſt mein grind mit ſchmutzen.* Sed & non nunquam ſenſus S. Scripturæ pervertitur, ut Gen. 3, 15. *Sie* wird zermüſchen dein haupt; & in Summariis Pſ. 2. & 8. Vide *Calov.* part 1. Bibl. illuſtr. p. 4. Et Ioh. Frid. *Mayer* in diſp. XI. de verſionibus bibl. aliqua eius vitia recenſet, quorum Eccius ad 3000. ſe obſervaſſe teſtatur. His etiam adde *Spenerum* præfat. in Luther. rediviv. b. *Hottinger* in Bibliothecario 150. *Bugenhagium* præfat. in Annot. ſuas in Biblia Lutheri germanica ſaxonici idiomatis, & *Ittig.* præfat. in Biblia germanica A. 1708. Editiones Bibliorum germanicæ iam ante Lutherum prodierunt Auguſtæ A. 1467. 1477. 1518. 1494. & Noribergæ A. 1490. 1518. *Le Long* Bibl. ſ. 186.

Mart. LVTHERI Biblia germanica. Wittebergæ 1536. Sane pro ingenti Dei beneficio agnoſcendum eſt, quod per Lutherum meliorem ac nitidiorem patriæ noſtræ dedit verſionem germanicam. Quæ quidem initio *μερικως* prodiit, ſeu ſecundum partes; novi enim T.ti translatio in fol. edita eſt Wittebergæ A. 1522. idiomate germanico, & A. 1523. illo idiomate, cuius uſus eſt in Saxonia inferiore. A. 1524. Illuminata, ut vocant, Wittebergæ prodiit: A. 1528. utriusque Saxoniæ idiomate itidem Wittebergæ. Editum quoque eſt N. T. germanicum Baſileæ A. 1523. in 4. Auguſtæ A. 1524. & Argentorati A. 1527. in fol. eodemque anno Dresdæ in fol. De hoc autem dresdenſi exemplari notandum, illud non comparuiſſe ſub nomine Lutheri: immo Lutheri translationem prohibitam fuiſſe mandato Principis, & præſentem illam, quæ tamen & ipſa erat Lutheri, commendatam. Quo de *Lutherus* Tom. V. ien. german. p. 140. b. Quod autem ad V. T. attinet, edidit Lutherus pentateuchum Wittebergæ A. 1523. & partem ſecundam libros hiſtoricos, ac tertiam poëticos continentem, anno 1524. Pſalterium tamen Davidis ebraiſmos in multis locis ſapit, quod poſtea in re-

Digitized by Google

viſione Lutherus germanico idiomati magis adaptavit. Eſaiam vero edidit A. 1528. & omnes prophetas A. 1532. Quæ partes omnes ac ſingulæ in unum opus collectæ, adeoque integra Biblia germ. ſimul & uno volumine edita ſunt A. 1534. ſive potius inchoata A. 1534. & conſummata ac publicæ donata luci A. 1535. Atque hæc fuit prima editio verſionis Lutheri; cui ſucceſſit altera ſive poſtrema anno 1541.* vel potius A. 1542: illo enim prelo ſubiecta fuit, hoc autem plene expreſſa & conſummata. *Calov.* in Bibl. illuſtr. T. I. p. 5. *Franz.* de Interpr. Scripturæ p. 90. 91. *Narrat. innoc.* A. 1706. p. 326. & El. *Fricke* Append. Lutheraniſmi ſeckendorf. pag. 2713.

Iuvabit ex hoc ultimo annotare, quo ordine verterit Lutherus libros biblicos, & quibus illi annis prodierint. Nimirum

Anno 1522. editum ab ipſo fuit Novum Teſtam.
23. Pentateuchus, ſive V. libri Moſis.
24. Liber Ioſuæ & reliqui usque ad Iobum.
- - Iob, Pſalmi, Proverbia, Eccleſiaſtes, & Cant. cant. in fol. Et hæc prima fuit Pſalterii editio.
26. Ionas & Habacuc, cum explicatione.
27. Zacharias.
28. Eſaias.
29. Liber Sapientiæ. Item translatio Bibliorum latina.
31. Nova translatio Pſalmorum.
32. Omnes Prophetæ. Et circa idem tempus Apocrypha.
33. Biblia ſaxonici idiomatis per *Bugenhagium.*

Non nulla tamen loca etiam poſt ſecundam editionem ſeu correctionem, a Luthero emendata ſunt, quæ a Georg. *Rorario*, præſcitu & conſilio theologorum wittebergenſium, in poſteriores editiones fuere relata, ſicut ex Matheſio refert *Franzius* p. 96. Immo etiam poſt mortem Lutheri quædam fuere mutata a *Rorario* & *Philippo*, teſte *Sauberto* in Opp. poſth. p. 158. Verſioni ſuæ multum operæ impendit Lutherus. Vide Tom. V. ien. germ. 143. T. I. isleb. 424. & *Matheſ.* in vita Lutheri p. 145. magisque interpretem egit, quam translatorem. *Olear.* in Prolegom. Explicat. bibl. (der Bibl. erkl.) p. 5. Verſioni Lutheri iniquior eſt Rich. *Simon* C. S. V. T. lib. 2. c. 23. Eam vero inſigni ornat encomio I. *Sturmius*, rector ſcholæ

ſcholæ argentoratenſis, in præfat. libri de Exercitat. rhetor. ad Philippum, Comitem a Lippe, *Mencelius* in præfat. Paſtoralis Lutheri per Portam, editionis primæ, & *Quenſted.* in Eth. paſtor. p. 35. Neque tamen pro infallibili ſeu tali eſt habenda, quæ nullum habeat erratum: nam nec ipſe Lutherus hoc ſibi tribuit, nec alii, quotquot veritatem amant. Vide *Matheſ.* conc. XIII. de vita Lutheri p. 144. *auctorem præfat.* in Biblia vinar. ſub finem, & *præfat.* meam operibus Sauberti poſthumis præmiſſam. Vnde patet, quod verba D. *Hoë* in præfat. Bibliis Lutheri germanicis Luneburgi A. 1660. editis præfixa, neminem Lutheri verſionem reprehendere, multo minus unquam corrigere poſſe, daſs niemand D. Lutheri verſion mit guten gewiſſen tadeln, viel weniger in ewigkeit verbeſſern könne, non abſolute & ſimpliciter, ſed reſtricte & ſecundum quid ſint intelligenda. Inter correctiores Bibliorum Lutheri germanicorum editiones ſunt Luneburgenſis A. 1663. Stadenſis A. 1690. Schleuſingenſis A. 1691. in 4, & Lipſienſis A. 1694. in fol. Gloſſæ ſeu Notæ marginales magnam partem ſunt Georg. *Rorarii*, teſte *Placcio* de Anon. 432.

Martinus *Lutherus*, islebienſis, primum ſtudioſus iuris, deinde monachus ordinis auguſtiniani, Doctor & prof. theologiæ wittebergenſis, vir eruditus, cordatus, facundus, fervidus in precibus, laborum tolerans, pecuniæ contemtor, iramque, ad quam pronus erat, moderare ſtudens, A. 1517. factus religionis reformatæ (ut Guil. *Cave* loquitur) dux atque anteſignanus, e cuius unico ſcriptorum folio, *Eraſmo* iudice, plus quam ex omnibus *Thomæ* ſcriptis addiſci poteſt, quique gratis docuit, licet ſalarium haberet 200. tantum florenorum, (Biblioth. *Schrader.* P. I. Aa 4.) pie obiit Islebiæ A. 1546. ætat. 63. honorifice Wittebergæ ſepultus. Eruditorum de eo iudicia vide apud *Magirum* 538. *Blount* 540. & *Ancillon.* Melange crit. P. 2. 341. Quibus adde Vrb. *Rhegii* part. 2. Opp. lat. p. 80. *Copii* præfat. Explicat.)( )(epiſt. ad Galat. 1. *Moſellan.* apud Schilter. de Libert. eccleſ. germ. 847. *Palatin. theolog.* Gegenbericht von dem Colloq. maulbrun. 204. *Eraſmum* in Epp. p. 601. 603. 613. *Micræl.* Synt. hiſt. 764. *Olear.* Biblioth. S. E. part. I. 453. *Wharton* Append ad Hiſt. lit. Cavei 138. & *Sonntag.* diſp. de præcip. quibusdam ſec. XVI. & XVII. theologis lutheran. De familia autem Lutheri Biblioth. *Schrader* P. I. Y. Scripta tamen eius legenda ſunt, prout

prout ipſe vult, cum iudicio & multa miſeratione: idemque aliquando ad Capitonem ſcripſit, nihil ſibi ſuorum ſcriptorum placere, præter Catechiſmum & librum de Servo arbitrio.

XI.

Dat onde Teſtament düdeſch. M. LVTHER. Wittenberch. 1528. Vetus Teſtamentum germanice, per Mart. LVTHERVM. Cum aliquot figuris. Sed de hoc non niſi V. libri Moſis hic adſunt.

Dat Nyge Teſtament tho Dude. Novum Teſtamentum germanice, per eundem LVTHERVM. Wittebergæ 1523. Cum variis figuris, præcipue in Apocalypſi Iohannis. De aliis Bibliorum ſaxonicorum, ſeu dialecto Inferioris Saxoniæ expreſſorum, editionibus videantur *Kortholt* de Variis ſcript. editionibus p. 344. & *Le Long* P. II. Biblioth. bibl. 247. Nec huius tamen, vel præcedentis libri mentionem facit *Le Long*. Interpres fortaſſe fuerit Io. *Bugenhagius*. Immo hunc ipſum eſſe adfirmat El. *Frickius* in Append. Lutheraniſmi ſeckendorfiani p. 2720. & patet ex ſequentibus, eiusque Biblia ſaxonici idiomatis Lubecæ A. 1533. ait cœpiſſe imprimi.

XII.

Biblia, dat ys, de ganze hillige Schrifft, dudeſch. D. M. LVTHER. Biblia Lutheri Saxoniæ inferioris idiomate. Magdeburgi 1578. Cum Annot. Io. BVGENHAGII. a quo etiam verſa ſunt, in libros quosdam biblicos, & Summariis Viti DIETERICI in V. T. Neque etiam huius editionis mentio fit a *Le Long* in Biblioth. bibl. P. II. 246. & ſeqq. Eadem Biblia recognita, emendata & elegantiori ſtilo reddita ſunt a Dav. *Woldero*, Hamburgi 1596. fol.

Io. *Bugenhagen*, Iulino pomeranus, primum rector ſcholæ, deinde eccleſiaſtes in Ducatu natali trepovienſis, hocque munere ob Pontificiorum perſecutionem relicto, profeſſor theol. wittebergenſis, & poſt impetratum Doctoris titulum etiam paſtor eccleſiæ wittebergenſis, & electoralium Superintendens, ad reformandum eccleſiam ſcholamque Ducatus brunſvicenſis, & hamburgenſes, conſcribendamque Ordinationem eccleſiaſticam Brunſvicenſium atque Hildeſienſium, & inaugurationem regis Daniæ CHRISTIANI ac VII. epiſcoporum adhibitus, Germaniæ evangeliſta, & Pome-

Pomeranorum apoſtolus dictus; exaravit Annotationes in Deuteronomium, libros Samuelis, Pſalmos, Ionam, & in epiſtolas ad Gal. Epheſ. Philipp. Coloſſ. Theſſal. Timoth. Tit. Philem. & Ebræos. Feſtum translationis Bibliorum quotannis celebravit, deque vita academica dixit, ſe non amare tyrannidem, ſed æquabilem ariſtocratiam, in qua fieri poſſit collatio iudiciorum cum bonis & doctis viris, tandemque obiit A. 1558. æt. 73. M. *Adam.* in Vitis theol. 311. *Cramer* Hiſtor. pomeran. eccleſ. l. 3. c. 33. *Cren.* de Singular. ſcriptor. 60. I. *Moller.* ad Bartholin. de ſcriptis Danor. 261. *König* 141.

Vitus *Dietericus*, ſeu Theodorus, noribergenſis, primariæ in urbe patria ædis paſtor, Andr. *Oſiandri* pro concione factas ſugillationes, *Melanchthonis* conſilio, patienter ferens, ſilentioque hoſtem ſuperans, concinnavit librum de Officiis paſtorum, Inſtitutionem vitæ chriſtianæ, Modum orandi, & Sententias conſolatorias; in primis autem utilem eccleſiæ operam navavit colligendis expoliendisque Lutheri commentariis in prophetam Micheam, atque in prima XI. Geneſeos capita, ita ut totam ab ipſo ſic abſolutam optaverit cum aliis *Calvinus.* Ad plures vero abiit A. 1549. *König* 246. M. *Adam.* 199. *Melanchth.* T. V. Epp. 254. *Selneccer.* præfat. in comment. in Gen. a

XIII.

Io. DIETENBERGERI Biblia germanica, cum annotationibus. Moguntiæ 1534. Excuſa etiam ſunt Moguntiæ A 1603. 4. Coloniæ 1702. f. & 8. Noribergæ 1705. at Caſp. *Vlenbergii* Biblia germ. prodiere Coloniæ A. 1630. recuſa Bambergæ 1705. f. & 8. De dietenbergeriana hac verſione vide *Le Longi* Biblioth. S. part. 2. 190. *Hottinger* Biblioth. 153. *Dilherri* Vitas Chriſti, eiusque apoſtolorum, p. 688. *Dannhauer.* Hermeneut. S. 15. & *Zeltner.* de Nov. Bibl. verſion. german. 5. Notabis autem, idiomate eam bavarico, quod ipſi fortaſſe translatori pulcrum videbatur, deturpatam eſſe.

Io. *Dietenbergerus*, ſic dictus a natali moguntinæ diœceſeos vico Dietenberg, dominicanus, theologiæ D. & in ſuo monaſterio profeſſor, hæreticæque pravitatis inquiſitor, ſcripſit Frænum Lutheranorum, item de Diuortio, & contra Lutherum de Votis monaſticis, ſuamque Bibliorum verſionem Lutheri verſioni oppoſuit

ſuit (ſicut *Eccius* verſionem V. T. & *Emſerus* ſuam N. Tti, uterque iuxta vulgatam: de quibus vide *Le Long* P. II. 192. 197.) illamque per calumniam vocat *elymaſiticam*, tum in epiſtola dedicator. ad Electorem moguntinum, tum in præfatione ad lectorem, & obiit A. 1534. *Sixtus* ſen. l. 4. p. 330. & Nic. *Serar.* Rer. mogunt. l. 1. c. 40. Melch. *Zangerus* A. 1605. in libro ſuo, quem inſcripſit Warhafftige und augenſcheinliche Erweiſung, welcher geſtalt Mart. *Lutherus* die H. Schrifft den hauptſprachen, und der gantzen catholiſchen Kirche theologiſchen verſtand zu wider, an unterſchiedenen orten ungleich verdolmetſchet, itidem Lutheri verſionem exauctorare, Dietenbergianam vero evehere non dubitavit. Verum hæc ipſa tamen non formata eſt ad fontem ebraicum, ſed vulgatam verſionem, prout auctor ipſe indicat in præfatione ad lectorem, ut & in allocutione lectoris, calci libri ſubiuncta. In N. Tti translatione ſecutus eſt Emſerum. *Kortholt* de Var. Scripturæ editi-on. c. 25. *Le Long* P. II. 191. Meliorem autem eſſe Lutheri noſtri verſionem, ex eius collatione cum Dietenbergiana oſtendit *Calovius* in Præloq. ad Bibl. illuſtr. p. 7. 8. Adde *Glauch.* de Vſu concordant. 143. Sæpe etiam in explicatione epiſt. petrinæ Euangelicis iniuriam facit, uti *Koslerus* oſtendit in Bello relig. S. Petri & Papæ rom. p. 323.

XIV.

BIBLIA GLOSSATA Noribergenſia, alias dicta VINARIENSIA. Noribergæ 1703. Hæc editio eſt ex correctis; mendoſiſſima autem illa, quæ prodiit A 1670. Primæ editioni A. 1642. fuit a typographo ſubiuncta D. Dan. *Crameri* Arbor hæret. conſanguinitatis cum Declarationibus. De quo Io. *Muſaus* in Vindic. horum Bibliorum p. 292. Editioni A. 1686. accedere debebant ſereniſſimorum Principum lineæ vinarienſis-gothanæ imagines, affabre in æs inciſæ, ſed certam ob cauſam cum exemplaribus non venduntur: in noſtra autem viſuntur imagines ſer. ERNESTI III. Pii iure meritoque dicti, & ſer. FRIDERICI X. eius filii: ne quid de Lutheri effigie dicam, quæ & ipſa ſequitur. In præfatione, cuius auctor eſt Sal. *Glaſius*, agitur iuxta dictum apoſtoli Pauli 2. ep. ad Timoth. 3, 14-17. de S. ſcripturæ nomine ac titulis, eius vi & efficacia, & modo eam legendi: docetur etiam, ſcopum

huius

Digitized by Google

huius operis fuiſſe, illiteratis, qui originalium linguarum & artium notitia carent, eo potiſſimum inſervire. Poſt præfationem ſequitur biblicorum menſium, menſurarum, ponderum, monetarum, & ulnarum collatio cum noſtris; ſingulis capitibus præmittuntur a uſus a *Glaſſio* concinnati, & in fine exhibentur Symbola œcumenica, cum narratione de aug. Confeſſ. & ipſa etiam hæc Confeſſio. Biblia hæc dicuntur *Noribergenſia* a loco impreſſionis; *Vinarienſia* autem, ab auſpiciis Ducum Saxoniæ vinarienſis lineæ, in primis vero ſer. ERNESTI Pii, cui ad hoc opus auctor ſuaſorque fuit M. Sigismundus *Evenius*, antehac halenſis & magdeburgenſis ſcholæ rector, poſt huius autem urbis excidium atque e Livonia reditum conſiliarius ſcholaſticus vinarienſis. Gloſſæ non ſunt unius hominis, ſed variorum theologorum & miniſtrorum eccleſiæ: de quibus videantur *Calovius* in Prolegom. in Biblia illuſtr. 13. Io. Frid. *Mayer* in diſſert. ſelect. p. 429. *Tentzelius* in Colloq. menſtr. A. 1693. 816. & Supplem. Hiſt. goth. 897. V. E. *Löſcher* in Relat. innoc. A. 1704 398. & A. 1708. 103. *Vockerodt* in Exercit. acad. 28. *Placcius* de Anonymis 415. *Acta erudit.* A. 1711. 184. *Eyring* in Vita ERNESTI, Ducis Saxon. *Heumann* de Anon. & pſeudon. 184. Car. *Arnd* Continuat. Biblioth. bibl. Mayeri 15. & Io. Franc. *Meier* in diſſert. epiſtol. de pſeudon. & anon. Quoniam vero auctorum iſtorum indices quibuſdam in locis variant, haud ingratum erit lectoribus, ſi & meum cum ipſis communicavero.

Nimirum Geneſeos librum enarraſſe fertur D. Io. *Gerhard*, theol. prof. ienenſis: Exodum M. *Ilſchner*, archidiaconus ſondershuſanus: Leviticum D. *Elſner*, theol. prof. publ. Erfurti: Numeros D. *Zapfius*, theol. prof. publ. Erfurti: Deuteronomion D. *Groſſchain*, concionator aulicus vinarienſis: Ioſuam, Iudices & Ruth M. *Mylius*, concionator aulicus cranichfeldenſis: Samuelis libros M. *Hubmaier*, ſuperintendens heldburgenſis: Regum libros M. *Moſe*, archidiaconus ordruvianus: Paralipomena M. *Muller*, archidiaconus ienenſis: Eſdram, Nehemiam, Eſtherem, M. Paul. *Stevogt*, LL. oriental. prof. ienenſis: Iobum Io. Mich. *Dilherr*, theol. & philoſ. prof. ienenſis: Pſalmos, Eccleſiaſten, Proverbia D. Sal. *Glaſſius*, theol. prof ienenſis. Vide eius Philol ſacram p. 1491. Eſaiam D. *Weber*, ſuperint. ordruvianus: Ieremiam & Threnos M. *Kromayer*, ſuperint. generalis vinarienſis: Ezechielem D. Andr. *Kesler*, ſuper-

ſuperint. coburgenſis: Danielem D. Io. *Gerhard:* Hoſeam, Ioël. Amoſ. Obadiam M. *Thilo*, archidiaconus gothanus: Ionam, Mich. Nahum, Habacucum M. *Schunck*, ſuperint. waldershuſanus: Sophon. Hagg. Zachar. Malachiam M. *Evenius*, conſiliarius ſcholaſticus in Ducatu ERNESTI Pii: Iudith, Sap. & Tob. D. *Kesler*: Eccleſiaſticum ſeu Siracidem D. *Mengering*, concionator aulicus altenburgenſis: Baruch, Maccab. II. Hiſtoriam Eſtheris, Suſannæ, Daniel. Belis, Draconis babylonici, orationem Aſariæ, trium virorum, & Manaſſæ, item Eſdræ III. & IVtum, nec non Maccab. III. D. *Kesler:* Matthæum M. *Prætorius*, ſuperint. ſchleuſing. Marcum & Lucam M. *Cellarius*, ſuperint. ſmalcaldienſis: Iohannem D. *Glaſſius*. Vide Spizel. Templum hon. 220. & Wittei Memor. theol. 1210: Acta apoſtol. D. Io. *Maior*, prof. theol. & ſuperint. ienenſis: epiſtolam ad Rom. M. *Lipach*, ſuperint. neuſtadienſis: II. ad Corinthios D. Io. *Himmel*, theol. prof. ienenſis: epiſtolas ad Galat. Eph. Philipp. & Coloſſ. M. *Sutorius*, ſuperint. eiſenbergenſis: epiſtolas ad Theſſal. Timoth. & Titum M. *Grebius*, regiomontanus: epiſt. ad Philem. & II. Petri M. *Seilerus*, archidiaconus vinarienſis: III. Io. D. Io. *Maior:* epp. ad Hebræos, Iacobi & Iudæ M. *Neander*, paſtor lobſtettenſis: Apocalypſin D. Io. *Gerhard.* Et reviſores totius operis fuere D. Io. *Maior*, D. Io. *Gerhard*, D. Io. *Himmel*, & *Dilherrus*.

Paraphraſis hæc cum illa, quæ Lucæ *Oſiandri* eſt, unde etiam noſtri, teſte *Bibliotheca* Schraderiana A. 8, ſua depromſerunt, coniuncta, *Calovii* iudicio in Prolegom. ad Biblia illuſtr. p. 13, non raro integris præſtat commentariis, & ob ſedulam locorum parallelorum collationem multum ad ſenſum Scripturæ enucleandum facit. Plura ſi noſſe cupis hoc de opere iudicia, adi, ſi placet, *Hülſemann.* Prælect. in Form. concord. 239. Io. *Muſæi* præfat. in tract. de Converſione, Io. *Schefferum* in Crenii Methodor. tomo II. 450. Rich. *Simon.* Hiſt crit. V. T. l. 2. c. 23. p. 337. & *Bibliothecarium* nulli parti addict. 183. 973. At neutra tamen iſtarum paraphraſium iuxta fontes inſtituta eſt, fatentibus in præfatione Vinarienſibus, ſibi iniunctum fuiſſe, Lutheri verſionem intactam relinquere, nec eam ad fontium cynoſuram examinare. Vitus *Erbermannus*, ieſuita, impugnavit quidem præſentem; ſed Io. *Muſæus* eam contra illum defendit in Bibliorum gloſſatorum Vindiciis. Et I. M. *Kraft* in Emend. & corrigend. quibuſd. Hiſtoriæ ver-

Digitized by Google

verſion. german. Lutheri Mayerianæ p. 3. notat, gloſſas quaſdam Lutheri marginales ab hiſce Vinarienſibus mutatas & exterminatas eſſe. Denique indicanda ſunt errata, quæ alii pro talibus habent.

Gen. 11, 2. *ex Armenia.*	*Ab oriente.* Iac. *Rauppius.*
25, 18. Et ipſe *cecidit*, i. e. mortuus eſt.	*Accidit* ei, ſcil. habitatio. Ger. *Titius* Animadverſ. exeget. C 3.
31, 7. *Decies*	*Sæpius*, ut *Num.* 14, 22. *Vatablus.*
Ex. 17, 16. *Hoc altare eſt ſignum, Deum iuraſſe per ſolium* ſeu maieſtatem ſuam.	Quum *manus mea erat verſus thronum Dei* ſeu cœlum, *bellum erat Domino contra Amalek*, idque erit deinceps, usque dum deleatur memoria Amaleki. *Starck* in Obſervat. bibl.
Ex. 23, 19. *Ne coquito hœdum in lacte matris ſuæ.* (ne offeras illum in ſacrificium, aut domi mactes & coquas ante octavum a nativitate diem)	Licet ante diem a nativitate trigeſimum non offerretur Deo victima, tamen a die octavo idonea erat ad offerendum. Sed an hebræa phraſis hoc velit, vehementer iudæi ambigunt, qui *prohiberi hic carnes cum lacte coctas* conſtanter aſſerunt. Theodor. *Daſſovius* diſp. de S. codicis interpretib. vinarienſ. §. 3.
25, 2. Offerant mihi oblationem, ein Hebeopffer. (*munus, quod in altum tollebatur*) Confer *Ex.* 35, 5.	Hebræum vocabulum תרומה *Truma* nihil aliud quam *ſeparationem* ſignificat, quod ea, quæ ad fabricam dabantur tabernaculi, a rebus domeſticis ſeiungerentur. *Idem* §. 4.
28, 6. Amiculum hoc faciendum curabis ex filis *ſericis*.	Immo ex *laneis*. Ex talibus etiam fieri debebant aulæa. *Ex.* 26, 17. *Idem* §. 5.
Lev. 13, 45. *Retecto capite* incede-	Caput potius *in luctu* apud eos debe-

re, erat *ſignum luctus* apud iudæos.

debebat *tegi:* & hinc etiam leproſos oportuit tecto incedere capite. *Idem* §. 6.

Levit. 14, 6. Intingat illa ſimul cum avicula viva in aviculæ ſanguinem (ita tamen, *ut non ſuffocetur in aqua*)

Hoc periculum non erat metuendum, quandoquidem non caput avis, ſed *ala & cauda immergebantur. Idem* §. 7.

23, 14. Aut ſpicas virentes ne comeditote (*extra hunc caſum non erat prohibitum* deambulando ſpicas recentes evellere.)

Immo *ante tempus hic definitum*, non licebat vel demetere fruges, vel edere ſpicas virentes. Et vocabulum כרמל *Carmel* ſignificat ſpicam virentem hic prohibitam. *Idem* §. 8.

17. Ex habitation. veſtris affertote panes agitationis duos (*ſinguli patres familias duos panes* adferre debebant, peregrini autem, feſtum celebraturi, *iſtos panes poterant emere* Ieruſalemi, ſicut & hoſtias.

Non niſi duo panes fuere oblati, iique cum duobus agnis. Atque iſti panes *ſumtibus publicis parabantur*, tanquam munus publicum, adeoque a patribus familias offerri non poterant; *multo minus emi:* quia extra atrium ſacerdotale, ubi parabantur, exportari nequibant. *Idem* §. 9.

40. Termitibus arborum *ſpecioſarum* (vireſcentibus ramis) ſpathis palmarum, & ramis arborum denſarum cum ſalicibus torrentis (*qui maxime idonei ſunt ad fabricam tabernaculorum*)

At *arbores ſpecioſæ* erant ſingularis ſpecies arboris. Atque illi frutices *geſtabantur manibus*, in ſignum lætitiæ, non vero debebant inſervire exſtructioni tabernaculorum. *Idem* §. 10.

25, 2. *Horti tamen excipiebantur.*

Negat *Lundius* in Sacris iudaic. 1072.

Deut 24, 13. Vt in veſte ſua dormiat (*ut eo quietius dormiat*, ſi pignus ſuum, quo carere non poteſt, ante noctis adventum recipit.)

Licet pignora non reſtituerent Ebræi, tamen ſi vel *veſtis*, vel *utenſilia adium* ablata eſſent, ea ipſa *reſtituebantur. Idem* §. 11.

Vtrum-

Digitized by Google

Deut. 26,12. Statuitur, omnes decimas datas Levitis fuiſſe anno primo & ſecundo, ſed anno tertio, præter decimas ordinarias, datas fuiſſe *pauperibus decimas alias.*	Vtrumque inficiantur ebræi: ſiquidem anno primo & ſecundo non omnes decimæ, ſed tantum *decima prima* porrigebantur Levitis; *decima ſecunda* autem *in eſum cedebant patribus familias*, & cibus erant ſanctus: anno autem tertio & ſexto, ſecundarum decimarum loco dabantur decimæ pauperum. *Idem* §.12.
1. *Sam.* 7,16. Kiriath Iearim,	Intelligenda eſt *Bethel. Rauppius.*
1. Reg. 1,3. Vt ei *coniugio* copularetur.	Fuit *ſerva*, ad calefaciendum. *Abulenſis*, *Munſterus*, *Tarnovius* Exercit. bibl. 62.
18,17. Qui *novitates invehis in religionem?*	Qui *tantam ſiccitatem & famem in Iſraëlem immittis*: vel, qui cauſando famem, populum iſraëliticum magno dolore & triſtitia afficis. *Ioſ.* 7,25. *Rauppius.*
32. Tantæ capacitatis, ut *dua frumenti menſura ibi potuerint ſeri.*	Tantæ capacitatis vel latitudinis, *quanta eſt ſaccus duorum ſatorum capax. Rauppius*, & *Glaſſius* Philol. S. p. 668.
Mich. 5,2. 1. *Chron.* 13,20.	- - v. 1.
Act. 15,11. Nempe *omnes fideles* inde usque a mundo condito.	Quemadmodum & illi, *qui e gentibus ſunt. Gloſſa ordinaria*, & G. *Calixtus.*
- - 22,3. Ego *ut diſcipulus* huius præclari doctoris ſcholam frequentavi, atque ad pedes eius inferiori in loco ſedi.	Loquitur Paulus *de victu*, & dicit per extenuationem, ſe quaſi ad pedes magni doctoris Gamalielis abiectum cum eo cibum captaſſe: Pauli enim ætate nondum mos erat introductus, ut diſcipuli proiecti in ſolo operâ darent præceptoribus ad eorum pedes. *Wagenſeil* in Sota c. 9. p. 994.

Digitized by Google

XV.

Biblia STATVVM GENERAL. belgica, de STATEN-BIBEL, ex decreto Synodi nationalis dordracenæ, cum Annotationibus. Dordraci 1700. Hæc editio priori, quæ prodiit A. 1637. eſt correctior, in eaque exhibentur aliquot tabulæ, videlicet ad c. 3. Gen. ſitus paradiſi, terra Canaan, & regiones a primis patriarchis habitatæ: ad c. 10. globus terraqueus: ad c. 33. Numer. peregrinatio Iſraëlitarum, cum terra Canaan: ad c. 3. Nehem. urbs Hieroſolyma, cum templo & habitu ſacerdotum, atque inſtrumentis ſacris: ad c. 1. Matthæi terra Canaan peragrata a Chriſto, eiusque apoſtolis: ad c. 1. Actor. apoſtol. regiones ab apoſtolis, eorumque ablegatis peragratæ. Ceterum de hoc opere vide *Benthemii* Statum holland. eccleſ. & ſcholar c. 7. *Hulſemann.* Meth. ſtud. theol. 291. *Pfeiffer.* Theſ. hermen. 520. Io. *Olear.* Elem. hermen. S. p. 13. *Kortholt* de var. Script. edition. 350. I. Fr. *Mayer.* Biblioth. bibl. 133. *Wittich* Theol. pacif. Append. 124. *Le Long Boerneri* P. 2. Biblioth. S. 280. Illuſtriſſimi Status Generales provinciarum unitarum, in decreto A. 1637. d. 29. Iulii facto, huicque volumini præmiſſo, authenticam declarant (authoriſeeren) & adprobant hanc verſionem, ita ut in eccleſiis & ſcholis ſuarum provinciarum poſſit recipi, tractari, & ad uſum transferri. Sed & de de auctoribus & reviſoribus huius operis quid dicendum eſt. Enimvero ad translationem V. T. adhibiti ſunt Io. *Bogermannus*, Wilh. *Baudartius*, Gerſon *Bucerus*: ad N. T. & Apocryphorum translationem Iac. *Rolandus*, Pet. *Cornelii*, Herm. *Faukelius*; ad reviſionem V. T. Ant. *Thyſius*, Io. *Polyander*, Pet. *Plancius*, Arn. *Teckmannus*, Iod. *Latenus*, Sibr. *Lubberti*, Iac. *Revius*, Fran. *Gomarus*: ad N. T. & apocryphorum reviſionem, Sebaſt. *Damman*, Feſt. *Hommius*, Gooſſ. *Goldorpius* Lud. Ger. *Van Reneſſe*, Ant. *Walaus*, Bern. *Fullenius*, Io. *Langius*, Vbbo *Emmius*, Io. *Caperroos* Vide *Placcium* de Anon. 484. & *Benthem* c. 7. p. 241. Et quamvis hæc verſio magnam laudem mereatur, clariſſimique *Actor. erudit.* collectores lipſienſes ad A. 1696. p. 12. eam cum nulla non recentiorum de palma contendere poſſe iudicent, non tamen ab erroribus plane immunem eſſe, credendum eſt. Tales obſervarunt atque annotarunt Iul. *Sterringa* in Animadverſionibus philologico-ſacris in Pentateuchum, quæ recenſentur in *Actis eruditorum*

Digitized by Google

torum A. 1696. 12. Claſſis theologorum *leovardiana*, *Walenburchii*, T. 1. Opp. 702. *Epiſcopius*, *Curcellaeus*, prout ſtatim percipiemus, & ipſe, licet temerarium huius verſionis publice cenſendæ morem in oratione, qua profeſſionem auſpicabatur ſuam, improbaverit, celebris franekeranæ academiæ doctor, *Vitringa*. En igitur errata, eorumque correctiones, quantum obſervare in ſcriptis licuit.

Gen. 1, 16. Tot heerſchappjie des daeghs - tot heerſchappjie des nachts.	Dat den dagh - dat de nacht regeert. *Epiſcop.* T. I. opp. a. 278.
2, 7. Hadde *geformeert*	Hadde *gemaeckt*. *Idem* ibid.
18. Ick ſal hem eene hulpe macken, (die) als tegen hem over zy.	*Geen gedierte* en nam hem des menſchen aen by hem te zyn, dat hem holpe vermeeren en genereren. *Biblia holland.* impreſſa Dordraci A. 1584.
24. *Aenkleven*	Adhærebit uxori ſuæ, i. e. *habitabit* cum ea. *Epiſcop.* l. c.
4, 2. Een *lantbouvver*.	Een *ackerman*. *Sterringa*, in Actis erud. A. 1696. 13.
28, 13. Dit lant, daer gy *op light te ſlapen*, ſal ick u geven	Dit lant - dat ſal ick u geven. *Id.* ib. p. 14.
Exod 9. 16. *Vervveckt*	*Doen ſtaen*. In *Not.* ad h. l. id eſt, *peperci tibi*, nec vitam, prout merebaris, eripui, ut tibi tempus ad pœnitentiam concederem. *Curcellaeus* Opp. 381.
21, 8. dat hyſe *niet* ondertrouwten heeft, ſoo ſal hyſe *doen loſſen*: en ſal hy niet vermogen	Die haer aen ſich ondertrowt heeft, ſo ſal he *ſorge dragen*, dat ſe geloſt worde. *Vitringa* Obſervat. ſacr. lib. I. 678.
Deut 20, 20. Dat *ſult* gy verderven: ende gy *ſult* een bolwerck bouwen.	*Permiſſionem*, non præceptum id faciendi dat Deus.
1. *Reg* 10, 1. *Aengaende den name* des Heeren.	*Ter eeren* van Iehova. *Vitringa* 803.

Iob.2,12. Waerom zyn my *de Knien voorgekomen?*	Quare *oblatus ſum patri, nutricis genibus* impoſitus. *Schultens* in h.l.
-- 17,12. Het licht is *naby* (*den ondergangh*) van wegen de duiſterniſſe	Lux *brevis eſt* propter tenebras. *Idem*.
Prov. 16, 4. De Heere heft alles gewrocht *om ſyns ſelfs wville*	Deus omnia ſic conſtituit, ordinat & diſponit, ut *aptiſſime* inter ſe quadrent. *Epiſcop.* 381.
Eccleſ. 12, 11. (*Van*) *de meeſters der verſamelingen.*	*Zynde ſeer vaſthoudende. Vitringa* de Synag. vet. 378.
Ier. 15, 8. Ick *hebbe* (hem) haeſtelick haer doen overvallen; de ſtadt met verſchrickingen.	Et *immittam* in eam (Hieroſolymam) ſubito *alienationem mentis & terrorem*, i. e. alienationem mentis ex terrore ortam. *Schultens* in Iobi 17, 2. p. 53.
Luc. 2, 1. Van den *Keyſer* Auguſto	Van den *Cæſar* Auguſto. *Bynaeus* de nativit. Chriſti 287.
Act. 19, 3. Waer *in* zyt gy dan gedoopt?	Waer *toe* zyt gy gedoopt? *Vitringa* Obſerv. ſacr. l. 3. p. 791.
In *Argum. epiſt. ad Rom.* Soo dat d' Apoſtel in het verhandelen van de leere *houdt de ſelve ordre, die in den Catechiſmo* der Gereformeerde Kercken gehouden wert. p 76.	*Catecheſis a Paulo*, non Paulus a catecheſi, methodum mutuata eſt. Phil. *a Limborch* Theol. chriſt. l. 1. c. 11. §. 12.
In *Annot. ad verba ad 1. Cor.* 5, 5. Over te geven den Satan, D. *uyt uvve gemeynſchap te bannen*, of, gelyck Chriſtus ſpreckt Matth. 18, 17. *te houden als een heyden ende tollener.*	Nulla eſt affinitas inter has locutiones, *Habere aliquem pro ethnico & publicano*, &, *Tradere eum ſatanæ:* poſterius enim hoc fuit gravis pœna; prius vero non eſt pœna, & exercetur a ſingulis privatis, cum ſe ſubducunt a converſatione eorum, qui monita eccleſiæ ſpernunt. *Curcell.* 491.

Plura & alia videas in Tomo I. operum *Walenburchiorum*, p. 714.

XVI.

Digitized by Google

XVI.

Eraſmi SCHMIDII Opus ſacrum poſthumum, id eſt, ſacer contextus græcus N. Tti. cum verſione latina vetere, & nova Schmidii, eiusdemque Notæ & Animadverſiones in idem, & Orationes, 1. de Sibyllis, 2. de libris ſibyllinis in genere, 3. de librorum ſibyllinorum, qui adhuc extant, auctoritate. Noribergæ 1658. Opus hoc auctoris fuit ultimum, teſte *Spizelio* in Templo hon. 347. idque promiſit in præfat. Concordant. in N. T. græcum. Verſio Schmidii inter meliores numeratur a *Boſio* in Introd. in notit. ſcriptor. eccleſ. c. 6. §. 3. In prima oratione docet, X. uti quidem numerant *Varro* & *Lactantius*, fuiſſe Sibyllas, ſeu feminas vates, Deique conſiliarias, ſive Dei arcanorum participes (eſt enim Σιβυλλα quaſi θεοβȣλη, cum Dores & Æoles pro Θιός Σιός dicant) videlicet perſicam, libycam, delphicam, cumæam, erythræam, ſamiam, cumanam ſeu amaltheam, quæ tamen, iuxta auctorem, eadem eſt cum cumæa, helleſponticam, phrygiam, & tiburtinam: nobiliſſimam autem & antiquiſſimam erythræam, quæ Iapheti uxor fuerit: in ſecunda, cumæam fuiſſe illam, quæ Tarquinio, non Superbo, ſed Priſco primum novem, deinde ſex, & denique tres duntaxat divinationum libros, non indicans, quid iis contineretur, pro 300. aureis philippeis venales obtulit, & accepto pretio tradidit: hiſce libris in delubro Iunonis, quod erat in templo Iovis capitolini, cuſtodiendis, initio duumviros, inde Xviros, poſt XVviros, denique XLviros, eosque ſacerdotes, conſtitutos fuiſſe, usque dum *Stilico*, HONORII Imp. ſocer, ſeditionem in generum concitaturus, eos, adverſis in rebus atque in magnis calamitatibus alioquin inſpici ſolitos, A. C. 399. abolendos curavit; interim manſiſſe octo libros ſibyllinos græce ſcriptos, qui hodie adhuc ſuperſint, quanquam imperfecti & confuſi, in ſacris, politicis, & communi vitæ ſtatu monita dantes, ortique ex illa carminum ſibyllinorum collectione, quam AVGVSTVS Cæſar anno ante Chriſti nativitatem XVI. omnibus illis in locis, ubi Sibyllas fuiſſe inaudiverat, fieri iuſſit: in tertia, hos ipſos octo libros, ſi auctoritatem reſpicias, ſibi videri genuinos, ſeu a variis Sibyllis profectos. Plura de Sibyllis & ſibyllinis carminibus reperies in Rich. *Simonii* Biblioth. choiſ. P. 1. 55. l. Alb. *Fabricii* Biblioth. gr. l. 1. c. 29. *Cavei* Hiſt. lit. P. I. 25. *Coteleii*

rii Iudicio de Clementis poſt. epiſt. 182. & Pet. *Petiti* lib. de Sibylla. Iam producemus aliqua, quæ alii notarunt in libro præſente.

Matth. XI, 23. c. p. 190. S. ſcriptura vocabulum *ᾅδης tantum de loco cruciatibus damnatorum*, adeoque impiis tantum & diabolis parato, accipit. Sic in Symbolo apoſtol. *κατῆβη εἰς ᾅδου.*	ᾅδης æque, ut *Scheol*, eſt *ſtatus animarum poſt mortem*, homini per naturam incognitus: eoque etiam pervenit anima Chriſti a corpore ſoluta. *Grabe* ad Vrb. Regii Form. caute loq. 189. *Pearſon* Expoſit. ſymb. apoſtol. 414. *Hiſtoria* ſymb. apoſt. (in Actis erud. A. 1704. 59.) p. 150.
Ibid. III. ſignificat *ſepulchrum*; ſicut & Hebræi voce שאול modo infernum, modo ſepulchrum intelligunt. *Act.* 2, 27. 31. ex *Pſ.* 16, 10.	Neque hoc aſſertum firmo ſtat talo, *nec loca ſcriptura adducta de ſepulcro* ſunt intelligenda. *Grabe* 243. *Pearſon* 448.
Io. 18, 28. p. 746. Ne polluerentur, *ingreſſi in locum iudiciis politicis deſtinatum.*	Hanc rationem *reiicit Bynaus* de Morte Chriſti lib. 3. p. 10.
Act. 27, 9. p. 962. Notatur hic *ieiunium privatum* nautarum horum, quibus ob continuos aliquot dierum periculoſos labores, cibum capere non vacaverat.	*Negat* I. H. *Lederlinus* diſp. in h. l.

Er. *Schmidius*, Delitii in Miſnia natus, primum ſcholæ Lentſchovienſis in Hungaria moderator, poſtea græcæ linguæ & mathematum prof. Wittebergæ, atque alumnorum electoralium ephorus, dedit etiam Pindari opera cum notis ſuis: diſſertationem de Calendarii emendatione: tractatum de principalibus Græcorum dialectis: Centurias præcipuarum falſitatum, incommoditatum, confuſionum & defectuum, in libr. grammatic. Io. *Rhenii* occurrentium: Orationes in obitum *Taubmanni* ac Dav. *Rungii*, & alia, obiitque A. 1637. æt. 67. *Witte* in Diar. biograph. Ll 3. & Memor. philoſophor. 405. *Spizel.* Templ. honor. 349. In verſione & notis ſuis ſæpe, modeſte

Digitized by Google

deſte tamen, nec ubi neceſſitas poſtulat, a Lutheri verſione abit: etſi enim, ſunt verba *Welleri* in præfatione, profeſſione & officio theologum non egerit, pietate tamen tanta erat, ut eruditione illa profunda ſua in græcis literis non ad invehenda ſchiſmata, aut in præiudicium theologicarum rerum uteretur. Gratulor igitur (ſic ille pergit) noſtro ſeculo, cui adeo doctas notas typo exſcriptas elegantiori videre licebit. Ger. *Titius* in not. ad diſp. II. Theſ. theol. eundem vocat virum priſca eruditione & fide; *Academia vvittebergenſis* in progr. fun. modeſtum, abſtinentem, mitem. Quibus adde *Grabium* in Append. ad Vrb. Regii Form. c. I. 170. *Morhof.* Polyh. l. 4. c. 6. p. 75. I. Alb. *Fabricium* Biblioth. gr. l. 4. c. 5. p. 199. & *Raphel.* Præfat. in Annot. philol. in N. T. e Xenoph. collectas. Fuit hoſtis hebraiſmorum, ſed non omnium; conceſſit enim eos in dictis ex V. T. in novo allegatis, in ceteris autem illud pure græcum, exceptis quibusdam, aſſeruit. Sic enim ſe explicat ad Matth. 4, 4.

XVII.

Ioh. BVXTORFII patris, Concordantiæ bibliorum ebraicæ, cum Concordantiis chaldaicis, & filii cognominis præfatione. Baſiliæ 1632. eodemque anno Lutetiæ Pariſ. niſi forte eadem eſt editio, mutato duntaxat loci nomine. Concordantiis iſtis locus quæſitus quaſi in momento oſtenditur, Lexici ebraici omnibus vocibus flexibilibus completi forma abſoluta proponitur, & Maſora ſive critice perfecta, quoties, qua forma, quo libro, capite, & verſu unaquæque vox declinabilis in textu ebræo inveniatur, numerato traditur. Præfatio eſt inſignis & prolixa, qua oſtendit auctor, Concordantias biblicas nihil aliud eſſe, quam indicem biblicum; omnium primas fuiſſe Concordantias latinas: & quamvis illarum primus concinnator indicari certo nequeat, IV. tamen ſcriptores præcipue nominari, a quibus primordia ceperint, *Antonium* de Padua, *Hugonem* de S. Caro, *Arlottum* etruſcum, & *Conradum* halberſtadium, qui omnes ſec. XIII. claruerint: e quibus fortaſſis primus illarum faber *Hugo* fuerit carenſis, niſi forte quædam initia iam ante data ab *Antonio* patavino; reliquos autem duos inventa auxiſſe, & initium aliquod concordantiarum particularum indeclinabilium feciſſe; poſtea & alios Concordantiis operam dediſſe, nimirum

Ioannem de Segovia vel Secubia ſeculo XV, *Frobenium*, & Rob. *Stephanum*; in græco idiomate *Euthalium* rhodium A. 1300. Xyſtum *Betuleium*, Henr. *Stephanum*, & Conr. *Kircherum*; in ebraico autem R. *Iſaacum* ſive Mordechai (qui fortaſſe alterum hoc nomen aſſumſit gravi morbo decumbens, ex more iudæorum) & *Nathanem*, qui vixit ſec. XV. neque idem eſt cum R. Natahane iuſto, Lexici talmudici auctore, quippe qui floruit medio ſeculo XI. Præterea oſtenſa operis huius ratione, ſummaque Concordantiarum utilitate, (de qua etiam legendus *Franzius* in tract. de Interpret. ſcript. 52.) triplicem illarum uſum commonſtrat, quorum primus ſit, rem vel locum quæſitum oſtendere, ſecundus, Lexici vicem obire, tertius, eſſe inſtar Maſoræ perfectæ. Interpretatio latina eſt Buxtorfii patris, & vicem ſuſtinet ſelectiſſimarum illuſtrationum. Deſunt autem nomina propria, & particulæ indeclinabiles: ad quem defectum ex parte ſupplendum facere poſſunt Chriſtiani *Noldii* Concordantiæ particularum ebræo-chaldicarum, Hafniæ 1701. 4. Ceterum inter Concordantias Bibl. ebræas, quas commemorant Pet. *Terpagrius* in append. Prodromi Biblioth. ſacræ, & *Le Long* Biblioth. S. part. II. 398. nominari merentur illæ, quas dedit Marius *a S. Calaſio* Romæ 1621. f. 2. volum. quasque Rich. *Simon* Biblioth. choiſ. P. I. 259. longe præfert Buxtorfianis. Hiſce etiam, ſi titulum reſpicias, præſtant Guil. *Robertſoni* Concordantiæ hebrææ, quippe quæ Buxtorfianis locupletiores, omniaque lexica ebraica, quotquot extant, complecti dicuntur; ſed, iudice *Wagenſeilio*, methodus in iis non placet, nec citra moleſtiam & difficultatem adhibentur. Quod denique ad utilitatem Concordantiarum attinet, præter *Buxtorfium*, & ab eo citatos *Franzium* ac *Fullerum*, eam prædicat *Calovius* in prolegom. ad Biblia illuſtrata p. 15. *Hackſpan* Miſcellan. ſacr. 30. *Quenſted* Eth. paſtor. 45. & Andr. *Glauche* de Vſu concordant. bibliacar.

XIIX.

Eraſmi SCHMIDII N. Tti ταμεῖον ſeuConcordantiæ. Gothæ & Lipſiæ 1717. Prior editio prodierat Wittebergæ 1638. Quæ ſi iuxta *Le Longum* Biblioth. S. II. 403. eſt optima, quanto maiori iure dici hoc poterit de præſente, quæ ſingulari ſtudio denuo reviſa, atque ab innumeris mendis repurgata, ita concinnata dicitur, ut & loca repe-

Digitized by Google

reperiendi, & vocum veras ſignificationes, & ſignificationum diverſitates per collationem inueſtigandi, ducis inſtar eſſe poſſit? Et huic novam accedere uoluit Præfationem Ern. Salom. *Cyprianus*, in qua diſſerit de *euangelii* etymologia, varia acceptione, de cauſſa diſcrepantiæ interpretationum, & origine hæreſium, tandemque rogat fratres, ut in ſcripturis explicandis concordiæ caritatique chriſtianæ (o utinam hoc fieret ab omni parte! ſtudeant. In titulo prioris editionis prædicatur hoc Ταμειον hactenus uſitato correctius, ordinatius, diſtinctius, pleniusque: & per *hactenus uſitatum* intelliguntur Henr. *Stephani* Concordantiæ græcæ N.T. Has ipſas vero, quamvis ex typographeo Stephani prodierint, & cum eiusdem præfatione, eius tamen non eſſe, coniicit *Schmidius* in præfat. varias ob cauſſas, quæ ſunt 1. imperita multorum ſimilium vocabulorum confuſio, 2. multarum vocum amiſſio, 3. falſorum thematum conſtitutio; ne quid dicam de ſuperfluis, omiſſis, inconvenienter poſitis, tranſpoſitis extra ordinem, ac parum diſtinctis. Non male igitur locavit tempus biennii Schmidius, quod huic operi impendit reformando. Commendatur id ab *Hülſemanno* in Meth. ſtud. theol. 285. & *Morhofio* Polyh. l. 4. c. 6. p. 75. eſtque auctum a Io. Reinh. *Rub.* Relatum etiam eſt, *Gagnierum* Oxoniæ meditari Concordantias græcas V. & N. T. quarum fundamentum ponit in *Kircheri* Concordantiis ſimilis argumenti. De aliis Concordant. græcis vid. *Le Long* Biblioth. S. part II. 402.

XIX.

Frid. LANKISCHII Concordantiæ Bibliorum germanico-hebraico-græcæ. Lipſiæ 1696. Editio tertia, auctior & correctior. Priores enim in lucem prodiere A. 1677. & 1688. recentiſſimaque comparuit A. 1705. & omnes iſtæ dicuntur Erneſtinæ, quia Ser. ERNESTI Pii, Sax. Ducis, auſpiciis factæ ſunt. Certe *Agricola* & *Zeiſii* Concordantias hæ noſtræ longiſſime ſuperant. Nicol. *Haas*, paſtor & inſpector budiſſenus, novum Concordantiarum opus promiſit, ſed in publico illud nec dum eſt viſum. Præſens hoc omnes voces ebræas, & græcas LXX. interpretum, nec non germanicas verſionis Lutheri ſecundum V. & N. T., exceptis pronominibus die, derer, denen, nec non particulis für, vor, & aliis, (de quo tamen conqueritur *Boediker* de Lingua teutonica 541) item græ-

cas apocryphorum librorum continet. Valde commendatur a Mart. *Geiero* in vetere, atque ab alio viro docto in nova præfatione, item a *Kromayero* in Lankiſchii programm. fun. ob collationem verſionum & linguarum originalium, quæ hic tanquam in compendio exhibentur.

Frid. *Lankiſch*, eruditus Philoſ. magiſter, & celebris pariter bibliopola lipſienſis, ibidem quidquid mortale habebat depoſuit A. 1699. æt. 51.

XX.

SS. PATRVM, qui TEMPORIBVS APOSTOLICIS floruerunt, Opera edita & inedita, cum verſione & notis Io. Bapt. *Cotelerii*, aliorumque, & Io. *Clerici*. Antverpiæ 1698. Et in primo quidem tomo comparent 1) Epiſtola BARNABÆ, p. 15. græce & latine, cum variorum doctorum iudiciis, p. 3. & notis Hug. *Menardi*, Iſ. *Voſſii*, *Cotelerii*, & *Clerici*, omiſſis Stephani *le Moine* notis, in quibus multæ vir lectionis, non tam, iudice Clerico, illuſtravit Barnabam, quam collectanea ſua pleno effudit modio. Epiſtola ſcripta eſt ad iudæos converſos, qui, ut cum *Tertulliano* loquar, galaticantes, legem moſaicam cum euangelio coniungendam eſſe putabant, idque multis chriſtianis perſuadere audebant. Sanctus igitur Barnabas, ſive quis alius, S. Paulum imitatus, eorum doctrinam hac epiſtola it convulſum, docetque multis ſcripturæ locis & figuris, legem Moſis iam abrogatam eſſe, eique euangelium ſucceſſiſſe. 2) HERMÆ ποιμὴν, ſive Paſtor, p. 75. latine, cum variis lectionibus editionis tam cotelerianæ, quam oxonienſis, & animadverſionibus, quæ in oxonienſi occurrunt. Paſtor ille eſt liber a multis olim eccleſiis receptus, ab aliis reiectus, & *Spencero* in Annot. ad Origenis Philocal. p. 95. immo & ante eum *Clementi* alexandr. *Origeni*, & *Athanaſio* valde utililis videtur, divinitusque inſpiratus: dolendum autem, quod tantum latine ad nos pervenerit. In prima parte agit de viſionibus, quæ concernunt ſtatum eccleſiæ & mores chriſtianorum; in altera de conſtitutionibus ſeu præceptis pietatis, quæ paſtor ſive angelus Hermæ præſcribit; in tertia de ſimilitudinibus, X. moralia docentibus: hinc prima pars Viſionum, ſecunda Mandatorum, tertia Similitudinum nomine adpellatur. *Du Pin* T. I. de la Biblioth. eccleſ. 28. *Placc.* de Anon. 146.

Ver-

Digitized by Google

Verſio Paſtoris latina eſt Rufini. *Placc.* 148. *Chytraus* Onomaſt. theol. 860. 3) CLEMENTIS Epiſtolæ duæ, p. 143. cum iudiciis virorum eruditorum, p. 126. & notis Patricii *Iunii*, Io. *Felli*, Pauli *Colomeſii*, *Cotelerii*, *anonymi* cuiusdam, & Io. *Clerici*. In quarum priore, indubitato genuina, licet, fatente *Clerico* T. I. de la Biblioth. ancien. & mod. p. 183, quædam addita ſint ex Clemente alexandrino, auctor hortatur fideles corinthios, ut ad communionem cum paſtoribus ſuis revertantur, & virtutum exercitio navent operam; in altera (quæ fragmentum duntaxat eſt, & prius, quam prædicta, ſcripta fuerit, & de qua non nulli dubitant, (ſi non potius eſt doctrina Clementis, ab alio ex illo audita, & poſtea literis mandata) continetur exhortatio ad pœnitentiam, & virtutum opera chriſtianarum. *Colomeſius* 690. *Schwizfleiſch* Epp. arcan. T. I. p. 24. Rich. *Simon* Biblioth. choiſ. T. I. 275. Thom. *Smith* in Vita Patricii Iunii pag. 26. 4) CONSTITVTIONVM APOSTOLICARVM, quæ græce *Διδαχαι*, item *Διδασκαλια* dicuntur, libri IIX. p. 199. præcepta de vita fidelium & regimine eccleſiaſtico continentes, cum teſtimoniis & iudiciis tam veterum, quam recentiorum, itemque notis, ut *Grabe* in Spicileg. patr. & hæret. ſec. I. p. 41. vocat, aureis *Cotelerii*, qui & iudicium de iis in principio dat ſuum, videlicet, nec ab apoſtolis, nec ab apoſtolico Clemente profectas, antiquas tamen eſſe, manusque paſſas interpolatrices. Vid. etiam Card. *Bona* Rer. liturg. l. 1. c. 8. §. 4. *Caſaubonus* Exercit. XVI. 591. *Cave* 14. *Grabe* l. c. p. 40. At Guil. *Whiſton* T. VI. Doctr. prim. eccl. (uti refertur in Nov. libror. Atrio, T. III. 360.) ſibi perſuadet, eſſe ſanctiſſimum omnium N. T. librorum, dignumque qui canoni inſeratur. 5.) CANONES APOSTOLICI, p. 437. cum Guil. *Beveregii* notis, deque iis iudicio, p. 427. ex Synodico huc translatis. Exhibentur autem numero LXXVI. vel, iuxta aliorum partitionem, LXXXV. ſub variis nominibus antiquitus cogniti: nam a Synodo chalcedonenſi appellantur *οι παλαι κανονες*, a conſtantinopolitana *οι παλαιοι κανονες*, ab antiochena & *Baſilio αρχαιοι κανονες*, a nicæna, epheſina, antiochena & *Athanaſio εκκλησιαστικοι κανονες*, a *Conſtantino* & *Theodoreto εκκλησιαστικοι θεσμοι*, a *Cypriano* eccleſiaſticæ regulæ, a CPtana, CONSTANTINO & *Alexandro αποστολικοι κανονες*, nunquam vero *κανονες των αποστολων*, niſi in decreto epheſino, ubi tamen pro *αποστολων* etiam legitur *πατερων*, & fortaſſe rectius: a

CONSTANTINO vocantur etiam *αποςολικαι παραδοσεις*, & a concilio nicæno *κανονες*. Sic autem de hisce canonibus iudicat *Beveregius* p. 31. & ſeq. eos non quidem ab apoſtolis ipſis conſcriptos, vel Clementi tanquam amanuenſi dictatos, nec inter canonicos ſacrarum ſcripturarum libros recenſendos, ſed tamen a viris apoſtolicis, ſecundo a Chriſti nativitate ſeculo labente, & ineunte tertio conſtitutos, non nullos eorum a conciliis tunc dierum celebratis editos, tertio demum currente ſeculo a diverſis viris in unum corpus collectos, (unde alii plures, alii pauciores numerarunt) ſumma in eccleſia polluiſſe auctoritate, & univerſam propemodum eccleſiæ primitivæ diſcriplinam per eos adminiſtratam fuiſſe. Huic adde *Chemnit*. Exam. conc. trid. P. 3. 92. *Caſaubon*. contra Baron. 591. *Ziegler*. *Σιδηροξυλ*. eccleſ. c. 1. §. 22. *Schilter*. Inſtit. iur. canon. l. 1. tit. 2. n. 4. *Strauch*. Amoen. iur. canon. 169. 6) RECOGNITIONVM CLEMENTIS rufinianarum (ſunt enim a *Rufino* in latinum translatæ) libri X. p. 487. cum notis *Cotelerii*, alias etiam Clementis Acta, Hiſtoria, S. Petri Acta, Itinerarium, Periodi, Dialogi cum Appione dicti, continentesque narrationem de informatione Clementis a D. Petro accepta, de colloquiis Petri cum Simone mago, deque fortuna parentum & fratris Clementis. Sic ſatis antiqui ſunt, citati quippe ſub Clementis *περιοδων* nomine ab *Origene* Philocal. c. 22. pſeudepigraphi tamen ſunt, & apocryphi, fatente *Cotelerio* p. 484, compoſiti ſecundo ſeculo a viro docto quidem ac diſerto, ſed philoſopho magis & philologo, quam theologo, in excogitandis autem connectendisque fictis narrationibus plane rudi & imperito; quæque libro IX. a cap. 19. usque ad 29. habentur, ea omnia deſcripta ſunt ex *Bardeſanis* dialogo de Fato ad Imperatorem. Ceterum de Recognitionibus hisce vid. quoque *Bellarm*. de ſcriptor. eccleſ. p. 30. *Chytræus* Onomaſt. theol. 813. *Gerhardus* Patrol. 34. *Olear*. Biblioth. eccleſ. 171. *Cave* 14. & *Grabe* Spicileg. Patr. & hæret. 1. ſec. p. 275. 7) *Τακληmεντια* CLEMENTINA, p. 602. Epiſtolam S. *Petri* ad S. Iacobum, epiſcopum ieruſalemitanum, Epiſtolam Clementis ad Iacobum, utramque græce ac latine, poſteriorem autem etiam ex interpretatione *Rufini*, & Homilias XIX. de rebus geſtis, peregrinationibus & prædicationibus Petri complectentia. Vbi notandum, *ομιλιας* hic idem eſſe atque *κηρυγματα*, & *διαλεξεις* colloquia, ſermones,

Digitized by Google

mones, prædicationes, diſſertationes. Licet autem Clementina iſta nugis & erroribus ſcateant, a ſemichriſtiana philoſophia & hæreſi, præcipue ebionitica, profecta, non ſine fructu tamen legi poſſe iudicat *Cotelerius*, notarum additarum auctor, p. 601. tum propter elegantiam ſermonis, tum multiplicis doctrinæ cauſſa, tum denique ad melius cognoſcenda primarum hæreſium dogmata: idemque obſervat, in multis ea ſimilia eſſe Recognitionibus, nec ſemel in iis factam interpolationem. Et *Clericus* in operis huius præfat. exiſtimat, præſens ſcriptum eſſe hominis ebionitæ, qui vixerit ſeculo II. Epiſtolam Clementis ad Iacobum veram ab *Alteſerra* credi ac venditari miratur, aut potius indignatur cordatus *Launoius*, eique opponit multos alios, plane eximios eccleſiæ romanæ doctores, Epp. p. 687. Petri autem ad Iacobum Epiſtolam *Cotelerius* p. 602. aliam putat eſſe ab illa, quæ Photio memoratur. 8) CLEMENTINA EPITOME de geſtis Petri, p. 749. in qua eiusdem Clementis vita continetur. Videtur ex Homiliis Clementinorum, & Recognitionum libris, tum ex Epiſtola Clementis ad Iacobum, Clementis martyrio, atque narratione *Ephraimi* compoſita eſſe, per eos homines, qui doctrinæ ac pietatis ſuæ eſſe duxerunt, quidquid ſuperfluum, falſum, periculoſum videbatur, id omne aut tollere, aut mutare, & corrigere. Eſtque ter facta huiusmodi compendiaria compages, ſecundum *Cotelerii* ſententiam p. 749. & prima quidem iſta, quæ poſt Turnebum hic editur. 9) MARTYRIVM S. CLEMENTIS, p. 804. græce & latine, quod extat apud Symeonem metaphraſtem die 24. Novembris. Sed bene notat *Cotelerius* p. 804. de Clementis martyrio ſe nihil legiſſe in antiquioribus eccleſiæ magiſtris, primumque, quod ſciat, *Rufinum*, (hic autem claruit verſus ſeculi IVti finem) ſcribentem de adulteratione librorum Originis, Clementem nomine martyris donaſſe. Et *du Pin* rotunde pronuntiat, id a recentioribus græculis conſcriptum eſſe. T. I. 30. Videntur autem primi huius fabulæ fabricatores Clementem Pontificem romanum cum Fl. Clemente Conſule, & DOMITIANI Imp. conſobrino confudiſſe, ſicut *Cave Dodvvellum* ſecutus arbitratur. 10) S. EPHRAIM narratio p. 811. de miraculo, quod in puero factum eſt a S. Clemente martyre, videl. templum in profundo maris a Deo temporis momento exſtructum, proiectum ab

ab impiis idololatris martyris corpus excepiſſe, atque ad preces diſcipulorum eius aliorumque fidelium immenſi pelagi undas retrocedentes viam iis ad templum, in quo corpus martyris arcæ incluſum erat, aperuiſſe, idque per ſeptiduum ita factum quovis anno tempore certaminis ſancti martyris, puerumque quendam a parentibus ſuis eo ductum, hisce non animadvertentibus, illo in templo apud arcam remanſiſſe, & quanquam redeunte mari obtectum, ſub eoque quaſi ſepultum, altero tamen anno, cum illi redirent, viuum & valentem repertum eſſe, interrogatumque, quo medio vitam ſub undis conſervaſſet, reſpondiſſe, neceſſarium cibum ac potum affatim ſibi datum fuiſſe a beato defuncto. Hæc eſt ſumma fabulæ. Sic multa tribuuntur ſcripta Clementi, ſed ſine fundamento, quædam etiam confunduntur cum Clementinis aliis Clementis alexandrini, ut, ſi Epiſtolas ad Corinthios excipias, recte pronunciaverit acutiſſimi iudicii *Petavius* Dogmat. theol de Trinit. l. 1. c. 3. n. 7. *Clementis nomine quæ inſcripta circumferuntur, non ſunt germana.*

In ſecundo tomo 1) Teſtimonia veterum de Ignatio p. 1. 2) Præfationes *Vſſerii*, Iſ. *Voſſii* & *Cotelerii* in Ignatium. p. 5. ubi cum præfatione Vſſerii legendum eſt, quod in eius Vita narratur a Thoma *Smith* p. 88. & ſqq. 3) IGNATII Epiſtolæ genuinæ, græce & latine, cum notis *Cotelerii* & Iſ. *Voſſii*. p. 11. eæque VII. ab Euſebio memoratæ, nominatim epiſtola ad Epheſios, ad Magneſianos, ad Trallianos, ad Romanos, ad Philadelphenos, ad Smyrnæos, ad Polycarpum, in vinculis inter ferocientium militum manus & carcerum anguſtias animo præſentiſſimo exaratæ. Græcum earum debemus curæ *Vſſerii*, diligentiæque Iſ. *Voſſii*, & gratiæ ac favori ſeren. Magni Etruriæ Ducis FERDINANDI II. Huius enim permiſſu, illiusque rogatu, iſte eas ex codice MSto Bibliothecæ Mediceæ deſcripſit Florentiæ, primusque edidit Amſtelædami A. 1646 4. Londini recuſas A. 1680. 4. Priores IV. Smyrnæ, III. poſteriores Troade, dum Romam ad martyrium contendebat, ſcriptæ ſunt, continentque fidem, patientiam, & cetera, quæ ad augendum domini Ieſu cultum pertinent. 4) EÆDEM interpolatæ, etiam græce & latine, p. 45. cum notis *Vſſerii* & *Cotelerii*. Interpolatas eas (inquit *Cotelerius* p. 45.) ac depravatas fuiſſe, ſatis ſuperque demonſtrant tum veræ epiſtolæ, cum teſti-

teſtimoniis veterum ad oras poſitis, tum ex additamentis multa, quæ ad doctrinam, diſciplinam & hiſtoriam æui ignatiani pertinere nullatenus poſſunt. Interpolationes iſtæ interiectæ fuerint ſeculo VI, aut antea, ab audaculo quodam græco, & fortaſſe ab eopſe, qui Conſtitutionibus apoſtolicis ſuos adſuere centones auſus eſt, niſi clementini ignatianis ſunt vetuſtioris futuræ. 5) EIUSDEM Epiſtolæ ſuppoſititiæ, p.99. græce & latine, cum notis *Vſſerii*, Iſ. *Voſſii*, & *Cotelerii*, nimirum epiſtola *Mariæ* caſſobelitanæ ſeu potius caſtabalenſis, ſic dictæ a Caſtabali, Ciliciæ urbe, ad Ignatium: epiſtola *Ignatii* ad eandem Mariam, ad Tarſenſes, ad Antiochenos, ad Heronem diaconum Antiochiæ, ad Philippenſes de baptiſmate, &, quæ tantum latine extant, duæ ad S. Ioannem apoſtolum & euangeliſtam, & una ad S. Mariam virginem, matrem domini noſtri Ieſu Chriſti, beatiſſimæque Virginis ad eam Reſponſio. 6) *Ignatii* Epiſtolarum verarum & ſpuriarum VETUS VERSIO. p. 129. 7) MARTYRIUM Ignatii p. 161. græce & latine, cum notis *Cotelerii*. 8) Eiusdem MARTYRIUM latine p. 171. cum notis *Vſſerii*. 9) TIBERIANI, PLINII & TRAIANI Epiſtolæ de chriſtianis p. 179. cum notis *Vſſerii*. Atque hæ duæ poſteriores reſolutæ & explicatæ etiam ſunt a G. I. *Voſſio* in Tomo II. opp. hiſtor. p. 54. 10) S. POLYCARPI Epiſtola ad Philippenſes p. 184. græce ac latine, cum notis *Vſſerii*, Patricii *Iunii*, & *Cotelerii*. Latinum in lucem produxit Iac. *Faber* ſtapulenſis, græcum Pet. *Halloixius*. In ea hortatur ſanctus vir ad iuſtitiæ, ſpei, ac patientiæ ſtudium, officiaque præſcribit uxoribus, viduabus, diaconis, iuvenibus & presbyteris, ac denique oſtendit, quisnam ſit antichriſtus, nimirum negator adventus Chriſti in carne, martyrii crucis, reſurrectionis, atque iudicii. 11) Eiusdem Martyrium, deſcriptum ab ECCLESIA SMYRNENSI in epiſtola circulari p. 193. græce & latine, cum notis *Vſſerii* & *Cotelerii*, & ille lacunas epiſtolæ ſupplevit. Vid. *Cave* P. I. 29.

In tertio tomo 1) Codex canonum eccleſiæ primitivæ, illuſtratus a Guil. BEVEREGIO. p. 1. ubi contra Io. *Dallaeum*, Canones apoſtolicos (hos enim intelligit per canones primitivæ eccleſiæ) ad ſæculi V. exitum referentem diſputat, atque evincere laborat, eos a catholicis ſecundi tertiique ſæculi Synodis ſancitos publicatosque, adeoque nihil aliud eſſe, quam primitivarum Synodo-

rum decreta: cuius ſententiæ fundamentum ponit in duobus hisce capitibus, 1. frequentes illis ſæculis habitas fuiſſe ſynodos, quibus altiora tractata ſint, 2. nihil in Canonibus apoſtolicis haberi, quod eccleſiaſticæ iſtorum temporum diſciplinæ non exacte reſpondeat. 2) Iac. VSSERII Diſſertationes de Ignatii & Polycarpi epiſtolis. p. 183. In quibus docetur, varias a Polycarpo cum ad eccleſias, tum ad fratres quosdam ſcriptas fuiſſe epiſtolas, c. 1. ex omnibus autem illis unicam ſupereſſe ad Philippenſium eccleſiam datam, eique ſubnexas olim fuiſſe Ignatianas VI. & hanc eſſe Syllogen epiſtolarum Ignatii polycarpianam, c. 2. a poſterioribus græculis immutatam & interpolatam, c. 3. videri autem hanc iniuriam Ignatio factam ſeculo VI. ab eodem artifice, qui veteres L. canones eccleſiaſticos, ob antiquitatem apoſtolicos dictos, XXXV. novorum adiectione auxerit, & pſeudoclementinarum Conſtitutionum libros VIII. apoſtolorum quoque nomen præferentes varie interpolaverit atque immutaverit, c. 6. & 10. Apoſtolorum Διδαχη ſeu Διδασκαλια non ſignificari VIII. Conſtitutionum libros, c. 7. non Ignatii, ſed falſi Ignatii dari epiſtolam ad Philippenſes, c. 12. non Petrum duntaxat, ſed & Paulum & reliquos apoſtolos, in epiſtolæ ad Philadelphenos antiquiſſimis exemplaribus græcis referri, fruſtraque id negari a *Baronio*, c. 17. antiquas latinas Ignatii interpretationes ad textus originalis vitia ſananda prudenter adhiberi poſſe, latinasque ſancti viri ad Ioannem apoſtolum & B. Mariam virginem epiſtolas iure meritoque pro ſpuriis haberi, c. 19. 3) Vindiciæ Epiſtolarum S. Ignatii, per Ioann. PEARSONIVM. p. 236. ubi cum *Hammondo*, contra *Salmaſium*, *Blondellum*, Io. *Dallaeum*, Edm. *Albertinum*, argumentis tam internis, quam externis, id eſt, ex ipſis epiſtolis, & doctorum teſtimoniis, a ſecundo ad decimum quintum ſeculum collectis, probat, VII. Ignatii epiſtolas, Euſebio & Hieronymo memoratas, in quibus etiam eſt illa ad Polycarpum, atque ab Iſaaco *Voßio* editas, veras eſſe & genuinas; adeoque, quod eius propoſitum ſcopusque erat, vere ex eis probari poſſe diſtinctionem epiſcopatus & presbyteratus; incidenter autem docetur, Stichometriam non eſſe Nicephori patriarchæ, c. 4. *Ignatii Apophthegmata* veteribus ignota eſſe, c. 6. plures epiſcopos in Ægypto fuiſſe ante Demetrium, c. 11. Hiſce ſubiiciuntur Iſ. *Voſſii* 2. Epiſtolæ ad Andr. Rivetum, quarum prima depromit rationes, cur

Digitized by Google

cur ſe permovere Dav. *Blondelli* argumenta non potuerint ad evertendam epiſtolarum Ignatii veritatem, p. 429. altera reſpondet ad Blondelli Annotata, quæ ille priori adpoſuerat epiſtolæ, p. 434. & denique EIVSDEM Reſponſio ad ea, quæ in Notis ad Ignatii epiſtolas reprehendit Blondellus p.441. Equidem anonymus quidam, qui eſt Matthæus *de la Roque*, eccleſiaſtes rotomagenſis, auſus eſt Vindicias pearſonianas ad examen revocare, ſed imparatus, fatente *Colomeſio* p. 637. ad tantum opus acceſſit, illiſque laus Henr. *Noriſii* Orthograph. p. 32. qua eruditiſſimæ vocantur, illibata manet. Opera hæc recenſentur in *Actis* erud. A.1699.p.1. optandumque eſſet, ut eorum editor, CL. Clericus, ſummi viri Ezech. *Spanhemii* Notas in Patres apoſtolicos Cotelerii, quæ MSS. in bibliothecam regiam venerunt, quarumque mentionem facit Car. *Ancillonius* Memoriar. ſuar. p. 416. habuiſſet, quo & illæ ſplendido huic operi adiungi potuiſſent. Et quoniam hæc ſcripta ad tempora antiquiſſima pertinent, bene ac prudenter in præfatione monet *Clericus*, antiquitatis ſtudium ab iis auſpicandum eſſe. Neque vero in his & ſequentibus Patribus recenſendis dum verſamur, exſcribemus eorum errores, a Centuriatoribus magdeburgenſibus, Io. *Gerhardo* in Patrologia, aliisque indicatos, ſed eos duntaxat beneuolo cum lectore communicabimus, quos alii ſibi videntur obſeruaſſe. Et hic quidem unicum, quod vir quidam eruditus notat, a nobis indicandum eſt.

In T. I. Conſtitut. apoſtol. c. 44. p. 381. In dedicatione templi Salomonis, ſacerdotes & levitæ, & cantores, cum cymbalis & pſalteriis *ſteterunt ad orientem*, κατ ανατολας. 2. Paral. 5. 12.

Hoc vero non neceſſario indicat, facies eorum orienti obuerſas fuiſſe. Nec ſacer textus, dum ait, eos ſtetiſſe מזרח למזבח, quid aliud dicit, quam eos ſtetiſſe *in oriente ad altare*, ſeu ad orientalem plagam altaris. *Seldenus* l. 3. de Synedr. vet. Ebr. c.16. p.257.

S. *Barnabas*, i. e. filius conſolationis, antea Ioſes ſeu Ioſeph dictus, in Cypro natus, genere iudæus & levita, unus e LXX. Chriſti diſcipulis, una cum S. Paulo gentium apoſtolus ordinatus, eiusque ad annum a reſurrectione Chriſti XVItum usque fidelis in peregrinatione comes, cuius mentio fit *Act.* 4. 9. 11. 15. & Gal. 2. dicitur quidem Romæ & Mediolani docuiſſe, ſed hoc dubium

 eſt;

Digitized by Google

eſt; probabile autem, ſub finem vitæ docuiſſe patria in inſula, ubi etiam martyrio coronatus fuit. *Cave* P. I. 9. P. II. 6. *Chytræus* Onomaſt. theol. 790. Io. Alb. *Fabricius* Biblioth. gr. l. 4. c. 5. & l. 5. p. 31.

Hermas, Paſtoris auctor, veterum & recentiorum quibusdam videtur eſſe S. apoſtoli Pauli diſcipulus, quem ſalutat *Rom.* 16, 14. quique obiiſſe dicitur anno Chriſti 80. Paſtorem autem ſcripſiſſe ante excidium urbis hieroſolymitanæ, h. e. ante annum 70, demonſtratum it *Dodvvellus* diſſert. 6. p. 523. Cui adde *Hieronymum* Catal. ſcriptor. eccleſ. c. 10. *Caveum* 15. *Du Pin* T. I. 28. & *Olear.* P. I. 329. Quicunque autem fuerit, certe primo vixit ſeculo. I. Alb. *Fabricius* de Apocryph. N. Tti p. 967.

S. *Clemens*, romanus, S. Pauli comes & collaborator, & iuxta Origenem S. Petri diſcipulus, Lini & Anacleti circa A. C. 64. vel ſequentem in ſede pontificia romana ſucceſſor, cum Fl. Clemente conſule neutiquam confundendus, dignitatem illam geſſit uſque ad annum 83. Liturgia & Epiſtolæ decretales ei tributæ, ſunt ſcripta ſpuria. *Cave* 13. 15. *Olearius* P. I. 170. *Vſſerius* de Epp. Ignatii 183. *Cotelerius* in Conſtitut. apoſtol. l. 8. c. 6. p. 393. *Grabe* Spicileg. Patr. & hæret. ſec. I. p. 254. & ſeqq. I. Alb. *Fabricius* Biblioth. gr. l. 4. c. 5 & l. 5. c. 31.

Ephraim, Cherſoneſi tauricæ archiepiſcopus & martyr, obiit ſub Traiano Imp. *Olear.* P. I. 223. *Cave* diſſert. 1. de ſcriptor. eccl. incertæ ætat. p. 7. Scripſit etiam de Miraculis S. Clementis, qui ita incipit: Ἐξελθόντος Φιλίππου τοῦ ἀποστόλου τῆς Γαλιλαίας. quem tamen tractatum *Colomeſius* ſe reperire potuiſſe negat.

S. *Ignatius*, ſi Gregorio Abulpharagio fides habenda, natus Novæ, ſeu, ut Phil. Cluverius vocat, Nuræ in Sardinia, apoſtolorum familiaris, Θεοφόρος eo appellatus, quod Chriſtum in pectore ferret, ſedis antiochenſis in Syria epiſcopus, TRAIANI iuſſu, apud quem contra Parthos euntem, atque tunc Antiochiæ præſentem, delatus fuerat, A. C. 107. Romam in vinculis miſſus, ibique ad beſtias damnatus fuit. *Cave* P. I. 20. I. E. *Grabe* Spicileg. SS. Patrum & hæret. ſec. II. p. 1. Io. Alb. *Fabricius* Biblioth. gr. l. 5. p. 38. *König* 426. *Nova Bibliotheca* T. I. 538.

S. *Polycarpus*, ſmyrnenſis, Ioannis apoſtoli & euangeliſtæ diſcipulus, eccleſiæ patriæ epiſcopus, ſub ANTONINO Pio ad rogum, de quo viſionem antea habuerat, damnatus, lætus lubens-

bensque ſupplicium paſſus eſt anno Chriſti 147. ætatis 86. Scripſit epiſtolas plures, e quibus ſupereſt unica ad Philippenſes. Fragmenta autem a *Victore* capuano latine reddita, atque a Fr. *Feuardentio*, & Pet. *Halloixio* edita, ſicut dubia ſunt, ita Διδαχη, & liber de obitu S. Ioannis euangeliſtæ ſpuriis merito accenſentur. *Cave* P. I. 21. *König* 653. I. Alb. *Fabricius* Biblioth. gr. l. 5. 47.

Tiberianus fuit Primæ Palæſtinæ Præſes, vir, ut videtur, mitis, humanus, & iuſtitiæ ſtudioſus, cuius relatione factum, ut TRAIANVS Imp. eccleſiis Palæſtinæ, Syriæ, & aliarum orientis partium, pacem redderet; quod Ignatius Troadem perveniens intellexit. *Vſſer.* in annot. ad epp. Tiberiani & Plinii p. 179.

C. Plinius Cæcilius (iuxta veterem morem potius Cæcilianus dicendus, a patre Cæcilio) *Secundus*, comenſis, parente in pueritia privatus, a C. Plinio Secundo autem, Hiſt. natur. ſcriptore, avunculo ſuo adoptatus & nomina C. Plinii Secundi nactus, ab eodemque & matre educatus, præceptores habuit *Quinctilianum*, & *Euphratem* ſtoicum, quem in Syria miles audivit, ſtudiisque eloquentiæ, poëſeos & iuris non tantum magnam apud eruditos, atque in foro famam ſibi acquiſivit; ſed & honores conſecutus eſt ampliſſimos: fuit enim Quæſtor Cæſaris, Tribunus militum, Tribunus plebis, Prætor, Præfectus ærarii militaris, Proprætor provinciæ ponticæ conſulari poteſtate, & Curator alvei Tiberis, vir frugalis & abſtinens, diligens paterfamiliæ, mitis in ſervos, iuſti & æqui amans, munificus & liberalis, corpore imbecillo & minus robuſto, vitamque per plurimum imperii TRAIANI tempus, aut paullo ultra, produxit. Eius ſunt non tantum Epiſtolarum libri X. quos, tanquam magnum theſaurum, e Galliis in Italiam delatum, Aldo Manutio excudendos dedit Aloyſius *Mocenicus*, Reip. Venetæ apud Regem chriſtianiſſimum orator, immortalem gloriam meritus, ſed etiam Panegyricus, Nervæ TRAIANO auguſto dictus; non autem opuſculum de Viris illuſtribus, quippe quod Sex. Aurelium *Victorem* auctorem habet: Tragoediam vero græcam ſcripſit anno ætatis decimo quarto. *Voſſ.* de Hiſtor. lat. lib. 1. p. 51. & in epiſt. Plinii de chriſtianis, T. 2. opp. hiſtor. p. 54. I. Alb. *Fabricius* Biblioth. lat. l. 2. c. 22. Eximias huius Plinii editiones habemus a Io. *Veenhuſio*, Iac. *Thomaſio*, Chriſtoph. *Cellario*, & Thoma *Hearne*. Vide iterum *Fabricium* p. 482.

Nerva TRAIANVS Imp. Cæſ. natione hiſpanus, ante adoptionem M. Vlpius Traianus dictus, amore erga Senatum Optimi cognomen adeptus, cuiusque animam S. GREGORII precibus ex inferno liberatam eſſe ſuperſtitioſi credidere monachuli, cetera vinoſus, παιδεραστης, & acerrimus perſecutor chriſtianorum, dum bella gerebat in remotiſſimis terris, multas a tergo gentes iugum dominationis ſuæ abiicere expertus eſt, tandemque obiit Selinunte in Cilicia, quæ ab ipſo nomen Traianopolis accepit, A. V. 869. Chriſti 117. æt. 63. vel 64. poſtquam Dacica ſcripſerat. *Voſſ.* de Hiſtor. lat. l. 1. c. 30. p. 52. C. A. *Rupertus* ad Beſoldi Synopſ. hiſtor. 274. & in Orat. hiſtor. 672. *Donnola* de patria Propertii 139.

Iſ. *Voſſius*, Lugduno-batavus, Gerhardi Ioannis filius, Ordinum Hollandiæ hiſtoriographus, & canonicus winſorienſis regius in Britannia, variis ſcriptis, & quidem annotationibus in Melam & Iuſtinum, *Scylacis* Periplo, & libris de lucis natura, de Nili & fluminum origine, deque Sibyllis celebris, obiit A. 1689. æt. 70. Collectores *Actor.* erudit. ad A. 1685. 73. eum vocant maximi ingenii & doctrinæ virum, Io. *Pearſon* in Vindic. epp. Ignatii c. 3. p. 250. veterum ſcriptorum peritiſſimum iudicem, & *Grotius* in Epp. præſtant. viror. p. 824. adhuc iuvenem laudat ob ſummam eruditionem morumque ſuavitatem. Plura de eius encomiis collegit *Colomeſius* Opp. p. 481. Adde *König.* 856. *Gravium* præfat. in Heſiodum, *Schurzfleiſch.* Epp. arcan. T. I. 66. 90. 94. 47. T. II. 102. & *Beverег.* Prolegom. inSynod. p. 22.

Io. *Pearſon*, anglus, theol. profeſſor cantabrigienſis, dein epiſcopus ceſtrienſis, Annalibus cyprianicis, & operibus poſthumis famam immortalem conſecutus, Collectoribus *Actor. erudit.* A. 1690. 52. πολυμαθεστατος, & A. 1683. p. 43. vir incomparabili doctrina, ſingulari erga exteros humanitate, & maximis in rem literariam meritis inſignis, *Cavio* P. I. 20. doctiſſimus & nunquam ſine præfatione honoris nominandus, *Colomeſio* p. 513. vir naris emunctiſſimæ, & p. 847. magnus Ceſtrienſium antiſtes, *Kuſtero* præf. in Suidam ſub fin. magnum decus orbis literati, Natali *Alexandro* Diſſert. hiſtor. P. I. Sæc. III. p. 140. vir multæ eruditionis & accuratiſſimi criterii, & Sæc. V. 751. vir doctiſſimus dictus, mortalitatem depoſuit A. 1688. *Witte* in Diar. biograph. T. II. *Bevereg.* Proœm. in Cod.

Cod. canon. univ. eccl. §. 9. *Critopulus* in Cenſura eclogar. I. Fr. Mayeri 69. *König* 615.

Hugo *Menardus*, pariſienſis, presbyter benedictinus, edidit notas in S. Gregorii librum de ſacramentis, Diatribam de unico Dionyſio, Martyrologium ex ordine Benedictinorum, atque e terris diſceſſit A. 1644. *Witte* in Append. Diarii biograph. ad A. 1644.

Patricius *Iunius*, patria lingua *Toung*, ſcotus, Petri equitis, qui IACOBI VI. Scotorum regis ætatem iuvenilem rexit, filius, græce & latine doctiſſimus, ac primum theologiæ a parente deſtinatus, Armiger, IACOBI I. Britann. Regis bibliothecarius, & ab epiſtolis latinis, eccleſiæ paulinæ apud Londinenſes theſaurarius, Græcorum amicus & commendator, ideoque a Rich. *Montacutio*, bathonienſi & wellenſi tunc epiſcopo, Græcorum patriarcha dictus, ad interpretationem marmorum & aliorum cimeliorum arundelianorum, iuxta cum Io. *Seldeno*, & Rich. *Iameſio*, delectus, primus edidit S. Clementis ad Corinthios epiſtolam, cum alterius fragmento, deinde Catenam græcorum Patrum in Iobum, cum textu Iobi, (ſed in hoc errans, quod putaret, eam eſſe veram & germanam LXX. Seniorum interpretationem) porro Gilb. *Folioti* Expoſitionem in Canticum canticorum, *Alcuini* in idem canticum compendium, & *Euthymii* Zigabeni, ut olim *Theodoriti*, in pſalmos Commentarium, publicaturus etiam codicem Bibliorum græcorum alexandrinum, verſionem LXX. interpretum & N. T. complectentem, quem vir præſtantiſſimus D. Thomas *Rovvaus* a Cyrillo Lucari, patriarcha CPtano acceptum, circa annum Chriſti 1628. in Angliam attulit, cuiusque variantes lectiones, cum ſcholiis Iunii noſtri usque ad XV. caput libri Numerorum, in Bibliis waltonianis extant, niſi morte præventus eſſet: hæc enim eius actionibus atque propoſitis finem impoſuit A. 1652. æt. 68. Vide ſis Thom. *Smithium* in eius Vita, cui ſubiunguntur doctorum virorum de eo elogia & teſtimonia p. 39.

Io. *Fell*, epiſcopus oxonienſis, dedit opuſculum de cataſteriſmis A. 1672. Notas in *Nemeſium* de natura hominis A. 1674. & iuxta cum Io. *Pearſono* accuratiſſimam optimeque digeſtam S. *Cypriani* editionem A. 1682. obiitque A. 1686. æt. 63. A collectoribus *Actor. Erud.* ad A. 1683. 43. mactatur elogio viri incomparabili doctrina, ſingulari erga exteros humanitate, & maximis in rem litera-

Digitized by Google

literariam meritis inſignis, atque ad A. 1688. 477. viri non minus eruditione præclara, morumque ſanctitate, quam epiſcopatu oxonienſi recte laudabiliterque geſto celeberrimi.

Paulus *Colomeſius*, (e cuius maioribus Petrus quidam ſe vocavit *de Colomedio*) rupellenſis, ob religionem e patria fugere coactus, presbyter eccleſiæ anglicanæ, & bibliothecæ lambethanæ curator, dedit etiam Vitas G. I. Voſſii & Iac. Sirmondi, Epiſtolas CHRISTINÆ Suecorum Reginæ, Epigrammata & alia pöematia, nimioque propter Io. *Sancrofti*, archiepiſcopi cantuarienſis, ſingularis patroni ſui, caſum moerore ſibi mortem attraxit anno 1692. Honorifica de auctore hoc, eiusque ſcriptis teſtimonia reperies in eiusdem Operibus a I. A. *Fabricio* editis p. 672. Quibus adde ſis *Novam Biblioth.* T. I. 56. *Le Clerc* T. IX. de la Biblioth. choiſ. 335. & *Struvium* Introd. in notit. rei lit. 404.

Io. Bapt. *Cotelerius*, nemauſenſis, paſtoris reformatæ eccleſiæ, qui ad romanam ſe poſtea recepit, filius, lacte caprino nutritus, adoleſcens iam adeo eruditus in ebraica, græca & latina lingua; ut eo audito venerabilis Clerus gallicanus obſtuperet, poſtea doctor ſorbonicus, & profeſſor linguæ græcæ regius, vir mediocris quidem ſtaturæ, maximæ vero atque infinitæ propemodum litteraturæ, a cunctis magni æſtimatus, metu mortis in mortem ruit A. 1686. æt. 58. Steph. *Baluzius* in eius Vita, operi huic præmiſſa. Cui iungendi ſunt *Graverolus* in eius Memoria, quæ in principio Sorberianorum extat, & Carol. *Ancillon* dans les Memoires & vies de pluſieurs modern. auteurs ſ. 379. Vide etiam *Acta erud.* A. 1699. I. C. *Wagenſeil* de LXX. hebdom. Daniel. p. 18. & *Critopulum* Cenſur. eclogar. Mayeri 43.

Io. *Clericus*, genevenſis, Stephani Clerici græcæ linguæ profeſſoris & ſenatoris genevenſis filius, A. 1657. natus, *Choueti*, & patrui ſui Dav. *Clerici*, orientalium linguarum profeſſoris, diſcipulus, continuato in ſalmurienſi academia ſtudiorum curſu Genevam repetiit, indeque cum Gregorio *Leti*, italo doctiſſimo atque tot ſcriptis claro, in Angliam abiit, ibique aditu ſibi ad viros tum temporis celeberrimos parato Londini per integros VI menſes in æde quadam Gallorum ſacras conciones ad populum publice cum omnium adplauſu habuit, usque dum A. 1683. cum egregio illo viro, poſtea ſocero ſuo, Amſtelodamum reverſus eſt; ubi

ubi cognita inter Remonſtrantes eius eruditione & virtute, primo philoſophiam, deinde & theologiam docendi facultatem accepit; in quibus quantum valeat, doctrina & ſcriptis abunde comprobavit, philoſophi, philologi, & theologi præclarum nomen inſigniter meritus, ſæpe etiam cum adverſariis certans, quos inter fuere *Simonius*, *Perizonius*, *Baylius*, *Menardus*, *Vander Wayen*, *Witſius*, *Cave*, *Poiret*, Rich. *Kidder*, aliique. Quod ad ſcripta ab ipſo edita attinet, eius curæ & induſtriæ debet reſp. literaria editiones Dictionarii moreriani, operum S. Auguſtini, Dogmatum Petavii, Commentariorum *Hammondi* in N. T. Compendium hiſtoriæ univerſalis, Artem criticam, Epiſtolas criticas & eccleſiaſticas, Notas in Hammondum, & alia, quæ deinceps nobis ſe ſe offerent. Gottl. Frid. *Ienichen* præfat. in Clerici noſtri Opera philoſophica, A. 1710. Lipſiæ impreſſa, & *Parrhaſiana* 341. A Collectoribus *Actor. erudi-tor.* ſæpius pro merito laudatur Clericus, atque ad annum quidem 1711. p. 277. ſalutatur plurium operum & ſcriptorum hactenus ſive editor, ſive autor celebratiſſimus; a *Molyneſio* in eiusdem anni Actis p. 478. maximus per totam Europam inter viros, qui iuventuti ſcholaſticæ docendæ operam ſuam dicarunt, pius, iudicio præditus, & ſincerus chriſtianus; a *Schurzfleiſchio* Epp. arcan. P. II. 320. quanquam multa in eius Arte critica reprehendat, vir acris ingenii & multæ variæque eruditionis: ut alios prætercam.

Quando iam de Patribus cœpimus agere, de illis ipſis quid dicendum eſt. *Patres* hodie illi vocantur doctores eccleſiæ, qui a temporibus apoſtolorum ad annum Chriſti 800. vixerunt, & interpretati ſunt ſcripturam ſacram: unde & *eccleſiaſtici ſcriptores* adpellantur, & hac ratione a doctoribus eccleſiæ ſubſequentium temporum, qui in ſcholis Petrum Lombardum expoſuerunt, philoſophia, aut potius vanitatibus & inanitatibus philoſophicis theologiam adulterantes, ac *Scholaſtici* dicti, diſtinguuntur; ſuntque Patrum alii græci, alii latini. Iudicium ad Patres duplex afferre debet lector, veritatis, ac prudentiæ: illud, ut ſciat, quid in quolibet doctrinæ capite Scripturæ congruum, quid adverſum; quod qui non attulerit, eum non raro diverſæ Patrum de una eademque re ſententiæ ancipitem animi reddent, nec doctiorem, ſed dubium & ambigentem a ſe dimittent: hoc, ut ſcripta Patrum legitime diſcernat, probe conferat, deque iis candide iudicet. Abr.

Scultetus in Aphoriſmo de fructuoſa lectione Patrum, Medullæ theol. Patrum præmiſſo. Qua de materia egerunt quoque Mart. *Chemnitius* in initio LL. theol. *Heerbrandus* diſp. peculiari, *Dallæus* de Vſu Patrum, *Rivetus* in Crit. ſacro, *Hulſemannus* & *Gerhardus*, Io. Gottfr. *Olearius*, l. c. *Meelfuhrer* in Corona C. Patrum & Dd. eccl. & *Du Pin*; deque ſelectu Patrum *Förſterus* apud Crenium Exercit. III. de libris ſcriptor. opt. 20. 21. & *Lutherus* in Colloq. menſal. c. 30.

Neque vero, ut iam ſuperius dixi, ea Patrum errata recenſere, aut exſcribere conſtitui, quæ notarunt *Centuriatores* magdeburgenſes, Luc. *Oſiander* in Epit. Hiſt. eccleſ. Abr. *Scultetus* in Medulla theol. Patrum. I. *Gerhard.* & Io. *Hulſemannus* in Patrologia, I. C. *Meelfuhrer* l. c. & I. G. *Olearius* in Biblioth. eccleſ. ſed illa tantum cum benevolo Lectore communicare, quæ in quotidiana lectione modo hic, modo illic obſervavi, quæque alicuius momenti eſſe videntur.

XXI.

S. IVSTINI opera: item ATHENAGORÆ, THEOPHILI, TATIANI & HERMIÆ tractatus aliquot, græce & latine. Coloniæ (immo potius Wittebergæ, indicante *Tenzelio* in Diſſert. ſelect. 165.) iuxta pariſinam anni 1636. Editio hæc noſtra non cedit pariſinæ, eo quod eam correxit *Vinterus*, *Schurtzfleiſchii* iudicio in Epp. arcan. P. I. 632. vir probus ac diligens, græcæque & latinæ linguæ admodum peritus; ſed & typorum chartæque elegantia ſatis ſe commendat. Nuper etiam Thomas *Creech*, Anglorum eruditorum non ultimus, novam Iuſtini editionem Oxoniæ molitus eſt, ſed non perfecit, ſibimet ipſi vim inferens, neque ea, quæ affecta habebat, ſtare paſſus eſt. Londini A. 1715. genuina Iuſtini martyris opera *Thiribius* excudenda curavit: nunc vero omnium, quæ feruntur, eiusdem operum pleniſſimam atque elegantiſſimam parat Io. Adolphus *Hofmannus*. Vide *Acta erudit.* A. 1716. 237. Contenta huius voluminis, & quidem in I. Tomo, ſunt: 1.) *Paræneſis ad Græcos*, p. 1. λογος παραινετικος, ſeu potius Ελεγχος προς Ελληνας, Io. *Lango* interprete. In quo ſcripto oſtendit, chriſtianam religionem præſtantiores habere auctores, quam gentilem; hanc enim aut poëtas habere, aut philoſophos, utroſque autem eſſe

eſſe ridiculos & abſurdos, cum illi deorum originem ex aqua deducant, deque eorum pugnis, amoribus & ærumnis blaterent; hi vero inter ſe de rerum principiis convenire nequeant: ceterum chriſtianæ religionis auctores eſſe prophetas, quorum doctrina ſit conſona, certa, & divinitus inſpirata: chriſtianam quoque religionem eſſe vetuſtiorem ethnica, quia Moſes, eius princeps, ipſorum etiam ethnicorum teſtimonio omnibus Græcorum ſapientibus, ſive poëtis, ſive hiſtoricis, ſive philoſophis, ſive legislatoribus ſit antiquior. Porro duplicem monſtrat viam, qua græci ſeu gentiles ad veram pervenire poſſint religionem, nimirum ex parte, ſi eam didicerint a veteri Sibylla, Aemone, Mercurio; ex toto autem, ſi ex divinis ſanctisque prophetis. 2) *Oratio ad græcos*, p. 37. Henr. *Stephano* interprete. Qua probat, ſe cum ratione & recto iudicio ab ipſis diſceſſiſſe: nihil enim in eorum religione ſanctum aut Deo acceptum inveniri, immo ipſos eorum deos, iuxta poëtarum deſcriptionem, admodum vitioſos ac ſceleſtos fuiſſe. Videtur hæc oratio eſſe mutila, quoniam in ea non reperitur diſputatio de dæmonibus, quam tamen in ea legerunt *Tatianus*, *Hieronymus*, ac *Photius*. 3) Ad *Senatum romanum pro chriſtianis defenſio*. p. 41. & II. ad *Antoninum Pium*. p. 53. Io. *Lango* interprete. Cuius etiam eſt interpretatio ſequentium ſcriptorum, usque ad p. 516. Sed hæc potius eſt prior, & illa poſterior, atque hæc poſterior prolixioris quædam quaſi appendix, utraque autem ſcripta ad Imperatores M. Aurelium ANTONINVM & L. VERVM, Senatumque romanum, circa A. C. 161. I. Alb. *Fabricius* Biblioth. gr. l. 5. c. 1. p. 53. & I. E. *Grabe* Spicileg. Patr. ſec. II. 143. In illa, prima videlicet apologia, queritur Iuſtinus, chriſtianos iniquiſſime ad ſupplicia rapi ob ſolum nomen, cauſſa incognita; deinde ad obiectiones gentilium reſpondet; denique a Senatu petit, ut is decreto, ſi quod hac de re promulgarit, Apologiam hanc publice adiungat, quo chriſtianorum innocentia cuique innoteſcat: in hac, ſive II. ut vulgo numeratur, Apologia, petit, ne chriſtianos amplius puniant cauſſa incognita, nam legitimum proceſſum hoc poſtulare; propter nomen ipſum neque laude, neque pœna quem dignum eſſe; gentiles neminem ſuorum prius afficere pœna, quam reus fuerit peractus; iudicium contra chriſtianos hactenus uſitatum affectu præter rationem niti; doctrinam chriſtianorum non eſſe talem, ut eius confeſſo-

Digitized by Google

res ſint puniendi; omnes, qui hanc doctrinam amplexentur, renuntiare veteribus voluptatibus, caritatem erga mortuos exercere, & orare pro inimicis; doctrinam chriſtianam multa habere ethnicæ ſimilia, multa etiam diviniora; eſſe inter ipſos ethnicos circa religionis capita diſſenſiones, quarum cauſſa tamen non ſeſe invicem oderint; licuiſſe priſcis Bacchum & Apollinem flagitioſiſſimos, item Proſerpinam & Venerem colere, quidni & chriſtianis Deum ingenitum? hæreticos poſt aſcenſionem Chriſti, a ſatana actos, minime a Romanis puniri, nedum occidi; chriſtianos diligentiſſime cavere, ne quam impietatem committant; chriſtianorum doctrinam eſſe certam, eosque iure meritoque Chriſtum ſecundo a Patre loco colere; nec eorum ritus & cærimonias cauſſam eſſe poſſe, ut puniantur & interficiantur. Prolixiorem Apologiam hanc cum variorum notis Oxoniæ A. 1700. 8. edidit I. E. *Grabe*, ſicut breviorem illam H. *Hutchinus* A. 1703. 8. Exſtant etiam in longioris Apologiæ loca quædam Obſervationes Lat. *Latinii* in Bibl. ſacr. prof. *Clericus* T. II. Biblioth. ſelect. 328. & T. III. 372. & I. Alb. *Fabricius* l. c. p. 54. 4) Liber de *Monarchia Dei*, p. 103. ſive potius poſterior eius pars: nam gentilium duntaxat teſtimonia nunc iam in eo legimus, cum prius monarchiam illam ſacrorum auctoritate voluminum confirmaſſet. 5) *Ariſtotelicorum quorundam dogmatum everſio*, p. 110. Eorum nimirum, quæ leguntur in quinque libris & nono Naturalis auſcultationis, & tribus de Cœlo. Vbi notandum, ea, quæ num. XVI. ſequuntur, ſub. num. XIII. collocanda, quæ autem numeris XIII. XIV. XV. poſita ſunt, ad num. XII. referenda eſſe, fruſtraque e Bibliotheca vindobonenſi exſpectari augmentum, quod quidem CL. *Lambecius* promiſit, huius libri, cum ea, quæ in codice cæſareo exſtant, & pro novo theſauro habita ſunt, illa ipſa ſint, quæ Rob. *Stephanus* in græca editione iam exhibuit, *Commelinus* autem & *Pariſienſes* omiſerunt. *Grabe* p. 155. 6) *Quæſtiones ad græcos*, cum græcorum reſponſione, & reſponſionis illius confutatione. p. 159. De quo libro dubium, pro genuinone, at interpolato tamen, an ſpurio haberi debeat; ſique poſterius valet, fraus iſta paulo ante ſeculum XIV. facta fuerit. Quæſtiones hæ numero ſunt V. quarum prima agit de Dei ignoratione, ſecunda de futura mundi reſtitutione, tertia de mundi creatione, quarta de diſcrimine eſſentiæ & voluntatis divinæ, quinta de Deo,

Digitized by Google

Deo, an ingenitus ingenita faciat omnia. 7) *Quæſtiones græcanicæ ad chriſtianos*, cum reſponſione ad eas, p. 199. Agunt de incorporeo, Deo, reſurrectione mortuorum, &c. ſuntque aut interpolatæ, aut confictæ. 8) *Dialogus cum Tryphone iudæo*, p. 217. Habitus fuit Epheſi per biduum, cum Iuſtinus in procinctu eſſet, navique Epheſo abire vellet: & hoc colloquium ille poſtea in literas retulit inter annum Chriſti, uti *Grabio* p. 159. videtur, 150. & 160. Neque vero integer iſte dialogus ad manus pervenit noſtras, dum poſterior prioris, & prior poſterioris pars evanuit periitque. Certamina virorum doctorum de hoc libro, ſitne genuinus, an ſpurius, nota ſunt, atque illa refert I. A. *Fabricius* l. c. p. 57. & *Buddeus* in Notitia ſuor. ſcriptor. 16. Probat autem Iuſtinus contra Tryphonem, doctrinam chriſtianam non vanis niti fabulis, ſed demonſtrationibus ſpiritu Dei plenis, ſolvitque hoc iudæorum argumentum, chriſtianos falſo de vera religione gloriari, quia mandata Dei de diebus feſtis, circumciſione &c. non ſervent, atque in homine ſpem collocent cruci affixo. 9) *Expoſitio rectæ fidei*, ſeu rectæ confeſſionis de S. conſubſtantiali Trinitate. p. 379. Sed hoc ſcriptum eſt ſpurium, & forſan Iuſtini ſiculi, qui vixit ſeculo V. *Scultetus* Med. theol. Patr. 20. *Rivetus* l. 2. c. 4. p. 199. *Cave* 28. *Tentzel.* Exercitat. ſelect. p. 183. *Cren.* Exercit. III. de libris ſcriptor. opt. 49. 10) *Quæſtionum* ſive dubitationum CXLVI. *ad orthodoxos Solutio*, p. 391. Neque hic liber eſt Iuſtini martyris, ſed alterius recentioris, & fortaſſe Iuſtini ſiculi. Interim non eſt plane improbandus, cum paleis hiſce gemmulæ quædam intermixtæ ſint, quas ſtudioſus lector ex ſplendore agnoſcet. *Scultetus* 24. *Cave* 28. *Tentzelius* 187. *Grabe* 165. *Placc.* de pſeudon. 405. Ion. *Slichtingius* auctorem huius ſcripti vocat virum terſi iudicii, in Vindic. confeſſ. p. 11. 11) *Epiſtola ad Diognetum*, p. 494. In qua diſſeritur de religione chriſtianorum, cur a iudæis & græcis ſeceſſerint: quæ ſit ipſorum vita: quæ doctrina nova: cur mortem contemnant. *Grabius* nec ad ſpurias eam vult reiicere, nec pro indubia venditare p. 165. *Scultetus* autem, *Cave* & *Tentzelius* pro genuina agnoſcunt, & auctor *Hiſtoriæ Imperatorum romanorum*, quæ in Actis erudit. A. 1693. p. 188. recenſetur, antiquiori ſcriptori tribuendam, iamque ante A. C. 70. exaratam fuiſſe contendit: quæ autem p. 501. lin. 44. & deinceps operum S. Iuſtini extant, pro lacinia habet, antiquiſſimæ huic

 epiſto-

Digitized by Google

epiſtolæ vergente tempore adſuta. 12) *Epiſtola ad Zenam & Serenum*. p. 503. Eſt tota ethica, atque in præceptis moralibus occupata, nec indigna S. Iuſtino, uti quidem iudicant *Scultetus, Tentzelius*, *Cave*, aliique. 13) A *Leontio* hieroſolymitano, & *Euthymio* zigabeno citata loca e libro de S. Trinitate. p. 516. Et poſterius quidem teſtimonium interpretem habuit Petrum *Zin.* Sed Leontium Expoſitionem fidei, qualis nunc extat, ſcripſiſſe negat *Grabius* p. 163. concedens interim, quædam ex opere cuiusdam Iuſtini de Trinitate, a Leontio contra Neſtorianos & Eutychianos citata, in dicta expoſitione reperiri, longeque prolixius & diverſum a noſtro fuiſſe illud, quo Leontius uſus eſt, Iuſtini opus. 14) Petri *Lanſſelii* Diſpunctio notarum Caſauboni. p. 517. ſeu refutatio non tantum notarum, ſed etiam calumniarum, (ſic enim vocat refutator) quæ ab Iſ. *Caſaubono* in Exercitat. contra illuſtriſſ. Cardinalem Baronium Iuſtino martyri inurantur. In Tomo II. Fr. *Sylburgii* in Iuſtini opera annotationes. p. 1. & aliæ ex *Perionio* & *Billio* depromtæ. p. 44. cum triplici Indice, videl. verborum & phraſium, rerum, & dictorum Scripturæ. In Tomo III. 1) ATHENAGORÆ Apol. pro chriſtianis. p. 1. Conr. *Geſnero* interprete, qui tamen liberius vertit, melius autem Suffrid. *Petri*, qui codicem emendatiorem habuit. *Tentzel.* p. 205. Apologiæ huius ad Impp. fratres M. Aurel. ANTONINVM, & L. Aurel. VERVM (quanquam Steph. *le Moyne* contendit, oblatum fuiſſe librum, poſt VERI obitum, M. Aurel. ANTONINO, & M. Aelio Aurel. COMMODO, patri ac filio, quem ille in ſocietatem imperii aſſumſerat. *Tentzel.* 204.) duæ ſunt partes, in quarum altera petit, ut chriſtianis æquo cum aliis reis iure in iudiciis uti liceat, nimirum ut criminis convicti puniantur, non convicti autem abſolvantur, in altera vero reſpondet ad tria chriſtianis obiecta flagitia, quæ ſunt *ἀθεότης*, cœnæ thyeſteæ, & concubitus inceſti ac promiſcui. *Scultetus* 46. Apologia hæc I. A. *Fabricio* l. 5. B. gr. c. 1. videtur eſſe ſcripta intra annum Chriſti 177. & 180. an autem ab auctore oblata fuerit Imperatoribus, ipſeque a chriſtianis ad eos miſſus ſive legatus, certum non habemus. Recuſa fuit cum Suffridi *Petri* verſione, notisque variorum, & novis Ad. *Rechenbergii*, theologi hodie lipſienſis primi, Lipſiæ 1694. 8. cum Geſneri verſione, notisque variorum

orum, & novis Eduardi *Dechair*, Oxoniæ e theatro ſcheldoniano 1706. 8. cui etiam additus liber Athenagoræ de mortuorum reſurrectione, cum verſione Pet. *Nannii*. Exiit etiam auſpiciis Dav. *Humphrey*, cum binis ipſius diſſertationibus, Iuſtini mart. Ioſephi, Methodiique fragmentis adhuc ineditis, & libro eiusdem Athenagoræ de Reſurrectione. 2) EIVSDEM oratio de Reſurrectione mortuorum. p. 40. Pet. *Nannio* interprete. In ea duo tractat vir ſanctus, diſputans contra eos, qui reſurrectionem negant, eorumque argumenta ſolvens, deinde eandem ex IV. demonſtrans fundamentis, 1. a fine hominis, 2. a communi omnium hominum natura, 3. a conditoris ſuper homines iudicio, 4. a ſummo hominis bono. Et hæc etiam oratio recuſa eſt Lipſiæ, cum variorum & novis Ad. *Rechenbergii* notis, A 1685. 8. 3) THEOPHILI contra chriſtianæ religionis calumniatores libri III. p. 69. Conr. *Clauſero* interprete, ſicut annotat I. A. *Fabricius* p. 92. Optima editio, ſi textum reſpicias, eſt oxonienſis A. 1684. 12. quam curavit Io. *Fellus*. In quorum primo explicat doctrinam de Deo, & cauſas recitat, cur *Antolicus*, qui erat ethnicus ſapiens, & ad quem hi libri directi ſunt, reſurrectionem mortuorum credere debeat: in ſecundo irridet deorum cultum, & diverſas, immo contrarias poëtarum ac philoſophorum gentilium de Deo ſententias commemorat, e contrario autem oſtendit, prophetas, Spiritu ſancto ductos, magno conſenſu docuiſſe: in tertio oſtendit, inutilem eſſe operam ethnicorum ſcriptorum, quia neque ipſi verum noverint, neque alios ad eius inquiſitionem hortentur; prætereaque calumnias it repulſum, quibus chriſtiani tunc petebantur, quaſi 1. uxores haberent communes, 2. germanis ſororibus commiſcerentur, 3. humanas carnes ederent, 4. nullasque doctrinæ ſuæ haberent demonſtrationes; & tandem, SS. literas neque novas, neque fabuloſas, ſed antiquiſſimas & veriſſimas eſſe, evincit. Atque notandum eſt, non eſſe commodiorem ad convincendos gentiles librum hoc ipſo, quippe in quo auctor non ex SS. literis argumenta promit, ſed ex natura, prout etiam facit S. Paulus. Hi libri, uti *Grabio* videtur Spicileg. Patr. ſec. II. p. 220. non ſunt eodem tempore ſcripti; ſaltem tertius a prioribus disiunctus fuit, ut qui a *Lactantio* ſeorſum tanquam liber de Temporibus allegatur. Scriptus autem fuit hic liber poſt mortem Imp. M. Aurelii

VE-

Digitized by Google

VERI, quæ contigit anno Chriſti 180. Quanquam Henr. *Dodvvello* in peculiari Diſſertatione viſum ſit, non eſſe Theophili, epiſcopi antiocheni. 4) TATIANI contra græcos oratio, p. 141 interprete Conr. *Geſnero.* Qua oſtenditur, nihil eorum, quibus græci gloriantur, ſtudiorum apud ipſos natum, ſed omnia a barbaris, ut illi eos vocant, hoc eſt, ab orientalibus inventa eſſe, eosque adeo immerito ſibi ſolis arrogare veritatis notitiam, & nulla iuſta de cauſſa chriſtianos odio proſequi, ridere, placitisque eorum invidere. Scripta eſt circa A. C. 168. cum auctor eius nondum eſſet infectus hæreſi. 5) HERMIÆ gentilium philoſophorum irriſio, p. 175. cum verſione Raphäel. *Stileri.* Ridet autem, atque perſtringit in hac oratione adverſa inter ſe fronte pugnantes philoſophorum opiniones de rerum principiis, anima, ac Deo. Vtraque hæc, & Tatiani & Hermiæ, oratio edita eſt Oxoniæ A. 1700. 8. a Wilh. *Worth* cum adnotationibus variorum, huiusque ipſius. 6) Henr. *Stephani* & Conr. *Geſneri* Annotationes in Athenagoræ apologiam, & librum de Reſurrectione mortuorum. Præmiſſa autem operi huic ſunt 1. Fed. *Morelli* epiſtola de ſua Iuſtini editione, 2. Frid. *Sylburgii* præfatio, qua vir hic clariſſimus exponit, quibus præſidiis fultus editionem ſuam curaverit, quod Iac. *Billii* omnia, *Perionii* autem ea duntaxat, quæ præmiſſa erant, annotaverit, quodque Io. *Langi* verſionem elegerit, quoniam ſit accuratior. 3. De S. Iuſtino veterum teſtimonia. Sequuntur iam, quæ notata ſunt ab eruditis hoc in opere.

In *Iuſtini* Cohort. ad Græcos p. 34. Sibylla, Babylone orta, *Beroſi*, qui chaldaicam hiſtoriam ſcripſit, filia.	Hæc verba *ab gloſſatore inepte* interiecta eſſe indicat *Montacutius* in Analect. eccleſiaſt. exercitat. 4. *Morhof* Polyh. I. 1. c. 6. n. 32.
In *Iuſtini* pro chriſtianis Apolog. II. p. 72. Cum Ptolemæus, Ægyptiorum rex, bibliothecam inſtrueret, de prophetis iudæorum certior factus, *ad Herodem*, iudæorum tum regem, miſit.	Errorem hunc notat I. Georg. *Eccard* in Program. A. 1706. de Hiſtoria univerſ. contemtum ſui vindicante.

Digitized by Google

In *IuſtiniQueſt & reſponſ. ad orthod.* quæſt. LVI. p. 424. Quod erit diſcrimen in reſurrectione inter infantes baptizatos, qui nihil egerint, & eos qui non ſunt baptizati, ac ſimiliter nihil egerint?	Liber hic *non eſt Iuſtini*, fatentibus criticis. Iac. *Mehrning* in Hiſtoria baptiſmi 170.

Iuſtinus, natus in Flauia Neapoli, urbePalæſtinæ, ante Sichem dicta, patre Priſco, avo Bacchio, Romæ commoratus ſermonibus, vita & habitu philoſophum egit, martyrum autem conſtantia, ſenisque cuiusdam admonitionibus motus, chriſtianam circa annum Chriſti 133. ſuſcepit religionem, atque hinc *Creſcentem*, philoſophum cynicum, nactus hoſtem, ab eodemque inſidioſe accuſatus, martyrii gloriam obtinuit anno Chriſti, ut probabile videtur, 163. *Hieronymus* Catal. ſcriptor. eccleſ. c. 23. *Tentzel* Exercitat. ſelect. p. 165. *Cave* P. I. 27.

Athenagoras, patria athenienſis, profeſſione philoſophus, ſtudio chriſtianus, homo cum primis pius, ſingulari ingenio præditus, in divinis iuxta & humanis literis egregie verſatus, (verba hæc ſunt *Rechenbergii* in eius editione) ſecundi ſcriptor ſeculi, quo anno obierit, quoque mortis genere, cum ignariſſimis ſcimus. Plura autem de eo ſciremus, ſi XII. eius libri *περι των εις εαυτον*, qui MSS. extabant in bibliotheca Conr. *Geſneri*, in lucem exiiſſent. Sed opus de vero & perfecto amore, quod eidem tribuitur, eſt ſuppoſititium. I. Alb. *Fabricius* Biblioth. gr. l. 5. c. 1. p. 85. *Tentzel* 199. *Olearius* Biblioth. eccleſ. 89. Stilus eius, iudice Suffrido *Petri*, grandis eſt, & quantum ſobrietas attica maximum capere potuit.

Theophilus noſter non eſt ille, cui Euangelium Actusque apoſtolicos Lucas inſcripſit, ſed multo iunior, & quidem homo antiochenus, ex gentili chriſtianus, ac poſtea epiſcopus urbis patriæ, A. C. 168. clarus, & poſt annum 180. defunctus. Scripſit & alios libros, unum contra Hermogenem, unum contra Marcionem, & libros catecheticos, ſed omnes hi perierunt. Elaboravit quoque commentarios in euangelia, proverbia Salomonis, & Canticum canticorum; ſed qui partim non extant amplius, partim mutili ſunt. *Grabe* Spicileg. patr. ſec. II. p. 219. I. A. *Fabricius* p. 91. *Olear.* P. II. 201. R. *Simon* Hiſt. crit. N. T. part. III. c. 1. p. 4.

Digitized by Google

Tatianus, natione aſſyrius, ſive ſyrus, ex Meſopotamia, ſophiſta ſive philoſophus, ſi non orator, deinde ex gentili chriſtianus & Iuſtini diſcipulus, ad chriſtianam quidem religionem eius perſpicuitate & ſimplicitate permotus, vitaque chriſtianorum modeſta & frugali perſpecta, multos ſcripſit libros, e quibus hodie tantum ſupereſt Oratio ad gentiles, *Euſebio*, *Irenæo*, & *Origeni* laudata, ut elegantiſſima, utiliſſima, & eruditiſſima. Verum mortuo S. Iuſtino in graves incidit errores, damnans coniugium, veluti corruptionem, & abſtinens a vino & animatis, atque ita ſectam Encratitarum condens, obiitque, prout Io. Gottfr. *Oleario* in Abaco Patr. (nam in Biblioth. ſcript. eccl. omiſſum eſt) p. 441. videtur, A. 175. cum Irenæus, Lugdunenſium antiſtes, adverſus hæreſes ſcriberet. *Tentzel* 218. *Cave* P. I. 34. I. A. *Fabricius* l. 5. c. 1. p. 81.

Hermias, ſive *Hermeas*, philoſophus chriſtianus, licet non conſtet, quo tempore vixerit, antiquus tamen eſt ſcriptor, qui floruerit ſcripſeritque ante religionis paganæ deſtructionem. Legantur etiam, quæ de eo tradunt *Tentzelius* p. 227. *Cave* P. I. 37. & P. II. 21, I. A. *Fabricius* 96. I. G. *Olearius* B. ſcript. eccl. P. I. 330. Magnum autem ſaltum facit Iac. *Tirinus*, qui in Indice auctorum ſui in S. ſcripturam commentarii, v. *Hermias*, hunc noſtrum ait illum eſſe, cuius meminit Diog. Laërtius l. 5. ſ. 3. in vita Ariſtotelis, quique ex eunucho et trapezitæ famulo factus ſit philoſophus, Platonis diſcipulus, ac poſtea Atarnenſium tyrannus.

Conr. *Geſnerus*, tigurinus, medicus, philologus & polyhiſtor, pius etiam, & omni virtutum genere ornatiſſimus, lumen Germaniæ & decus Helvetiæ, inter univerſalium & perpetuorum catalogorum ſcriptores principatum obtinens, quantum iuvandæ reip. litteriæ ſtudium in ſe eſſet vel eo oſtendit, quod lue peſtifera correptus, omni alia, præterquam ſalutis æternæ cura abiecta, ſupellectilem librariam ita diſpoſuit, ut ſcripta inedita poſt ipſius mortem publicari poſſent. Obiit A. 1565. æt. 49. poſtquam perpetuam ipſe ſibi noctem prædixerat, vir uti *Thuanus* indicat, longiſſima vita digniſſimus. Melch. *Adam* in Vitis medicor. 146. *König* 343. *Magirus* 389. *Conring* de Biblioth. Auguſta 14. *Vogler* Introduct. in notit. bonor. ſcriptor. 10. 24. B. G. *Struve* Introd. in notit. r. l. cap. 1. p. 27. Horrendis autem *Craſſi* verbis, quæ leguntur Elogior. P. I. 26. opponi poſſunt ea, quæ de eius cura ſalutis æternæ memorat *Thuanus*, deque eius virtutibus *Teiſſier*. *Le-*

Leontius, byzantius, ibique advocatus, ſi non etiam eccleſiæ preſbyter, poſtea monachus in Laura S. Sabæ prope Hieroſolymam, claruit ſub MAVRICIO Imp. & vitam protraxit usque ad annum 620. Scripſit Excerpta, ſive ſcholas de ſectis, item adverſus Eutychianos, Neſtorianos, ac Severum, Dubitationes hypotheticas, & alia. *Cave* P. I. 303. *Olearius* B. ſcript. eccleſ. P. I. 442. & P. II. 114. Io. Alb. *Fabricius* B. gr. l. 7. p. 451. G. I. *Voſſio* de Hiſtor. gr. l. 4. c. 18. idem videtur cum Leontio, cyprio epiſcopo, ſed *Olearius* eos diſtinguit.

Euthymius Zigabenus, monachus græcus, ordinis S. Baſilii, A. C. 1116. florens, ALEXIO Commeno familiaris, confecit Panopliam adverſus hæreſes, & Comment. in pſalmos, in X. ſcripturæ cantica, & in IV. euangelia. *Voſſ.* l. 2. de Hiſt. gr. c. 27. *Cave* P. I. 451. *König* 289. & *Olearius* P. II. 251. Ceterum de Euthymio notandum, eum, ut *Colomeſius* obſervat p. 627. & ex eo *Crenius* Diſſert. I. de furib. librar. p. 55. exſcribere Chryſoſtomum, tacito eius nomine.

Petrus Franciſcus *Zin*, veronenſis, plurima e græco in latinum tranſtulit, ut Gregorii nazianzeni orationem de amandis & amplectendis pauperibus, Gregorii nyſſeni orationes II. eiusdem argumenti, Philonis vitam Ioſephi, IV. abbatum, Ephræmi, Nili, Marci & Eſaiæ quædam opera, & 3. condidit orationes, quarum prima agit de virtutibus Auguſtini *Valerii*, epiſcopatum veronenſem auſpicantis, ſecunda de philoſophiæ laudibus, tertia de iuris & legum laudibus, floruitque medio ſeculo XVI. *Simlerus* in Epit. Biblioth. Geſner. 672.

Conradus *Clauſer*, tigurinus, eodem, quo Zinius, florens tempore, latinitate donavit *Cornuti*, ſive *Phornuti* commentarium de natura deorum gentilium, Commentarios quosdam in epiſtolas Pauli, *Laonici* libros X. de origine & rebus geſtis Turcarum, ipſeque ſcripſit Sermones de I. Chriſti paſſione & reſurrectione, librum de Oratione, Admonitionem de legendis poëtis, Phraſes Iſocratis, Methodum analyticam ex Platone, Ariſtotele, Hermogene & Cicerone conflatam, Artificioſam methodum declamandi, concionandi, diſputandi, conſcribendi epiſtolas, & alia. *Simler* 161.

Ioach. *Perionius*, Cormeriaci in Turonibus natus, Ariſtotelem elegantius latinum, quam Io. Argyropylus fecerat, reddere ſtudens, dum nimium Ciceroni addictus erat, Nic. *Gruchii* & Gul.

Guerentai cenſuram expertus eſt. Eidem etiam cum Pet. *Ramo* contentio fuit de Ariſtotele. Multa ex Patribus græcis tranſtulit in latinam linguam, ſuasque ipſius lucubrationes publico dedit, quibus nominis famam, ſatis inter ſui ævi homines claram, ad poſteritatem propagavit, & animam de litteraria republica bene meritam Deo reddidit A. 1559. *Thuanus* lib. 23. p. 451. *König* 620. G. Th. *Meier* præf. in analyſ. Polit. Ariſtot. §. 47. cuius verba refert *Magirus* 647.

Iacobus *Billius* (de Billi) prunæus, ſanmichaëlani cœnobii in eremo antiſtes, vir non plus nobilitate, (verba ſunt partim *Thuani* l. 74. p. 96. partim *Königii* p. 111.) quam propria virtute ac ſanctimonia & doctrina ab omni fuco aliena, linguæque græcæ exacta cognitione clarus, præterea etiam mathematum & iuris peritiſſimus, græcos Patres eleganter tranſtulit, notisque illuſtravit. Edidit etiam Formulas græcarum locutionum, Anthologiam ſacram, & Obſervationes ſacras: eiusque Carmina extant T. I. Delit. gall. Vtebatur familiariter Gilb. *Genebrardo*, viro doctiſſimo, cuius in ædibus Lutetiæ dum valetudine parum firma hoſpitatur, & Gregorianæ verſionis nuper a ſe recognitæ novam editionem urget, ſub exitum anni 1581. poſt longa morborum tædia, vix 47. ætatis annum ingreſſus, in eadem, qua vixerat, pia animi tranquillitate ad Deum migravit. *Blount* 771. Vide etiam, quid in eo notet Rich. *Simon* T. II. de la Biblioth. choiſ. 35.

Pet. *Nannius*, alcmarienſis, presbyter & canonicus atrebatenſis, græcæ autem & latinæ linguæ 18. annos Lovanii in collegio buslidiano profeſſor, grammaticus præterea, criticus, orator, theologiæ, iuris & matheſeos gnarus, comis & blandi vir ingenii, multis doctrinæ ſuæ monumentis rem litterariam promovit, dum aliquot Patrum ſcripta feliciter tranſtulit, & de ſuis lucubrationibus reliquit Miſcellanea, Dialogos, Orationes, item Scholia in Canticum canticorum, & Sapientiam Salomonis. Mortuus eſt A. 1557. cum ſæculo annos ætatis numerans. Defunctum laudavit Cornel. *Valerius*, & Sigism. Frid. *Fugger*, L. Baro in Kirchberg & Viana, ut gratus diſcipulus, iuſſuque patris, qui cum *Nannio* amicitiam coluerat, bene merito tumulum poſuit in D. Petri baſilica louanienſi. Melch. *Adam.* in Vitis philoſoph. 178. *König* 566. *Magirus* 610. *Blount* 664. *Cren.* Animadv. P. XV. 88.

Raph.

Digitized by Google

Raph. *Seiler*, auguſtanus, ICtus, florens A. 1553, e græco transtulit *Cydonii* de contemnenda morte orationem, collegit Deciſiones ſeu Sententias Cameræ imperialis ab A. 1495. usque ad annum 1570. ediditque Remiſſiones vel Relegationes, inſtar mercurialis ſtatuæ indicantes, quo quique textuum iuris civilis, veri, perſpicui, ſolidique intellectus loco, ultra ordinarias leges, a diverſis iuris interpretibus traditi atque explicati ſint. *Simler.* in Epit. Biblioth. Geſner. 717. *König* 745.

Fed. *Morellus*, gallus, eruditione clarus in initio ſæculi XVII, edidit *Piſidem*, commentarium in *Statium*, & *Libanii* orationes. *König* 553. *Morhof* Polyh. T. I. l. 6. c. 2. n. 19. p. 271.

Pet. *Lanſſelius*, gravelinganus, linguarum orientalium in academia madritenſi profeſſor, obiit A. 1632. æt. 52. deditque Scholia in ea SS. bibliorum loca, ubi Em. *Sa* & Io. *Mariana* deficiunt. Vid. *König* 457. & I. Fr. *Mayer* Biblioth. bibl. 70.

XXII.

IRENÆI Opera, quæ extant, & Fragmenta, cum ſcholiis & annotationibus Iac. *Billii*, Front. *Ducai*, & Fran. *Feuardentii*. Lutetiæ Pariſ. 1675. Quæ editio a *Cave* P. I. 31. habetur pro præſtantiſſima. Meliores autem inſecutæ ſunt, *Grabiana* Oxoniæ A. 1702. de qua vide *Acta erud* eiusd. anni p. 309. & Io. Alb. *Fabricium* Biblioth. lat. 728. & Biblioth. gr. l. 5. c. 1. p. 66. atque pariſienſis P. *Maſſueti* A. 1710. de qua *Iournal* des Savans A. 1711. P. I. 68. & *Fabricius* B. gr. l. 5. p. 69. Operibus hiſce præmittitur 1. *Feuardentii epiſtola dedicatoria* ad CAROLVM lotharingum, metenſem & argentinenſem epiſcopum, ac Pontificis a latere Legatum, in qua eorum ſtudium commendat, qui veterum, præſertim theologorum, ſcripta edunt & emendant, deinde in laudes excurrit cum Irenæi, tum Caroli lotharingi. Invehitur autem in Lutheranos &, uti vocat, Calvinianos, eosque divum Petrum horrendis probris lacerare, hominem libero arbitrio ſpoliare, operibusque iuſtis nullum in cœlis præmium polliceri criminatur: quæ omnia ſunt falſa, talia tamen, quæ fidem faciunt iudicio Ioſ. *Scaligeri* Canon. iſagog. chronol. l. 3. p. 216. ubi editores hoſce Irenæi vocat clamoſos & maledicos. 2. *Commonitio* ad lectores de hac Vta librorum Irenæi editione, ubi fatetur, Irenæum græce ſcripſiſſe, putat autem, ſive eun-

Digitized by Google

dem, ſive presbyterum quendam græca in latinum tranſtuliſſe. 3. Vita Irenæi per eundem *Feuardentium*. 4. Antidota adverſus probra & impias criminationes, quibus illuſtriſſimam B. Irenæi famam lacerare, auctoritatemque vel imminuere, vel labefactare conentur noviſſimi huius temporis hæretici. Quinam vero illi? Ex crudeli quidem Feuardentii ſententia: Calviniani & Lutherani, illi in libro gallicano, quem Clypeum fidei inſcripſerunt, hi in Centuriis magdeburgenſibus. 5. Encomia B. Irenæi ex priſcis Patribus collecta. 6. Interpretatio latina vocabulorum græcorum, quæ in Irenæo paſſim obvia ſunt.

Ad Irenæi autem ſcripta quod attinet, exhibetur heic ex illis, quicquid ſupereſt, videlicet 1) V. libri adverſus hæreſes p. 1. ſcripti ante annum Chriſti 177. ita tamen, ut intervallo aliquo duo priores libri præceſſerint reliquos. In quorum primo agitur de erroribus hæreticorum inde a Simone mago usque ad ſua tempora, inprimis autem de erroribus *Valentinianorum*: in ſecundo refutat eos per ipſorum principia, oſtendens, ſibimet ipſos contradicere: in tertio docet, per auctoritatem eccleſiæ fieri non poſſe, ut totius mundi eccleſiæ conſpirarint in ſententia doctrinæ apoſtolicæ contraria: In quarto probat, non eſſe niſi unum Deum, & contra *Marcionem* demonſtrat, eundem eſſe Deum in V. ac N. T. Præterea rationes affert, quare homo ſpiritualis i.e. chriſtianus, condemnet paganos, iudæos, hæreticos, & ſchiſmaticos: in quinto, eoque magna ex parte mutilo, agit de redemtione I. Chriſti, de lapſu hominis, reſurrectione, extremo iudicio, antichriſto, & ſtatu animarum poſt mortem. Quamvis autem translatio horum librorum, exeunte ſeculo II, ut *Grabio* videtur, a quodam lugdunenſis vel alterius in Gallia eccleſiæ miniſtro facta, admodum ſit barbara & erroribus plena, nihilo minus tamen pretioſum eſt depoſitum, unde doctrina S. huius patris perſpici & æſtimari poteſt. 2) Fragmenta horum librorum græca ex Euſebio, Theodoreto, Epiphanio & Damaſceno, latine reddita a Ioach. *Perionio*, Iac. *Billio*, Io. *Chriſtophorſono*, aliisque: item Fragmenta V. ex ſcriptis B. *Polycarpi*, nunquam antea impreſſa. *Billii* ſcholia & *Ducai* Notæ ultra XIIX. primi libri capita ſeſe non extendunt, ſed *Feuardentius* ſingula omnium librorum capita notis illuſtravit: quæ, *Du Pinii* iudicio p. 74, maximam partem ſunt utiles, & eruditæ, ſed non nullæ ea-

rum

um excedunt limites, quos ſibi præſcribere debet commentator, quippe qui explicare debet auctorem ſuum, non vero oſtentare eruditionem. 3) Fragmentum ex libro extremo Ogdoadis (quam ſcripſit contra Florinum valentinianum, nuper presbyterum romanum) de accurate deſcribendis & cum αυτογραφω conferendis ſuis libris, cum diris & imprecatione, quales & Iudæi & Chriſtiani, immo etiam Romani, Græci & barbari ſuis adponere ſolebant libris. *Fabricius* Biblioth. gr. l. 5. p. 74. 4) Fragmentum epiſtolæ ad VICTOREM papam de celebratione paſchatis diverſa apud orientales & occidentales. Et poſt Indicem plura ſequuntur Fragmenta, a *Ducæo* ſerius transmiſſa. Alia edidit Chriſtoph. Matth. Pfaff. quæ recenſentur in *Clerici* Biblioth. anc. & mod. T. III. 449. & nel *Giornale* de' Letter. d' Italia T. XVI. 226. 5) Sub finem operum additur etiam *Arnobii* catholici & *Serapionis* conflictus de Deo trino & uno, duabus in Chriſto ſubſtantiis in unitate perſonæ, gratiæ & liberi arbitrii concordia, cum notis *Feuardentii.*

Lib. I. adu. hæreſ. c. 26. p. 127. b. *Non ſimiliter*, ut Cerinthus & Carpocrates opinantur.	*Conſimiliter. Velel* diſp. I. de cura veter. circa hæreſ. 33. *Ittig* de Hæreſiarch. ævi apoſtol. (in Actis erud. 1690. 311.)
In Annot. ad c. 9. l. 2. p. 159. a. Hoc ipſum noviſſimi huius ævi *Gnoſticis, i. e. Lutheranis & Calvinianis* contigiſſe.	Vid. *Le Clerc* Biblioth. choiſ. T. III. 406.
L. 2. c. 57. p. 218. a. Nec invocationibus angelicis *faciat* aliquid, nec incantationibus, nec aliqua praua curioſitate, ſed munde & pure & manifeſte orationes *dirigentes* ad Dominũ.	Sic legendum: Nec invocationibus angelicis *facit* aliquid — orationes *dirigens* ad Dominum. *Werlhof* Programm. A. 1702. C 3.
In Annot. ad lib. IV. c. 23. p. 340. a. Calvinus & Marloratus *plane iudaizantes*	Hoc refutatur a *Clerico* T. III. de la Bibl. choiſ. 406.
In Annot. ad lib. IV. c. 37. p. 374. a *Hermetis* ſeu Paſtoris ſcripta.	*Hermæ* E. S. *Cyprianus* ad Hieronymi Catal. de Scriptor. eccleſ. 235.

Irenaus

Irenaus, natione græcus, poſt Domitiani mortem natus, diſcipulus S. Polycarpi & Papiæ, a *Pothino* epiſcopo lugdunenſi ordinatus provecta iam ætate presbyter, eiusque ſucceſſor factus A. 178. ſubque SEVERO Imp. martyrium paſſus circa annum 202. aut 203, ſcripſit græce, non latine, (ut *Eraſmus* initio credidit, poſtea tamen errorem ſuum corrigens) & quidem, præter libros & epiſtolas ſuperius commemoratos, tractatum contra gentiles περὶ ἐπιςήμης de ſcientia: librum de diſciplina: Demonſtrationem apoſtolicæ prædicationis, ad Marcianum fratrem: librum διαλέξεων διαφόρων, h. e. diſſertationes aut homilias ſuper variis materiis: epiſtolam ad Blaſtum de ſchismate, quia ille prætextu ritus paſchalis iudaismum in eccleſiam invehere cum non poſſet, ab ea diſceſſit: librum de monarchia ad Florinum, in quo oſtendit, Deum non eſſe auctorem malorum. Stilus Irenæi non eſt ſublimis, ſed preſſus, terſus, nervoſus, nec tam aptus ad delectandum, quam ad erudiendum lectores. Henr. *Dodvvellus* ſcripſit Diſſertationes VI. in Irenæum, de quibus vide *Acta erudit.* A. 1690. 547. & Io. Alb. *Fabricium* Biblioth. gr. l. 5. p. 68. De ipſo autem Irenæo evolve ſis non tantum *Dodvvellum* & *Fabricium* modo memoratos, ſed etiam *Kӧnigium* 434. *Magirum* 481. *Blount* 174. *Du Pin* T. I. 75. *Olear.* T. I. 416. *Cave* T. I. 30. *Grabium* Prolegom. in Irenæum, & R. *Simon.* Hiſt. crit. N. T. part. III. c. 1. p. 8.

Arnobius, vulgo iunior dictus, ut ab Arnobio afro diſtinguatur, gente, ut videtur, gallus, ſcripſit etiam Commentarium in pſalmos, & Annotationes ad quædam loca euangeliſtarum, florens ſub medium ſeculi V. *Feuardent* in Præfat. *Kӧnig* 63. *Cave* P. I. 255. *Olearius* P. I. 79.

Fran. *Feuardent*, gallus, ordinis Minorum, S. theol. D. & profeſſor pariſienſis, natus A. 1541, florensque adhuc A. 1580, commentatus eſt in Ruth, Eſther, Ionam, epiſtolas Iacobi, Petri, Iudæ. Reliquit etiam Theomachiam calviniſticam, hæreticosque, ut Andr. *de Souſſay* loquitur in Continuat. Bellarm. p. 51, acerrimis ſcriptis exagitavit. *Dallæus* in lib. de Pœna & ſatisfact. 462. ſcribit, fuiſſe hominem ſuo nomine digniſſimum, cœcosque irarum, odiorum & furiarum ignes ſic exagitaſſe, ut raro apud ſe eſſet. Et *Hottingerus* Bibliothecar. 313. corruptionis in Irenæo eundem accuſat, ipſosque Pontificios propterea editionem colonienſem feuardentianæ præ-

præferre obſervat. Adde *König.* 302. *Caſaubontana* 67. *Cave* P. I. p.[?]1. *Thomaſ.* in Cautel. p. 129.

OPTATI milevitani Opera, cum obſervationibus & notis Gabr. *Albaſpinæi.* Pariſiis 1631. Huic editioni quæ vitioſa eſt, acceſſerunt etiam eiusdem Albaſpinæi de veteribus eccleſiæ ritibus Obſervationum libri II. ac Notæ in concilium eliberitanum & quosdam alios antiquos canones, atque aliquot Tertulliani libros. Præclara autem & emendata, ceterisque omnibus præferenda eſt editio Lud. El. *Du Pin*, cum ipſius *Albaſpinæi*, Fran. *Balduini*, Mer. *Caſauboni*, Caſp. *Barthii*, & incerti ſcriptoris notis, Lutetiæ Pariſ. (an vero Amſtelodami?) A. 1700. de qua *Acta eruditorum* A. 1701. pag. 193. Contenta noſtri voluminis hæc ſunt: 1) Caroli *Paulini*, aurelianenſis, S. I. ac poſtea LVDOVICI XIV. Gall. Regis confeſſionarii, qui editionem iſtius, poſt obitum Albaſpinæi, curavit, *epiſtola* ad Armandum Io. Cardinalem de RICHELIEV *dedicatoria*, in qua in laudes magni huius Cardinalis excurrit. 2) Narratio felicis obitus Gabr. *Albaſpinæi*. 3) Præfatiuncula ad lectorem, qua refertur, ſtatuiſſe beatum hunc epiſcopum hiſtoriam omnem carthaginienſem, ac Donatiſtarum hæreſis ortum atque progreſſum ſic illuſtrare ſuis Obſervationibus, omnino ut hæc ſuperioribus ſeculis implicata quæſtio poſteris aperta, plana, explicata denique videretur: ſed mortem præmaturam huic obſtitiſſe propoſito. 4) *Albaſpinæi* obſervationes XI. in Donatiſtarum hiſtoriam, videl. 1. de erroribus ac criminibus Donatiſtarum. 2. & 3. Quomodo congruerent aut differrent Novatiani & Donatiſtæ. 4. An *Melchiades* datus fuerit iudex a CONSTANTINO, in cauſa Donatiſtarum. 5. 6. 7. de manus impoſitione, quæ eſt in ſententia Melchiadis. 8. 9. An quosdam reordinarint Donatiſtæ. 10. de Concilio arelatenſi, contra Calvinum & Molinæum ſeniorem. 11. de die & Conſulibus iudicii proconſularis, quo Felix apungitanus purgatus fuit. 5) *Optati* libri VII. contra Parmenianum. *Hieronymus* tantum VI. memorat: ſeptimus autem, ut *Sculteto* & *DuPinio* Tom. 2. p. 109. videtur, eſt auctori noſtro ſuppoſitus, & fœtus alicuius afri haud ita diu poſt Optatum viventis, & primum in lucem productus a Fran. *Balduino* ICto A. 1569. Optatus in libris ſuis VI. non ſolum ſurgentis atque invaleſcentis Donatianæ ſectæ factionisque hiſtoriam exponit, ſed errores ipſos Donatiſtarum confutat, ſcelera item, factiones, & ſacrilegia ipſorum, ut

Digitized by Google

ut vocantur, exagitat. In ſpecie autem liber I. agit de traditoribus & origine ſchiſmatis Donatiſtarum. II. de una vera eccleſia, quæ, & ubi ſit? III. de defenſione eccleſiæ catholicæ adverſus criminationes *Parmeniani*, quod, dum unio africanæ & aliarum eccleſiarum quærebatur, duo a Marcario, CONSTANTIS Imperatoris Legato, eſſent occiſi. IV. de abuſu dictorum ſcripturæ, quem committant Donatiſtæ, diſſuadentes populo unitatem eccleſiæ. V. de baptiſmatis iteratione nefaria. VI. de multifaria ſtultitia Donatiſtarum, & moribus perverſis eorum, qui ad ipſos tranſierunt. In VIImo repetuntur non nulla capita, in prioribus iam tractata libris, atque ad novas aliquot Donatiſtarum provocationes reſpondetur. 6) Notæ Gabr. *Albaſpinæi* in VII. Optati libros. 7) In eosdem Annotationes ex Fr. *Balduini* commentariis. 8) Ad eosdem *incerti auctoris* Emendationes. 9) Geſta purgationis *Cæciliani* & *Felicis*. Sunt pars quædam proceſſus verbalis circa iuſtificationem Felicis, epiſcopi autumnitani, habiti A. 314. m. Febr. in quo convincit *Ingentium* falſi, quod nimirum & ipſe contribuerit aliquid ad epiſtolam Cæciliani, qua falſo accuſabatur Felix, quaſi eſſet traditor. 10.) Exemplum epiſtolæ *Conſtantini*. Qua præcipitur Ablauio, ut Cæcilianum cum quibusdam ſuæ ſectæ epiſcopis æque ac nonnullos ipſius accuſatores Arelaten mittat, quo ibi in Synodo mox inſtituenda poſſint iudicari. 11.) Concilium epiſcoporum Arelate celebratum & directum a SILVESTRO, Epiſcopo Romanorum. Vbi habentur V. epiſtolæ CONSTANTINI Imp. e quibus Donatiſtarum obſtinatus animus, & Imperatoris moderatio ac ſtudium pacis eccleſiæ elucet. 12.) Fragmenta a donatiſta quodam ſcripta ex hiſtoria paſſionis martyrum africanorum ſub Anulino proconſule: videlicet, Dativi, Saturnini, Felicis, Ampelii & aliorum. Scriptum hoc complectitur impudentes Donatiſtarum calumnias contra Menſurium & Cæcilianum. 13.) Geſta Collationis carthaginienſis. Habita hæc fuit Collatio inter Catholicos & Donatiſtas, HONORII Cæſ. iuſſu, coram Fl. Marcellino V. C. Trib. & Not. P. C. Varanis V. C. A. 411. ac primum in lucem edita a Papirio *Maſſonio*, poſteaque a Petro *Pithoeo* cum MSS. collata & emendata. 14.) Hiſtoria carthaginienſis Collationis ex Commentariis Fr. *Balduini*. 15. Obſervationum *Albaſpinæi* libri duo, eiusdemque Commentarii & Notæ in aliquot concilia & Tertulliani libros, nimirum in Concilium eliberi-

Digitized by Google

berinum, cæſarauguſtanum, toletanum I. barcinonenſe, gerundenſe, nicænum I. chalcedonenſe, ancyranum, neocæſarienſe, antiochenum, laodicenſe, & caput 2. epiſtolæ tertiæ INNOCENTII P. R. ad Exuperium; in concilium arelatenſe I. arauſicanum I. vaſenſe I. arelatenſe II. valentinum, epaunenſe, carthaginienſe II. III. & IV. in *Tertulliani* libros de Pœnitentia, de Oratione, ad Vxorem, de Præſcriptionibus, de Pudicitia, de Spectaculis. *Thomaſ.* in Cautel. c. 11. §. 26. c. 13. §. 19. De Notis & Obſervationibus iſtis, ac præcedentibus etiam, quas memoravimus numero ſexto, ſic iudicat *Du Pin* p. 121. eas quidem explicare quædam capita diſciplinæ, nec tamen ſemper recte ſe habere. Interim pro frivolis ſcripta iſthæc non ſunt habenda, ſicut iudice *Hülſemanno* in Patrol. c. 4. n. 28. fine cauſſa fecit Mer. *Caſaubonus.* Obſervationes hæ alias prodierunt cum notis Georg. *Kettembeilii*, opera Conr. Ritterſhuſii, in 4. item cura Gebh. Theod. *Meieri* eadem in forma.

Optatus, afer, milevitanæ eccleſiæ in Numidia epiſcopus, circa annum Chriſti 370. ſub VALENTINIANO & VALENTE Impp. ſedente Romæ DAMASO, ſex libros adverſus Parmenianum, ſectæ donatiſticæ epiſcopum, elucubravit; vixit autem usque ad pontificatum SIRICII, ac THEODOSII imperium: quo tempore libros ſuos recenſuerit, eaque confecerit additamenta, quæ libro VII. continentur. Quo vero anno diem ſupremum obierit, non liquet. *Sancti* nomen inde iam ab initio ſexti poſt natum Chriſtum ſeculi tributum ei eſt. Occaſio libros iſtos ſcribendi Optato hæc fuit: Donatiſtæ maledicis ubique vocibus adverſus Catholicos perſtrepebant, at confeſſum & colloquium eorum vitabant quam poterant maxime. *Parmenianus* autem non contentus, dictis, quæ in ventos abeunt, Catholicos inceſſere, ſententiam ſcriptis ſuam complexus eſt. Hæc igitur *Optatus* ſibi refutanda ſumſit libris prædictis, quorum utilitatem prædicat B. *Hieronymus*, multaque & valde egregia ad doctrinam pariter & diſciplinam eccleſiaſticam in eis contineri, variis probat exemplis. Stilus auctoris eſt magnificus, vehemens, & preſſus, ſed minus nitidus, ac politus. *Du Pin* in præfat. (& in *Actis erud.* A. 1701. 195.) *König* 590. *Cave* P. I. 131. *Olear.* P. II. 14. *Centuriatores magdeburgenſes* laudant eum, ut virum inſtructum multiplici eruditione, conſtanti pietate, & doctrina. *Barthius* vocat pium & elegantem ſcriptorem, ſummumque argumentandi artificem. Vide *Magirum* 623.

Gabr. *Albaſpinaus*, Guilielmi Marchionis a Caſtello novo filius, adeoque ex illuſtriſſima familia editus, aurelianenſis epiſcopus, multis virtutibus, doctrina, ingenio, conſilio, acritate mentis, navitate, canonum veterum decretorumque ſcientia, & præclaris ingenii dotibus, præcipue vero humanitate, miſericordia & liberalitate erga pauperes inſignis, ac fere incomparabilis fuit. Famulorum ægrotantium curam ipſe habuit, eosque crebro inuiſit. Nihil ei prius, nihilque antiquius fuit, quam copias pauperibus ſuas, easque ingentes, elargiri, illos ipſos *uberiores ac pinguiores ſuos fructus* (vox Antiſtite digna, ſed oppido rara!) vocitans. Sæpe etiam piis hominibus dixit, ſi gravior annona incumberet, non ea tantum, quæ in numerato haberet, cum egenis communicaturum, ſed omnem inſuper ſupellectilem ſuam, & abacum, & currum, & ſacrarii ſui aurum atque argentum omne oppigneraturum. Immo poſt mortem ſuam nihil de familiæ claritate, nihil de dignitatibus, nihil de virtutibus ſuis prædicari voluit, præter unicam in pauperes miſericordiam: eamque ſibi fore dulcem næniam, funebrem pompam, ac monumentum ære perennius putavit. Mortuus autem eſt A. 1630. Gratianopali, cum ex Alpibus, ad quas LVDOVICVS XIII. Rex chriſtianiſſimus fulminabat, & ad quem a Clero gallicano miſſus fuerat, rediiſſet, mortemque eius ſenſit viditque in ſomnio mendiculus quidam, in via, qua Aurelia Magdunum itur, cum miſera & afflicta matre degens: media enim nocte magno eiulatu matrem excitauit, ac *fame poſthac peribimus*, inquit, *o mater: obiit ſacer antiſtes, iam iam vale mihi dixit, atque ut ſua cauſſa Deum orarem, multis precibus obnixe contendit.* Nam Aurelia Magdunum ad caſtellum ſuum nunquam ibat benigniſſimus præſul, neque Magduno redibat unquam Aureliam, quin mendicanti ad currum pauperculo iſti nummum impertiret argenteum, unde arctiſſima in rerum omnium egeſtate ſuſtentaretur oppreſſa familia. Atque hæc excerpſimus ex *Deſcriptione felicis eius obitus*, quæ, uti diximus, Operibus præmiſſa eſt. Ab *Vſſerio* in Epp. Ignatii c. 6. p. 195. dicitur vir antiquorum eccleſiæ rituum ſcientiſſimus; & a Ger. *Titio* de phraſib. vet. eccl. Dd. p. 158. epiſcopus doctiſſimus. Quibus adde Ioſ. *Arnd* de freq. commun. c. 5. p. 133. & Chriſtian. *Helvvichium* de ordinat. presbyt. p. 3.

CLE-

XXIII.

CLEMENTIS alexandrini opera, græce & latine, ex verſione Dan. *Heinſii*, & emendationibus Frid. *Sylburgii*, variorumque annotationibus. Coloniæ, ſeu potius Wittebergæ, 1688. Ex bibliotheca Frid. Bened. *Carpzovii*. Editio nova, iuxta pariſinam A. 1641. Huic autem *Du Pin* T. I. p. 86. præfert alteram pariſinam de A. 1629. Et illi quidem, qui ad hanc editionem contribuere annotationes, ſunt Theod. *Canterus*, Ioan. *Arcerius*, Dav. *Hæſchelius*, Georg. *Remus*, Pet. *Victorius* & Hieron. *Commelinus*. Opera vero ipſa, hic contenta, ſunt: 1) Admonitio ad gentes p. 1. Qua eas hortatur, ut relicta religione ſua falſa chriſtianam amplectantur. 2) Pædagogi libri III. p. 77. Quibus hominis converſi mores formantur, ſeu theologia moralis traditur. 3) Stromatum libri IIX. p. 269. In quibus ei, qui iam informatus eſt in doctrina chriſtiana, uberiorem eius cognitionem ſubminiſtrat: præcipuusque huius operis ſcopus eſt oſtendere, doctrinam chriſtianam philoſophia eſſe antiquiorem. Octavus autem liber eſt farrago principiorum logicorum, nihilque continet, quod ſpectet ad religionem chriſtianam. *Du Pin* T. I. 83. Dicuntur libri *Stromatum*, quia continent variam multiplicemque literaturam, ſimilem ſtragulis varie contextis, quæ a Græcis *ϛρωματα* vocantur. Tria hæc ſcripta, uti ex *Heinſio* obſervat Io. Alb. *Fabricius* B. gr. l. V. 103. referunt veterum myſtagogorum ac philoſophorum tres gradus, *αποκαθαρσιν*, *μυησιν*, & *εποπτειαν*. nam in Protreptico purgantur futuri chriſtiani a ſordibus ſuperſtitionum atque ethniciſmi; in Pædagogo iam facti initiantur atque inſtituuntur; in Stromat. libris ad facra maxima, & ſupremamDei contemplationem admittuntur. 4) Subiiciuntur *εκ των Θεοδοτȣ και της ανατολικης καλȣμενης διδασκαλιας κατα τȣς Ουαλεντινȣ χρονȣς Επιτομαι*, græce tantum, i. e. epitome ex *Theodoti* ſcriptis, & doctrina orientali (id eſt, Gnoſticorum. R. *Simon* Hiſt. crit. T. III. 19. 28. & *Thomaſ.* in Cautel. 136.) ſecundum tempora vel æonas Valentini, continens varias locorum S. ſcripturæ explicationes gnoſticas & valentinianas. Intelligendus autem Theodotus byzantinus, coriarius, a VICTORE rom. epiſcopo excommunicatus, cuius hæreſin perſtringit etiam S. *Hippolytus* in homilia contra errores Noëti. Et Epitomen illam a Fran. *Combefiſio* latinitate donatam, quæ interpretatio extat in *Fabricii* B. gr. l. V. 135. germanice reddidit Godofr.

Arnoldus in Hiſt. eccleſ. & hæret. P. IV. p. 41. quam vero verſionem poſtea impugnavit Elias *Veiel* in Oſtenſione Arnoldo oppoſita. Præmittuntur præfatio & veterum de Clemente noſtro teſtimonia. In præfatione autem dicitur, *Hervetum* male hæc vertiſſe opera, idque aliquot exemplis comprobatur: *Clementem alex.* eſſe auctorem valde obſcurum: ſapientesque videri, non qui voces in Patribus & ſyllabas, quanquam & hoc neceſſarium, ſed qui vitam emendent. Clementis huius Supplementum edidit Thom. *Ittigius*; de quo vide *Acta erudit.* A. 1700. 451.

In *Stromat.* l. VI. p. 646. prophetæ dictum (*Pſ.* 117. (118.) 20. *Barnabas* exponens. | Immo *Clemens* romanus. *Grabe* Spicil. Patr. ſec. I. 303.

Titus Flavius *Clemens*, athenienſis, dubium nativitate ne, an origine, ex ethnico philoſopho chriſtianus, multis & longinquis itineribus exercitus, Pantæni diſcipulus, & ſucceſſor in munere catechetico, pariterque alexandrinæ eccleſiæ presbyter, & catecheſeon magiſter, eruditus ſed & nævis expoſitus, claruit ab A. C. 191. usque ad 210. multaque ſcripſit, e quibus prædicta duntaxat ſuperſunt. *Olearius* P I. 169. Io. Alb. *Fabricius* 102. *Thomaſ.* in Cautel. 127. Fuit hic Clemens, iudice *Barthio*, & *Campanella*, omnium, qui contra gentes, ex earum doctrina & lectione inſtructi pugnarunt, auctorum longo intervallo præclariſſimus, ac verus chriſtianæ antiquitatis Varro. Stilus eius in Stromatibus eſt incomtus, ſed in Protreptico & Pædagogo elegantior, fulciturque gravitate, quæ lepore non caret. *Cren.* de Singular. ſcriptor. 98. *Magirus* 224. *Blount* 178. *Campanella* de libris propr. c. 9. Rich. *Simon* Hiſt crit. N. T. part. III. c. 2.

Dan. *Heinſius*, gandavenſis, iam in infantia & pueritia adverſam fortunam cum parentibus expertus, Henr. *Schotani* & Bonaventuræ *Vulcanii* diſcipulus, a grammaticorum canonibus ediſcendis abhorrens, græcarum autem literarum ſtudio incredibili ardeſcens, a Ioſ. *Scaligero* & Phil. *Marnixio* impenſe dilectus & æſtimatus, in academia leidenſi iuvenis, videl. anno ætatis 19, docere cœpit, latinos primo, mox & græcos exponens auctores: poſtea politica profeſſione donatus eſt, ac denique hiſtorica, publicæ quoque bibliothecæ a Curatoribus præfectus, a GVSTAVO ADOLPHO, Sueciæ Rege, in numerum Conſiliariorum cooptatus, & a Ser. VENETORVM Rep. equeſtri D. Mar-

ci

Digitized by Google

i dignitate ornatus. Morti proximus, quæ ſecuta eſt A. 1655. æ-
itis eius 73. omnium pæne rerum oblitus eſt. Ex auctoribus græ-
is & latinis, partim cum interpretatione & notis ſuis, edidit Ma-
imum Tyrium, Ariſtotelis librum de poëtica, Paraphraſten anti-
uum in Ethica Ariſtotelis, Theocritum & græcos interpretes, He-
odum & eius interpretes, Theophraſtum ereſium, Themiſtii O-
itiones quasdam, Silium italicum, Horatium, Senecæ tragœdias,
eque ſui ingenii penu Peplum græcorum epigrammatum, Ora-
ones, Poëmata, Hiſtoriam rerum ad Silvam-Ducis geſtarum, (in
ua *Taciti* profundum os multa doctrina curaque, ſine ineptiis,
rout *Crenius* p. I. Methodor. p. 382. iudicat, non infeliciter æmula-
is eſt) & alia. *König* 386. *Academia leidenſ* 201. Io. *Moller* ad Schef-
ri Suec. liter. 454. *Magirus* 424. *Blount* 993. Quibus adde Octav.
rr rium Opp. P. I. 154. & P. II. 111. *Scaligerana* 178. 185. *Morhof.* in Po-
hiſt. *Schuppius* in lib. Amicus in adverſis, accuſat eum magnæ ſu-
erbiæ, G. I. *Voſſius* in Epp. præſt. vir. p. 800. maledicentiæ, & *Calovius*
. Cren. Animad. P. I. 63. ſectationis criticarum minutiarum.

XXIV.

ORIGENIS Commentaria in S. ſcripturam, quæcunque
ræce reperiri potuerunt, omnia, cum variorum verſionibus, no-
isque & animadverſionibus, atque Origenianis Pet. Dan. *Huetii*, Co-
niæ (aut potius Wittebergæ, vel Francofurti) 1685. ad exemplar
tomagenſe anni 1668. Origenis opera ſæpius prodierunt Lute-
æ Pariſ. & Baſileæ, de quo legendi ſunt *Du Pin* T. I. 34. *Cave* P.
61. R. *Simon* Epp. ſelect. ep. X. ac I. Alb. *Fabricius* B. gr. I. 5. Et P. *de
Rue*, monachus benedictinus, novam ac pleniorem daturus eſt
nnium Origenis operum editionem. Quique ea integra, prout
uidem hodie dantur, vult habere, is iungere huic volumini de-
t ea, quæ latine edidit Gilb. *Genebrardus*, & quæ ſeorſum pro-
erunt, videlicet librum de Precatione: Sermonem exhortat. ad
artyrium: Hebraicorum nominum S. ſcripturæ, & menſurarum
terpretationem: & librum I. refutationis omnium hæreſium, e-
tum a Iac. *Gronovio*, & I. C. *Wolfio*. In hoc autem volumine hue-
ino, quod prima eſt pars eorum, quæ publico donare conſtitue-
t reverendiſſimus editor, quodque complectitur exegetica, cum
unda deberet exhibere Syntagmata, & tertia Spuria, continen-
r 1) Fragmenta Comment. in Geneſeos c. 1, v. 12. 14. 16. ſcripti poſt
A. C.

A.C. 231. æt. 47. cum verſione Fran. *Vigeri* & Io. *Tarini*. 2) Fragmenta Comment. in Exodi cap. 20, 27. eodem tempore. 3) Fragmentum homiliæ II. in Leviticum, poſt A. C. 244. æt. 60. ſed diverſæ ab illis in Leviticum homiliis, quæ in latinis Origenis editionibus exſtant. 4) Fragmentum comment. in Ioſuam. c. 15. poſt A. 237. 5) Homilia in I. Regum c. 28. poſt A. 244. æt. 60. cum verſione Leon. *Allatii*. 6) Fragmenta comment. in pſalmos, ante A. 231. æt. 47. cum verſione *Petavii*, *Tarini*, Henr. *Valeſii*. 7) Fragmentum parvi tomi in Canticum, poſt A. 210. æt. 26. & aliud ex ſecundo in Canticum tomo, A. 240. æt. 56. cum auctor eſſet Athenis. 8) In Ieremiam homiliæ XIX. eodem tempore: & tertia quidem, quinta, ſexta, ſeptima, decima quinta, decima octava, & undeviceſima cum Balth. *Corderii* verſione. Omiſſa autem ſunt, indicante id *Fabricio* p. 217. Fragmenta, quæ exſtant in Catena in Threnos, quam latine Ant. *Agellius*, & græce ac latine Mich. *Ghislerius* publicaverat. 9) Fragmentum tomi XX. in Ezechielem, A. 240. æt. 56. 10) Fragmentum exegeticorum in Hoſeam. A. 247. æt. 63. 11) Fragmentum tomi I. in Matthæum, poſt A. 244. æt. 60. & tomi II. cum *Valeſii* & *Tarini* verſione; nec non Tomus XI. usque ad XVII. cum *Huetii* verſione. 12) Tomus I. & II. in Iohannem, ante A. 231. æt. 47. cum verſione Ambroſii *Ferrarii*. 13) Fragmentum homiliæ quartæ in Acta apoſtolorum, poſt A. 244. æt. 60. cum verſione Io. *Tarini*. 14) Fragmenta tomi I. & IX. exegeticorum in epiſtolam ad Romanos, eodem tempore. 15) Fragmenta duo homiliarum in epiſtolam ad Hebræos, poſt A. 244. æt. 60. cum verſione Henr. *Valeſii*. Quas obſervationes de tempore ſcriptionis aut meditationis, præſtantiſſimo debemus *Fabricio*, l. c. Hiſce ſubiunguntur *Huetii* Obſervationes & Notæ: in capite autem voluminis exhibentur eiusdem Præfatio, & Origeniana, in quarum illa vir illuſtriſſimus diſſerit de iam commemoratis partibus huius operis, in his autem 1. de vita & obitu Origenis, 2. de eius eruditione & dogmatis, unde multæ ortæ ſunt turbæ. 3. de eiusdem ſcriptis.

Origenes, non confundendus cum Origene philoſopho platonico, natus Alexandriæ Ægypti A. 185. parentibus chriſtianis, (e quibus pater *Leonidas* martyrium ſubiit A. 202.) adeoque a puero chriſtiana fide imbutus, ſæculares & ſacras litteras diligenter coluit, mirumque in modum in utrisque profecit. Clementis alexandrini

&

: auditor fuit, & catechetico in munere ſucceſſor; cumque in hac roſelytorum informatione frequenter ipſi non minus cum fæminis, uam cum maribus converſandum eſſet, ſcripturæ litteram *Matth.*), 12. ſuperſtitioſe ſecutus, ſe ipſum, cultro ne vel medicamine? robabilius autem hoc, quam illo, eviravit, magiſterium catecheſe- ; incredibili ſtudio exercens, donec per invidiam *Demetrii* epi- opi expulſus Cæſaream ſe conferret, ubi anno ætatis 43. Chriſti :8. ordinatus fuit presbyter. Sed & hoc diſplicuit Demetrio, epi- opo ordinario, propentereaque omnem lapidem movit, ut rever- im Alexandria eiiciendum, & ſacerdotio privandum curaret. c Origenes iterum Cæſaream migravit, ac deinde perſecutionis :ocella ſæviente de loco in locum fugit, donec Tyri miſeram & lamitoſam vitam anno Chriſti 253 ætatis 68. deponeret. Iac. *Ha- us* in Conlect. libr. rar. T. I. Faſc. V. 55. Dictus fuit *Adamantius*, em χαλκεντερος, ob animum pertinacem & plus quam adaman- ıum, utpote quem nec vitæ auſteritas, nec perpetui laboris ſtu- um, nec dura paupertas, nec æmulorum improbitas, nec ſup- iciorum terror a ſancto abſterreret inſtituto. Cognominatus ıoque fuit συνταϰτης *Compoſitor*, incredibile enim dictu eſt, quam ıultos ſcripſerit libros: nam *Epiphanius*, alioquin ei iniquior, te- ſtatur, illos ad numerum ſex millium aſcendere. Vnde *Hiero- mus* ait: *Quis noſtrum tanta poteſt legere, quanta ille conſcripſit?* Atta- en hodie pauca ex illis ſuperſunt, & pauciora integra: quædam iam ei tribuuntur, quæ vel dubia ſunt, vel ſuppoſititia, de qui- ıs videndi *Cave*, *Du Pin*, & Io. Alb. *Fabricius*. Multi errores ei ob- cti fuere, cum viveret, maxime autem poſt mortem: immo di- us fuit fons hæreticorum. Sed eius apologiam ſuſceperunt inter :teres *Rufinus*, *Euſebius* Pamphili, & *Socrates*; inter recentiores Io. *'cus*, comes mirandulanus, *Merlinus*, *Eraſmus*, *Genebrardus*, Pet. *'alloix*, Pet. *Cunaeus*, Io. Rodolf. *Weſtenius*, *Huetius*, Gottfr. *Arnoldus* iſtor. eccl. & hær. P. I. 99. I. Wilh. *Peterſen* in Αποκαταϛ. παντ. P. I. . Erraverit bonus vir, ſicut errare humanum eſt, & adhæreant ſis eius ſpinæ ex inconſiderata applicatione philoſophiæ plato- ıcæ ad theologiæ dogmata, & nimio allegoriarum amore, conſi- :rare tamen oportet, 1. præiudicia in iuventute hauſta non ita cile deponi poſſe, 2. multa ab eo dicta ſcriptave non dogmatice, d problematice, 3. eos libros, in quibus præ aliis errores reperiri

Digitized by Google

aiunt, non in communem eccleſiæ, ſed in privatum amicorum uſum ſcriptos, nec ab ipſo Origene, ſed aliis in lucem prolatos. 4. multas, quæ in eo damnabantur, ſententias, ne quidem eccleſiæ catholicæ dogmatibus, aut apoſtolicis traditionibus, Conciliorumve decretis adverſas, ſed quæſtiones vel philoſophicas fuiſſe, vel fidei adnatas. 5. plurima eius ſcripta ab hæreticis adulterata & interpolata eſſe. Certe vir fuit eruditiſſimus & ſanctiſſimus, linguarumque græcæ & hebraicæ (quanquam ei huius cognitionem multi abiudicant, ceu patet ex *Actis erudit.* A. 1701. 32.) callentiſſimus, eiusque elogia collecta reperies in *Gerhardi* Patrol. 143. *Magiro* 6. 3. *Blount* 197. *Genebrardi* Prolegomenis, & P. I. Origenianor. *Huetii*, in quibus caput effert illud *Didymi* & *Hieronymi*, ſecundum poſt apoſtolos eccleſiarum magiſtrum vocantium Origenem. Et *Eraſmus* in primis maximi eum fecit, atque Auguſtino aliisque patribus prætulit, Opp. T. III. 401. V. 432. VI. 559. IX. 87. Stilo uſus eſt diffuſo quidem & abundante, perſpicuo tamen & facili. Operibus eius accenſeri etiam poſſunt collectiones illæ variarum S. ſcripturæ editionum, quæ vocantur *Tetrapla*, *Hexapla*, & *Octapla*, ſcripta in totidem columnis iuxta ſe invicem, & inchoata A.C. 228. ætatis 33. Tyrique perfecta poſt A.C. 244. æt. 60. Et Octapla quidem conſtabant 1. exemplari ebraico, eiusdem linguæ literis deſcripto, 2. exemplari ebraico græcis elementis exarato, & verſionibus græcis, 3. Aquilæ, 4. Symmachi, 5. LXX. interpretum, 6. Theodotionis, 7. Quintæ editionis hierichuntinæ, & 8. Sextæ editionis nicopolitanæ, quæ duæ ultimæ deſiderantur: Hexapla, quæ auctiora edidit Bern. *de Montfaucon*, Pariſiis 1714. p. 1. & Atrio nov. libror. T. III. 589. 665. ſex prioribus prædictarum editionum: & Tetrapla quatuor intermediis, videl. Aquilæ, Symmachi, LXX. & Theodotionis verſionibus. Vid. *Huetius* in Origenianis p. 255. R. *Simon* Hiſt. crit. part. III. c. 3. 4. 5. C. *Thomaſ.* in Cautel. cir. hiſt. eccl. 141

Pet. Dan. *de Huet*, cadomenſis, Ser. Delphini, LVDOVICI XIV. Magni filii præceptor, epiſcopus abrincenſis, iam diu privatam agit vitam Lutetiæ Pariſ. in domo profeſſ. Ieſuitarum, octogenario maior, ſcripſitque etiam de Interpretatione, de Claris interpretibus, de origine librorum, qui gallice *Romans* vocantur, Odas & Satyras, de quibus vide *Morhofium* Polyh. I. p. 92. lib. 7. p. 380. 383. III. p. 53. vir raræ eruditionis *Bocharto* Hieroz. P. I. 956. *πολυ-*

μα-

αϑεϛαι☉. *Morhofio* Polyh. tomo I. p. 92. clarus hodie in literis *Vi-*
ringa Sacr. obſervat. l. 1. 452. dictus. Quibus adde *Bynaeum* de natiuit.
Chriſti 322. *Clericum* Biblioth. ſelect. T. XII. 26. *Critopulum* in Cen-
ſura eclog. Mayeri 47. & *Menagiana* T. II. 278. T. III. 91. 93. 116. 576.

Fran. *Vigerus*, rotomagenſis, Soc. Ieſu presbyter, eloquentiæ
prof. pariſienſis, & eccleſiaſtes, vir græce & latine doctiſſimus,
verſione & notis illuſtravit Euſebii Præparationem euangelicam,
librumque dedit de Idiotiſmis græcæ linguæ, cuius editio leyden-
ſis de A. 1680. eſt optima, e vivis exceſſit A. 1647. æt. 56. *König* 844.
Witte Diar. biograph. X x 3. R. *Simon* Biblioth choiſ. T. I. 35. 46. Ver-
ſio Euſebii, ab ipſo peracta, iudice *Simonio* p. 36. eſt exactiſſima, &
iuxta *Labbeum* P. I. 306. terſiſſima & caſtigatiſſima.

Io. *Tarinus*, andegavenſis, in literas redegit Deditionem nanci-
iam, & Soteria nancina A. 1653.

Balth. *Corderius*, antverpienſis, S. I. primum græcæ linguæ
Bruxellis lector, deinde theol. doctor, & profeſſor viennenſis, e-
didit Catenam Patrum in Pſalmos, & euangeliſtas Matthæum, Lu-
cam & Ioannem, Io. *Philoponum* in caput I. Geneſ. Opera S. *Dionyſii*,
ut fertur, areopagitæ, & S. *Dorothei* Inſtitutiones aſceticas, morta-
litati valedicens anno 1650. æt. 58. *König* 211. *Witte* Diar. biogr. A a a.

Dionyſ. *Petavius*, aurelianenſis, S. I. Pariſiis in collegio cla-
ramontano primum rhetorices, deinde SS. literarum profeſſor, vir
æque ſanctus, ac doctus, ſed & ſuperſtitioſus in flagris eo usque
corpori ſuo interdum dandis, ut ad vulnerum medelam chirurgi
opem implorare neceſſe eſſet, præterea etiam mordax & obtre-
ctator, ac Ioſ. *Scaligero* infenſiſſimus, ita ut ad eius nominis pronun-
ciationem nauſearet, in omni ſcientiarum genere edidit libros tam
eruditos, ut ex omnibus prope regnis a viris doctis conſuleretur:
conſuevit etiam quotannis repetere Io. *Deſpauterii* Grammaticam,
ne quid ipſi excideret contra regulas grammaticæ, obiitque A. 1652.
æt. 69. Inter eius opera eminent Dogmata theologica, Pariſiis 1644.
& Antverpiæ 1700. Rationarium temporum, Pariſ. 1627. & Frane-
queræ 1700. *Syneſius*, *Themiſtius*, & *Iulianus* cum verſione & notis, tra-
ctatus de Pœnitentia publica, Poëmata, Orationes & Epiſtolæ, alia-
que plura. *König* 623. *Colomeſius* 217. Henr. *Valeſius* in eius vita, *Vale-*
ſiana 26. *Sorberiana* 171. *Magirus* 649. *Blount* 979. *Curcellaeus* p. 862.
eum vocat inter Ieſuitas aquilam; *Limborchius* Theol. chriſt.

l. 2. c. 17, n. 26, doctorem inter Ieſuitas celeberrimum ac doctiſſimum.

Henr. *Valeſius*, pariſienſis, primum advocatus in ſumma Curia, deinde hiſtoriographus regius, cum aliis libris, tum verſione & notis in Conſtantini Porphyrogennetæ variorum Græcorum excerpta, notisque in Ammianum Marcellinum, & aliis a *Colomeſio* p. 316. indicatis clarus, obiit A. 1676. æt. 72. *König* 828. *Magirus* 787. *Colomeſius* l. c. & p. 709. *Blount* 1029, Io. *Clericus* de Arte crit. ſect. I. c. 14. *Hallervord* Spicileg. de Hiſtor. lat. 669. *Schurzfleiſch* Epp. arcan. T. I. 90. 104. *Critopulus* in Cenſura eclogarum Mayeri 64. ubi dicitur, plures obſervaſſe, eum nec in chronologia, nec in græcis litteris ſatis verſatum fuiſſe.

Ambroſ. *Ferrarius*, mediolanenſis, monachus benedictinus, vir græce doctus, claruit anno 1552. *König* 300. *Friſius* Epit. biblioth. geſner. 35.

XXV.

ORIGENIS opera, eaque tantum latine, doctiſſimorum virorum ſtudio iam olim tranſlata, poſtremo autem a Gilberto *Genebrardo* partim cum græca veritate collata, partim libris recens verſis & e regia bibliotheca depromtis aucta Pariſiis 1604. f. mai. Et quidem in tomo I. hæc continentur: 1) in Geneſin homiliæ XVII, eæque extemporales, & diverſæ a myſticis. 2) in Exodum XIII, & ipſæ extemporales. 3) in Leviticum XVI, eiusdem conditionis. Secundæ harum homiliarum fragmentum in Philocaliæ c. 1. exhibetur; ſed cum eius nec vola, nec veſtigium in ſecunda latinæ editionis homilia extet, haud difficulter inde colligas, plures in Leviticum homiliarum collectiones fuiſſe. *Cave* P. I. 57. 4) in Numeros XXVIII. rurſus extemporales, cum ſcholiis Origenis permiſtæ. 5) In Ioſuam XXVI etiam extemporales. 6) in librum Iudicum IX. 7) in 1. Reg. (Sam.) c. 1. & 2. de Elkana, eiusque uxoribus Peninna & Hanna, item de Eli, eiusque filiis Ophni & Pinehas I. 8) in librum Iobi libri III. quos e græco in latinum ab *Hilario* confeſſore verſos tradit *Hieronymus* adverſ. Vigilantium. Sed accenſentur ſuppoſititiis. *Cave* 61. 9) in pſalmum 36. V. 10) in pſ. 37. II. 11) in pſ. 38. II. 12) in Cant. cant. II. auctoris adhuc iuuenis. 13) in Cant. cant. explanationis uberioris, quæ ab Origene iam prouectiore facta eſt, IV.

Digitized by Google

V. quarum duæ priores interpretem habent *Hieronymum*, reliquæ ſicut illæ, quæ a nobis a numero 1. uſque ad 8. memoratæ ſunt, *Rufinum.* 14) in Eſaiam IX. quarum quidem alias dantur XXV. demque hunc in prophetam ſcripſit Commentariorum libros XXX. & Scholia. 15) in Ieremiam (de XLV.) XIV. extemporales, & confuſo hic ordine exſtantes, atque ab *Hieronymo* translatæ. 16) in Ezechielem XIV, extemporales, & ab *Hieronymo* verſæ. 17) Peri archon, id eſt, de Principiis libri IV. anno 233. ſcripti, difficillimi ſane & obſcuriſſimi, atque a *Rufino* peſſime verſi, multis videlicet omiſſis, aliisque additis & interpolatis. *Cave* P. I. 60. Interim *Rufinus* in Prologo p. 419. negat ſe quid usquam addidiſſe, niſi ad tollendam obſcuritatem, immo dehortatur ab omni additione & ſubtractione. Tractatur autem in iis de chriſtianæ ſcientiæ rudimentis, ad inſtar compendii theologici. Ioach. *Hildebrand* Theol. dogmat. 36. 18) Threni ſeu planctus Origenis. Eſt ſcriptum ſpurium. 19) Apologia *Pamphili* martyris pro Origene. Hæc Apologia ad eos, qui pro Chriſti nomine ad metalla damnati erant, ſolatii ergo mittebatur, & libris conſtabat V. quibus ſextum addidit *Euſebius*. Ex iis primus defendit vel excuſat Origenis dogmata, reliqui de eius vita, moribus & eruditione agunt. Et primum hic elegit *Rufinus*, quem latino ſermone explicaret. *Cave* 76. 20) *Rufinus* de deprauatione librorum, præcipue *Origenis*. Vbi oſtendit, Origenis libros, ſicut & aliorum, ut *Clementis* apoſtolorum diſcipuli, *Clementis* alexandrini, *Dionyſii* alexandrini, *Hilarii* pictauienſis, *Cypriani* & *Damaſi*, ab hæreticis & maleuolis nefarie eſſe corruptos; atque ea illata, quæ ab eius ſententiis & doctrinis longiſſime ſunt remota. 21) de recta in Deum fide Dialogus, contra Marcionitas, Ioach. *Perionio* interprete. *Wetſtenius* quidem ipſi hunc Origeni tribuit, *Huetius* autem Maximo. *Cave* 61. 22) Commentarius in Iob, eodem *Perionio* interprete, itidem ſuppoſititius. 23) in eundem homiliæ V. quas *Chryſoſtomi* eſſe deprehenſum eſt. In tomo II. 1) in Matthæum tractatus XXXV. ſic male diviſi, interprete, uti *Huetius* coniicit, vel *Epiphanio* ſcholaſtico, vel *Bellatore* presbytero. Sunt pars commentariorum, a capite 16, verſ. 33. initium ducens, & ad finem fere euangelii progreſſa. 2) in Lucam homiliæ XXXIX. ab Origene, ſi *Pearſoni* in Vindiciis epp. Ignatii c. 7. iudicium valet, perquam iuuene ſcriptæ. 3) in Ioannem tomi XXXII. Hæc diviſio

Digitized by Google

ex græculi cuiuſdam, opus mutilatum ficta librorum multitudine obtegere conantis, fraude profecta eſt: neque enim revera plures ſunt, quam IX. duntaxat tomi, priores quidem circa annum 222. poſteriores poſt annum 237. ſcripti. 4) in diverſos N. T. (locos) homiliæ X. videlicet, *Matth.* I, 18. *Io.* I, 1 - 14. *Matth.* 2. 13 - 18. c. 6, 16. c. 8, 1 - 4. c. eod, 23. 24. c. 15, 21. 22. *Luc.* 2, 7. vel *Matth* 3, 13. de epiphania Domini: quæ tamen homilia, uti inſcriptionis auctor fatetur, non plene Origenis ſtilum redolet: c. 25, 31. & *Io.* 20, 11. Atque hæ homiliæ in ſuppoſitorum operum numero ponuntur. 5) in epiſtolam ad Rom libri X. Erant XX. ſed *Rufinus* eos ad medietatem contraxit, detruncavit, interpolavit, miſere vertit, & *Hieronymum* peſſima fide pro translatore venditavit. *Cave* 59. 6) contra Celſum, philoſophum epicureum, qui chriſtianam religionem impugnaverat, libri IIX. Sigism. *Gelenio* interprete. Vide ſis Rich. *Simon*. P. I. de la Biblioth. choiſ. p. 13. 7) Contra Marcionitas dialogi III. Laur. *Humfredo* interprete. Primus quidem contra Megethium, tres αϱχας ſeu tria Principia, Bonum, Conditorem & Malum ſtatuentem: ubi unum aſſeritur, pariterque docetur, legem moralem Chriſti adventu non eſſe ſublatam, nec ei repugnare euangelium. De hoc Dialogo iam ſupra diximus ad num. 21. librorum I. tomi: Secundus contra Marcum, duo principia invehere auſum, Bonum & Malum; unitas igitur conditoris & legislatoris ac iudicis, nec non convenientia legis & euangelii, Chriſtique in lege prædictio defenditur, Eutropiusque philoſophus ethnicus, ab utraque diſputantium parte in arbitrum electus, ſecundum Adamantium fert ſententiam, & catholicorum eccleſiæ cupit inſeri: Tertius contra Marinum, Megethium, Droſerium & Valentem, de diaboli & malorum ortu, Chriſti vera humanitate & incarnatione, mortuorumque reſurrectione certo futura. 8) Philocalia, ſiue de amore honeſti, Gilb. *Genebrardo* interprete. Sunt collectanea ex libris Origenis a *Gregorio* nazianzeno & *Baſilio* facta, de ſcriptura ſacra, diſciplinis exteris, fide, Deo, materia, libertate arbitrii, prædeſtinatione, cauſſa bonorum & malorum. Notat autem *Philocaliæ* vocabulum h. l. docente *Genebrardo* in epiſt. dedicat. p. 3. rerum divinarum cœleſtem revelationem, & verbo Dei comprehenſarum ſapientiam. 9) De Suſannæ hiſtoria epitome, ubi recenſentur *Iulii Africani* dubia de hiſtoriæ illius, quæ *Dan.* 13. exſtat, γνη-

σιο-

τιότητι, & *Origenis* adferuntur ſolutiones. 10) Eiusdem *Iulii Africani* ad Origenem de hiſtoria ſuſannæ epiſtola, cum Reſponſione *Origenis*, interprete Gent. *Herueto*, qui in præfat. ſcribit, optimum quidem eſſe, ſacram ſcripturam ex ipſis haurire fontibus, ſed quoniam non cuivis id datum, reliquum eſſe, ut ad veterem (vulgatam) editionem melius intelligendam ceterarum quoque editionum ſubſidio adiuueris. Præmittuntur hiſce operibus 1) gravis & prolixa *Genebrardi* epiſtola dedicatoria ad CAROLVM IX. Gall. regem, in qua Origenis eruditionem ac merita celebrat, eiusque rationem interpretandi adverſus cauillatores defendit, oſtendens, ſuas eum libertatis ſuæ habuiſſe cauſſas, 1. quod non commentaria ſcriberet, ſed verba faceret ad populum; aliud autem eſſe docendi, aliud concionandi munus. 2. quod ipſi res eſſet cum iudæis & hæreticis, veterem legem ad literam accipientibus, & ad literam quoque ſervandam contendentibus, adeoque Moſem cum Chriſto, iudaiſmum cum chriſtianiſmo, legem cum euangelio commiſcentibus. Hiſce igitur eum ſeſe oppoſuiſſe, & myſticum commonſtraſſe ſenſum, ita tamen, ne hiſtoricam expoſitionem, quæ inter grammaticam & allegoricam media, quæ præter literæ ſonos, ſenſum Spiritus S. primo & per ſe ſignificatum contemplans, orationis vim, verborum & ſententiarum pondus, ordinem, anteceſſiones, conſecutiones, profunditatem & amplitudinem declarat, atque ſpiritualibus ſpiritualia comparat, præteriret atque negligeret. Diſtinxiſſe ipſum inter S. ſcripturæ corpus, animam, & ſpiritum: illud fuiſſe ei literam; iſtam, translationem ad locum moralem; hunc, relationem ad myſteria. Magni faciendum eſſe, propter auctoritatem & antiquitatem, opus LXX. interpretum; ſed pluris *Octapla Origenis*, quæ ſi exſtarent, non opus nos habituros complutenſibus vel antverpianis Bibliis. Novas Bibliorum verſiones eſſe indoctas, barbaras, factioſas, fidei ſæpe & pietati noxias, corruptasque multis additionibus, detractionibus, ac diſtorſionibus: & monumenta Origenis ab hæreticis & planis deprauata fuiſſe, ipſum vero alterum eſſe eccleſiæ poſt apoſtolos magiſtrum. 2) Collectanea de Origenis vita, operibus, rebus & ſententiis, ubi c. 6. & ultimo notantur loci, quorum alii malevole in deterius accepti ſunt, alii e libris vel non extantibus vel ſuppoſitiis excitantur, alii ab hæreticis corrupti ſunt, vel aſſuti, e. g. de Trinitate,

nitate, Spiritu S., Chriſto, Chriſti matre, angelis, dæmonibus, damnatis & inferis, magia, mundo, ſtellis, terra, terreſtri paradiſo, homine, Adamo, anima & eius beatitudine, eccleſia eiusque poteſtate, Melchiſedecho, reſurrectione & igne gehennæ vel conflagrationis. *Hieronymus* opera Origenis diuiſit in *Scholia*, *Homilias*, & *Tomos*, per illa intelligens breviores annotationes, per iſtas ſermones familiares & conciones coram fideli populo habitas, per hos autem Commentarios maiores. Quibus expoſitionum generibus addi poſſunt adhuc duo, nempe *Epiſtolicum*, & *Hermeneuticum*, quorum illud in epiſtolis dubia explicantibus obtinet, hoc in Hexaplis, Octaplis, & palæſtinæ editionis (de qua *Cave* P. I. 76.) codicibus. *Genebrard*, in Vita Origenis.

Rufinus Toranius, Aquileiæ, ubi & natus videtur, fidei lavacrum & presbyteratus ordinem conſecutus, poſtea vero monaſticam ingreſſus vitam, circa annum 371. cum *Melania* ſeniore in Orientem profectus eſt, atque inde in Ægyptum; reverſus autem in Palæſtinam, Melaniæ opibus ſublevatus monaſterium exſtruxit, in quo ſub illius cura 52. virgines inſtituebantur, ipſe autem in hoc vitæ genere 25. vel, ut alii narrant, 27. annos transegit, origenismi cauſſa ingentes cum Hieronymo lites exercens, donec A. 397. Romam reverteretur; quæ tamen ei minus benigna fuit: nam ANASTASIVS papa hæreſeos ſuſpectum ad dicendam cauſam evocavit, nec comparentem, ſed Apologia ſeſe defendentem, declarauit hæreticum. Tandem Aquileia ab ALARICO A. 410. vaſtata, profugit in Siciliam, ibique eodem, vel ſequenti anno, obiit, *Caßiano* chriſtianæ philoſophiæ vir, haud contemnenda eccleſiaſticorum Doctorum portio, *Palladio* nobiliſſimus & fortiſſimus, quo non eſt inventus inter homines nec doctior, nec mitior, *Paulino* nolano vere ſanctus, & pie doctus, ſcholaſticis ac ſalutaribus litteris græce & latine diues, ſed *Hieronymo* (quem fortaſſe *αμετρια της ανθολκης* nimis transverſum egit) Grunnius, Alecto, L. Lavinius, Aſinius Pollio, Calphurnius Lanarius, & Scorpius dictus. Scripſit de benedictionibus Iudæ & reliquorum patriarcharum, Comment. in Hoſeam, Ioël. & Amoſum, item in pſalmos 75. Expoſitionem ſymboli, duas Invectivas in Hieronymum, quarum tamen prior periit, & alia, quæ commemorantur a *Cave* P. I. 166. Videantur etiam *König* 707. *Olearius* P. II. 143. *Blount* 265. auctor Diſſert. II. de ſuburbicar. eccleſ. c. 6. *Pam-*

Pamphilus, Beryti in Phœnicia nobili genere natus, *Pierii* ale-
'andrini diſcipulus, presbyter cæſarienſis in Palæſtina, illa ipſa in
ırbe bibliothecam exſtruxit, eamque *Origenis* operibus maximam
ıartem ſua ipſius manu deſcriptis ornavit, caritate & munificen-
a celebris, ut qui egenis neceſſaria ad victum large præbuit, &
ıultos S. ſcripturæ codices, ſuis ſumtibus paratos, inter viros &
:minas lectionis peritos diſtribuit. Sed anno 307. propter chri-
ianæ fidei profeſſionem, poſt acerbiſſima tormenta in carcerem
›niectus, & biennio poſt ultimo affectus eſt ſupplicio. Edidit,
uſebii, neceſſarii & amici ſui ope adiutus, ex reſtitutis Origenis
ſexaplis editionem LXX. interpretum palæſtinam, quippe quæ
ı uſum eccleſiarum palæſtinarum, concinnata erat, item Apologe-
:i pro Origene libros V. quibus *Euſebius* ſextum addidit. *Cave* P. I.
;. *Olearius* P. II. 53. At *Sandius* in Nucl. Hiſt. eccleſ. p. 44. Apologe-
:um non eius, ſed Euſebii opus eſſe contendit.

Gilbert. *Genebrardus*, arvernus, profeſſione benedictinus,
eologus pariſienſis, & orientalium litterarum profeſſor regius,
:quandiu etiam ſummus epiſcopus aquenſis, ſed dignitate hac, eo
ıod regia auctoritas non interueniſſet, iterum exutus, in cauſſa
gni & ſcriptis ſuis, quæ ſunt Chronologia, & Commentarius in
ılmos, & alia, iniquior & acerbior, & vita quam ſtilo temperan-
›r, A. 1597. obiit Semuri in Æduis, ubi opimum habuerat ſacerdo-
ım, maior ſexagenario. *Sauſſay* de ſcriptor. eccleſ. 58. *König* 339.
'omeſius 87. *Cren.* Diſſert. I. de furib. librar. 57. & Diſſert. II. 26. *Blount*
3.

XXVI.

EVSEBII Pamphili Præparationis euangelicæ libri XV. græce
latine, ex verſione, cumque notis Fran. *Vigeri.* Coloniæ (ſeu
:ius Lipſiæ, vel Wittebergæ) A. 1688. iuxta editionem pariſinam
ıi 1628. ut optimam. Scripti ſunt hi libri poſt concilium nicæ-
m, certe poſt conditum Chronicon, opus profecto nobiliſſimum,
Cauei verba P. I. 93. mea faciam, & auro contra non carum, in
› etſi nihil aliud eſſet, tot aurea veterum fragmenta nobis con-
ıantur. Et recte adpellatur *Præparatio euangelica*, quia in eo
ıtilibus iter quodam præparatur modo ad agnitionem euange-
æterna & incorruptibilia bona omnibus hominibus, græcis &
baris annunciantis, & ad ſolum unumque Deum, nec non ad

piam vitam, ex quo inter Deum & homines amicitia initur, invitantis. Nimirum cauſſas recitat, cur Chriſtiani religionem gentilium abiecerint, & hebraicæ ſapientiam ſcripturæ delegerint. *Scaligero* in Prolegom. in Theſ. temp. * iii. libri hi vocantur luculenti, in quibus omnes theſauri vetuſtatis expoſiti ſint ad gentium deos traducendos, inſanam earum theologiam profligandam, & verum unius Dei cultum vindicandum.

Euſebius, natus in Palæſtina, & fortaſſis Cæſareæ, circa annum Chriſti 270. vel frater, vel conſobrinus Euſebii nicomedienſ. a Pamphili, cæſarienſis eccleſiæ presbyteri, atque a ſchola & bibliotheca ibi adornata magnam nominis famam adepti, amicitia *Pamphili* cognomen ferens, ipſe etiam presbyter, Pamphilo per martyrium ſublato Tyrum ſeceſſit, & apud Paulinum epiſcopum, niſi fallimur, latitavit: inde in Ægyptum deſcendit, maioremque ibi perſecutorum ſævitiam expertus, ipſeque in vincula coniectus eſt; ſed idolis eum ibidem immolaſſe, ore calumniantium proditum eſt. Ceſſante perſecutione in Palæſtinam rediit, & Agapio Cæſarienſium epiſcopo, rite clectus, ſucceſſit, ſed epiſcopatum antiochenum, ad quem poſt Euſtathium A. 330. ſurrogatus fuerat, licet ampliorem & ſublimiorem, generoſe reſpuit, probe ſciens, epiſcoporum ex una eccleſia ad alteram translationes a Canonibus eccleſiaſticis prohibitas eſſe; tandemque annorum & famæ ſatur extremum diem clauſit A. 340. æt. 70. vir pius, doctus, veri ſtudioſus, & ab ipſo etiam Imp. CONSTANTINO magni æſtimatus, ita ut de eo diceret, ipſum felicem eſſe, qui non unius artis, ſed orbis prope totius regimine dignus eſſet. Quod ad fidem eius attinet, alii arianum fuiſſe aiunt, ut *Bellarminus*, *Baronius*, (de quibus vide Hülſemann. Patrol. c. IV. p. 1014) *Petavius*, *Clericus* in Epp. crit. & eccleſ. (Acta erud. A. 1701. 68) Biblioth. anc. & mod. T. IV. 19. 33. & C. *Thomaſius* in Cautel. circa Hiſt. eccl. 155. alii negant, ut *Cave* P. I. 92. & diſſert. de Euſebii arianiſmo, nec non in epiſt. contra Clericum, de qua vide Acta erud. 1701 71. alii dicunt, arianum fuiſſe ante concilium nicænum, ſed in eo reſipuiſſe, ut *Hülſemann.* l. c. *Sluterus* Propyl. 33. *Valeſius* de vita ſcriptisque Euſebii d. 2. *Scultetus* in Medulla Patrum p. 833. pro ſemiariano agnoſcit: *Valeſius* autem, nec non *Conringius* in Conringian. epiſt. 123. ab hac eum culpa liberant; hoc tamen concedit *Valeſius*, eum, licet æternitatem filii Dei confeſſus ſit, ὁμου-

·ῳ tamen vocem nunquam ex animo probaſſe. Scripſit etiam Commentarios in pſalmos & Eſaiam, editos a Bern. *Montfauconio*, e quibus *Acta erud* A. 1707. 440. & *Clericus* Biblioth. anc. & mod. . IV. 1. Onomaſticon urbium & locorum S. ſcripturæ, quod opera ic. *Bonfrerii* prodiit Pariſiis A. 1631. Præterea de Euſebio plura daunt *Hülſem*. Patrol. 1013. *Geſſelius* præfat. in Hiſt. ſacr. 2. *Sagittarius* ntrod. in Hiſt. eccl. c. 3. *König* 287. *Magirus* 327. *Blount* 219. *Sandius* Nucl. hiſt. eccl. 133. *Olear.* P. I. 241. R. *Simon* Hiſt. crit. N. T. part. III. 6. *Rechenberg* de Stud. acad. 216. *Crenius* Animadverſ. P. I. 125. de ngular. ſcriptor. 126. & Chriſtian. *Thomaſius* Program. A. 1701. de collegiis, & in Cautelis circa præcogn. Iuriſpr. eccl. 23. & I. A. *abricius* Biblioth. gr. vol. VI. 105.

XXVII.

EVSEBII Pamphili Demonſtrationis euangelicæ libri X. Cum onfutatione Hieroclis, libris II. contra Marcellum, & III. de eccleiaſtica theologia. Omnia ſtudio R. M. id eſt, Richardi *Montacutii* vide *Labbeum* P. I. 307. & *Caveum* p. 94) latine facta, & notis illuſtrata. Coloniæ 1688. iuxta editionem pariſinam anni 1628. Deonſtrationis iſtius erant libri XX. ſcripti eodem fere tempore, 10 priores; ſed hodie non niſi X. extant. In iis auctor cauſſam hriſtianam contra iudæos & gentes agit, & euangelicæ prædicaonis veritatem ex ſacris ſcripturis demonſtrat. *Hierocles*, cum quo c diſputat Euſebius, erat Nicomediæ in Bithynia ſub Diocletia Præſes, & poſtea Ægypti Præfectus, diſtinguendus ab Hierocle hiloſopho, de quo *Photius*, integro ſeculo iuniore. Iudex nicoedienſis autem ſcripſerat duos adverſus chriſtianos libros, φιλαλήθεις dictos, in quibus Chriſtum comparat Apollonio tyaneo, ſpurſimumque magum Domino noſtro paria, vel etiam maiora feſe contendit, nimirum illum ſine magiſtro fuiſſe gnarum omnin linguarum: in vincula coniectum pedicis ſe exſolviſſe: in Æſculapii templo cultum pro Deo: miracula multa ediſiſſe: denie in cœlum tranſlatum. Sed hæc omnia falſa eſſe oſtendit Euſebius. *Scultetus* Med. theol. PP. 785. Hoc opuſculum L. *Holſtenius* cognovit, & verſionem Zenobii *Acciaioli* latinam, quibusdam in is a græci exemplaris fide & auctoris mente abeuntem interpola- Vide p. 547. *Marcellus*, contra quem duos ſcripſit libros Euſe-

 bius

bius, Ancyræ fuit epiſcopus, ſabelliiſmi aut potius pauliſmi ſiue ſamoſateniſmi damnatus in conciliabulo CP. A. 336. habito. In tribus de eccleſiaſtica theologia libris Euſebius argumentum adverſus Marcellum latius pertractat. Atque hi V. libri cum verſione & notis Rich. *Montacutii*, epiſcopi ciceſtrienſis, cuius nomen tamen propter religionis diſcrimen non exprimitur, ſed tantum initialibus indicatur litteris, libris de demonſtrat. euangel. editionis pariſienſis A. 1628. ſubiuncti ſunt. Ipſius autem Demonſtrationis euangelicæ verſio latina non eſt alia, quam *Donati* veronenſis, neque tamen exacta & accurata, iudice Rich. *Simonio* l. c. 44.

Demonſtrat. euangel. lib. III. p. 124. adfertur *teſtimonium Ioſephi* de Chriſto.

Quamvis accuratus ſit in citationibus ſuis Euſebius, ſuſpectû tamen falſæ citationis ſe reddidit, adferens teſtimonium *Ioſephi* de Chriſto, quaſi illud legiſſet in 18. libro Antiquitatum huius hiſtorici, quod tamen *ibi non reperitur*. Videtur primus ſic legiſſe. Vnde non nulli dixerunt, eum id e ſuo finxiſſe cerebro. Et certe Origenes, qui eum præceſſerat, & plures citandi Ioſephum occaſiones habuerat, nullam eius fecit mentionem. Rich. *Simon* T. 1. de la Biblioth. choiſ. 42.

Lib. VI. p. 291. At Ioſephus *praeter ea*, quæ in ſacris libris ſcripta ſunt, *etiam ea, quæ intrinſecus, quaſi ſecundo loco*, apud iudæos habentur, ſumma diligentia perſecutus.

Sic vertenda erant: At Ioſephus *vice eorum*, quæ in ſacris libris ſcripta ſunt, *iudaicas traditiones* ſumma diligentia perſecutus. Indicare enim uoluit Euſebius, Ioſephum non, uti promiſerat, exacte ſemper ſecutum fuiſſe textum ſacrum, ſed eius loco attuliſſe maiorum ſuorum δευτερώσεις ſiue traditiones. R. *Simon* l. c. p. 44.

Dona-

Digitized by Google

Donatus veronenſis, id eſt, Bernardinus Donatus, ſcripſit o-puſculum de platonicæ & ariſtotelicæ philoſophiæ differentia, latine-que reddidit Ariſtotelis libros II. œconomicorum, & Galeni librum de cognoſcendis curandisque animi morbis, medio ſeculo XVI. clarus.

Rich. *Montacutius*, (Mountague) anglus, primum presbyter, deinde epiſcopus ciceſtrienſis, iuſſu Regis IACOBI ſcripſit Analecta eccleſiaſticarum exercitationum contra Baronium, item Apparatum ad origines eccleſiaſticas, nec non commentationum de Originibus eccleſiaſticis Tomum I. Antidiatribas ad priorem partem Diatribarum I. C. Bulengeri contra Iſ. Caſaubonum, Verſionem & notas ad Photii epiſtolas, & plura alia, obiitque A. 1641. ſuſpectus fuit ſuis, qui faueret interdum Pontificiis, eorumque dogmatibus; quo autem iure, quaue iniuria, ipſi viderint. *König* 549. Th. *Hyde* in Catal. libr. biblioth. bodlei. P. I. 465. *Schlüter* Propyl. hiſt. eccleſ. 32. *Critopulus* in Cenſ. Eclogar. Mayeri 68.

Zenobius *Acciaiolus*, florentinus, ord. Prædicatorum, bibliothecarius in Vaticano, tranſtulit etiam in latinum *Theodoreti* cyrenſis libb. XII. de græcarum affectionum curatione, & *Olympiodorum* in Eccleſiaſten, ſcripſitque Epiſtolam, primo epiſtolarum Pici libro extantem, clarus A. 1536. atque ab Henr. *Ernſtio* de Vera philoſoph. t. n. 92. vir doctiſſimus & probus appellatus, *Friſius* in Epit. biblioth. geſner. 831. *Magirus* p. 5.

XXIIX.

S. ATHANASII Opera, græce, cum interpretatione Petri *Nannii*, & aliorum, ut Io. *Lampadii*, *Eraſmi* roterodami, Pet. *Felckmanni*, Wolfg. *Muſculi*, Theod. *Bezæ*, Abr. *Sculteti*, Io. *Reuchlini*, Valent. *Ampelandri*, Heidelbergæ ex officina commeliniana 1601. Hanc editionem ſecuti ſunt Pariſienſes in ſua anni 1626. de eo tantum ſoliciti, ut correctiorem & auctiorem exhiberent, quamvis correctionem ubivis feliciter tentatam fuiſſe, in præfat. ad poſthuma Petri de Marca opuſcula neget *Baluzius*. Alia porro editio iuxta pariſinam prodiit Coloniæ 1686. in qua additum opuſculum ab Andr. *Arnoldo* ſub Athanaſii nomine publicatum. Vide *Acta erudit.* 1686. 270. & A. 1685. 509. 511. Vltima lucem adſpexit Pariſiis A. 1698. per monachos S. Benedicti e congregatione S. Mauri, de qua

Digitized by Google

Acta erudit. A. 1699. 193. P. *Harduinus*, S. I. novam fertur moliri editionem. In dedicat. ad Perenottum, epiſcopum atrebatenſem, verſionis promotorem athanaſianæ, dicit *Nannius*, ſe ſcripta Athanaſii in III. claſſes ſeu tomos diſtribuiſſe, ita ut prima claſſis contineat Orationes cum Epiſtolis eiusdem argumenti, ſecunda Res ſynodales cum variis Epiſtolis eo ſpectantibus, tertia Suppoſititios libros; ſed in præſenti editione hic ordo non fuit ſervatus, operaque duobus duntaxat tomis diſtincta, ita ut dubia & ſuppoſititia genuinis permixta appareant: Sunt enim omnino triplicis generis ſcripta athanaſiana, germana, dubia, & ſuppoſititia. Germana & Genuina ſunt vel Polemica, vel Apologetica, vel Hiſtorica, vel Didactica.

Polemica, in quibus pugnat vel contra gentes & iudæos, vel contra hæreticos. Contra gentes tantum pugnat Oratione contra gentes, T. 1. pag. 1. In qua agit de idolorum vanitate, Deoque vero. Contra gentes & iudæos Orat. de Incarnatione Verbi p. 37. Quæ eſt epitome doctrinæ chriſtianæ. Hæreticis opponit tum Confeſſiones eccleſiæ de Deo & Chriſto, tum Confutationes eorum. Confeſſiones ſunt 1) Epiſtola de fide ad Iovianum. T. 1. 398. Quæ tamen non ab uno Athanaſio, ſed univerſæ Synodi alexandrinæ nomine ſcripta. 2) Sermo de Incarnatione. T. 2. 36. In quo ſingula axiomata, ſeu ſingulas propoſitiones ſingulis ſcripturæ S. teſtimoniis comprobat. Refutationes, quas inſtituit, attingunt Arianos, Dimœritas ſiue Apollinariſtas, Sabellianos, Pneumatomachos, & Paulum ſamoſatenum. Arianis oppoſitæ ſunt 1) Orationes V. Tom. I. 111. & ſeqq. Quarum epitome eſt Oratio contra eos, qui dicunt, Filium eſſe creaturam. T. 2. 30. 2) Tractatus in illud dictum: *Omnia mihi tradita ſunt a Patre meo.* T. I. 325. 3) Epiſtola ad Adelphium fratrem. 330. In qua laudat Adelphii pietatem, & zelum in refutandis Arianis. 4) Epiſtola ad *Maximum philoſ.* 332. Quæ eſt epitome eorum, quæ Maximus contra Arianos ſcripſit. 5) Epiſtola de ſententia *Dionyſii*, epiſcopi alexandrini. 428. In qua docet, Arianos e ſcriptura refutatos, fruſtra ad ſententiam illius epiſcopi provocaſſe. 6) Refutatio hypocriſeos *Meletii*, *Euſebii* & *Pauli ſamoſateni.* 446. In qua aſſerit æqualitatem Filii cum Patre, & eos, qui Filium tantum ſimilem Patri, non vero conſubſtantialem confitentur, negatæ diuinitatis Chriſti accuſat. 7) Sermo de humana natura ſuſcepta ab unigenito Verbo, 464. Habet tres partes, prima agit

Digitized by Google

git de diuinitate Chriſti; ſecunda de Chriſti & Spiritus S. cum Pa-
re conſubſtantialitate; tertia itidem de diuinitate Chriſti. Dimœ-
itas confutavit 1) Epiſtola ad Epictetum, Corinthiorum epiſco-
um. 453. Habetur hæc epiſtola pro omnium athanaſiarum cele-
errima. Dicti autem ſunt (*) *Dimœritæ*, quod duas tertias partes
umanæ in Chriſto naturæ confiterentur, corpus videlicet & ani-
nam, tertiam vero partem, ipſam mentem, in adventu Chriſti in car-
em negarent. 2) Oratione, quod unus ſit Chriſtus. 518. Sabellium
doritur Oratione contra Sabellii gregales. T. I. 507. In qua oſten-
lit, 1. Verbum eſſe diſtinctam a Patre perſonam. 2. perſonam illam
Patre diſtinctam non eſſe nudum hominem, ſed Deum, ut & Spi-
itum S. Sabelliani enim ſic duas hypoſtaſes inducebant, ut unam
n Deo Patre, alteram in Filio homine conſtituerent, more Samo-
teni. Pneumatomachos oppugnat Epiſtolis duabus ad Serapio-
em de Spiritu S. T. 2. 2025. In priore oſtendit, Spiritum S. non eſſe
reaturam: in poſteriore reſpondet ad obiectiones Pneumatoma-
horum, quæ ſunt, 1. Si non eſt creatura Spiritus ſanctus, ergo Fili-
s eſt, ac duo fratres erunt. 2. Si ex Filio accipit Spiritus S. ſique ab
o datur, ergo avus eſt Pater, & Spiritus eius nepos. Samoſatenum
efutat Epiſtola de incarnatione Verbi Dei, T. 2. 461, eamque clau-
it repetitione confeſſionis Synodi apoſtolicæ (h. e. nicænæ) de Chri-
i perſona, incarnatione, paſſione, morte, reſurrectione, aſcen-
one, & reditu ad iudicium.

Apologetica ſunt 1) Apologia ad Imp. CONSTANTIVM.
. I. 524. In qua ſe purgat a calumniis de maledicentia ad CON-
TANTEM Auguſtum adverſus Imp. CONSTANTIVM, de
iſtola ad *Magnentium* tyrannum ſcripta, de ſynaxi in templo do-
inico nondum dedicato celebrata, de inobedientia erga Impera-
rem. 2) Apologiæ duæ de fuga ſua. 545. 560. In quibus oſtendit,
merito, ab Arianis perſecutione preſſum, fuga ſibi conſuluiſſe,
c reum eſſe homicidiorum, cum illi homines adhuc vivant, quos
ſe occiſos fuiſſe fama mendax divulgaverit. 3) Epiſtola ad Afri-
nos. 717. In qua defendit Synodi nicænæ decreta, & hortatur E-
copos, ut in iis ſolis acquieſcant.

Hiſto-

(*) Τὸ διμοιρον ſignificat duas totius partes. Διμοιρῖται, milites duplares, qui duas ſalarii partes conſequebantur.

Hiſtorica ſunt 1) Narratio de Concilio nicæno. T. I. 400. 2) Epiſtola catholica. 444. In quâ hortatur epiſcopos Æpypti, Syriæ, Phœniciæ, & Arabiæ fratres, ut ſe ab arianis ſeiungant, cum orthodoxis conſpirent, & pio zelo veritatem propugnent. Quæ tamen Athanaſio abiudicatur a *Montfauconio* in Collectione nova Patrum & ſcriptor. græcor. (*Acta erud* A. 1707. 638.) 2) Epiſtola ad Antiochenſes. 447. Quæ videtur eſſe fragmentum integri alicuius libri. 3) Epiſtola ad Serapionem de morte Arii. 522. Videlicet, eum multa blaterantem in ſeceſſum abiiſſe, quaſi ad uſum alvi, & pronum factum medium crepuiſſe, humiqueexſpiraſſe. *Eraſmus* habet epiſtolam hanc pro ſpuria, ſed P. *Montjaucon* ob ſtili & methodi convenientiam pronuntiat genuinam, cuius iudicium adprobat *Clericus* Bibl. choiſ. T. VII. 27. 4) Epiſtola de ſynodis Arimini & Seleuciæ. 670. Agit de levitate & inconſtantia Arianorum & Euſebianorum in negotio fidei, & rebus in ſynodis Arimini & Seleuciæ geſtis. 5) Epiſtola ad omnes ubique orthodoxos. 725. Exponit atrocem crudelitatem Arianorum contra orthodoxos, & rogat eos, ne Georgii cappadocis, truculentiſſimi Chriſtianorum hoſtis, literas accipiant, ſed tabellarios eiiciant. 6) Epiſtola ad Ioannem & Antiochum, & Epiſtola ad Palladium. Quæ tamen nihil memoratu dignum continent. 7) Epiſtola ad Dracontium. 735. Quem, epiſcopum alexandrinum electum, ſed alio aufugientem, hortatur, ut ad eccleſiam redeat, nec eos audiat, qui ipſi hoc diſſuadeant. 8) Epiſtola ad Ruffianum. T. 2. 46.

Didactica ſunt 1) Tractatus de ſabbato & circumciſione. T. I. 760. In quo docet de fine ſabbati, & abrogatione eiusdem reſpectu diei cærimonialis 2) Synopſis ſcript. S. T. II. 61. In qua recenſet Catalogum libror. canonicorum & non canonicorum; a quibus ſinguli conſcripti ſint, & unde quisque habeat, quod ſortitus eſt nomen; denique nominat libros V. & N. T. quibus contradicitur,

Dubia, quorum tamen aliqua iure meritoque in ſpuriorum claſſem referas, ſunt 1) Homilia de ſemente. Matth. 12. T. I. 835. Præter collationem Chriſti & Davidis nihil habet memoratu dignum. 2) Oratio de aſcenſione Chriſti. T. II. p. 3. Monſtrat typum aſcenſionis Chriſti in Elia & ſummo ſacerdote V. T. Ob ſtilum floridiorem non videtur eſſe Athanaſii. 3) Symbolum Athanaſii. 38. *Plac.* 85. S. *Clarcke* in Bücher ſaal T. III. 363. Nam in codicibus Athanaſii

Athanaſii vetuſtis non facile reperitur. 4) Epiſtola ad Ammun. 41. In ea vindicat honorem matrimonii, ita tamen, ut cœlibatum ei præferat. 5) Fragmentum epiſtolæ feſtalis. 44. Catalogum continet librorum canonicorum utriusque teſtamenti, fortaſſis ex Synopſi deſcriptum. 6) Vita Antonii ab Athanaſio deſcripta. 144. *Placc.* 84. Nam inſulſi potius hominis commentum, quam Athanaſii ſcriptum eſſe videtur *Scult.* 480. *Gerb.* 220. 7) Liber de virginitate ſiue Meditatione. T. 1. 822. *Placc.* 84. Si Athanaſii eſt, mire decit ſtilum, inquit *Eraſmus. Scultetus* & gravitatem theologicam bieciſſe ait Athanaſium, ſi iſtas pueriles præceptiones virgini præſcripſit. 8) Expoſitio fidei 394. Nam eſt diverſa a Symbolo Athanaſii, eique contraria, quia dicit, tres perſonas divinas non eſſe tres ubſiſtentias ſeorſum diſtinctas. *Gerb.* 206. 9) Epiſtola ad omnes ubique ſolitariam vitam agentes. 626. 10) Epiſtola LIBERII ad Athanaſium, & *Athanaſii* ad Liberium. 396. *Gerb.* 207. *Placc.* 84. *Montfaucon* in Actis erud. A. 1707. 436.

Suppoſititia ſunt, & quidem in I. Tomo 1) Diſputatio contra Arium in concilio nicæno. 82. *DuPin* T. II. 41. In ea enim dicitur, Concilium illud habitum eſſe A. 310. cum tamen fuerit habitum A. 325. Falſo quoque refertur, in ea diſp. Arium fuiſſe converſum. Nec diſputatio illa habita fuit contra Arium, ſed contra arianum quendam, non in concilio nicæno, ſed in monaſterio aliquo. *Gerb.* 212. *Scult.* 481. 2) Epiſtola catholica. Vide hic p. 45. 3) Epiſtola ad Serapionem de Spiritu S. cuius initium: *In eremo.* 344. In qua mira congeries locorum, & rationum confuſio, moleſtiſſimaque ſemel dictorum iteratio. *Scult.* 482. Auctor videtur imitari voluiſſe Athanaſii libellum ad Serapionem de Spiritu S. 4) Teſtimonia ex ſcriptura de naturali communione eſſentiæ inter Patrem, Filium et Spiritum S. 371. Nam compilator quædam ad verbum exſcripſit ex Quæſtionibus ad Antiochum, quæ tamen Athanaſii non ſunt. *Neque* eſt genuinum ſcriptum. 103. 5) Enarratio illius: *Profecti in pacem* &c. 775. Auctor in ea torquet ſcripturas ludens. 6) In paſſionem Domini noſtri I. C. 782. Phraſis non ſapit Athanaſium. Et auctor edit quodammodo, præter morem Athanaſii, in SS. literis, vetatque omnino ius iurandum. 7) Homilia de ſanctiſſima deipara Virgine. 810. Eiusdem eſt farinæ. Hinc & *Nannius* & *Baronius* e ſcriptis Athanaſii genuinis eliminant. 8) Oratio contra omnes hære-

ſes. 848. Eſt hominis deliri, iudice *Eraſmo.* 9) De incarnatione Chriſti contra Apollinarium. 470. 10) Oratio contra Apollinarium. 494. 11) Epiſtola ad Marcellinum de interpret. pſalmor. 740. 12) Sermo in illud: *Qui dixerit verbum* &c. 764. Quem tamen *Cave* pro genuino agnoſcit. tom. I. Hiſt. lit. p. 103. In Tomo II. 1) Oratio de Melchiſedeco. p. 8. In cuius fine auctor facit mentionem Patrum nicænorum, quaſi longe ante ſe mortuorum. 2) Epiſtola de paſſione imaginis Chriſti. 11. Quæ mire redolet Legendam auream. *Cocus* 193. *Bellarminus* ipſe ſtatuit, eam eſſe recentioris auctoris. 3) Definitiones theologicæ. 51. Quæ in initio dicuntur collectæ a Clemente. 4) Dialogi V. de Trinitate. 137. *Sand.* Interpr. parad. 381. Non ſunt Athanaſii, ſed *Maximi*, qui multis poſt illum annis vixit. Et Maximi nomen extabat in membrana, cui Dialogi erant involuti, teſte *Sculteto* 483. 5) Dialogi alii cum variis quibusdam contra diverſas hæreſes opuſculis. 222. Eiusdem ſunt *Maximi.* 6) Quæſtiones ad Antiochum. 275. In quarum viceſima tertia Athanaſius ipſe citatur. *Placc.* 84. 7) Dicta & interpretationes parabolarum S. euangelii. 323. 8) Quæſtiones aliæ anonymæ. 355. In quibus citantur, ut antiqui patres, Epiphanius & Gregorius nyſſenus. *Gerhard.* 214. 9) Diſputatio laodicenſis cum Ario. 366. *Sand.* Interpret. parad. 381. In qua Arius dicitur a Photino, qui tamen eo recentior, hæreſin ſuam didiciſſe. Eſt autem *Vigilii* afri, qui vixit ſec. VI. *Placc.* 84. 10) De unita deitate Trinitatis libri VII. ad Theophilum. 394. Latine videntur ſcripti, non vero ex græco verſi. Deinde auctor refellit Vrbicum, Eunomii diſcipulum, cum Eunomium primus refutarit Baſilius. *Gerhard.* 219. 11) Adhortatio ad monachos. 434. 12) Epiſtola ad MARCVM, papam romanum. 438. *Bellarm.* de Scriptor. eccleſ. 62. Ita patet, vere ſcripſiſſe *Nannium* in dedicat. Nulli auctori plures falſos & nothos libros eſſe adſcriptos, quam Athanaſio. Vnde autem hoc? ex pia fraude eorum, qui ſcripta ſua ſub Athanaſii nomine protrudere ſatagebant. Quale exemplum reperitur in *Vigilio* martyre l. 5. contra Eutych. fatente, ſe libros adverſus Sabellium, Photinum & Arium idcirco ſub Athanaſii nomine ſcripſiſſe, ut præſentes cum præſentibus viderentur agere. *Sculter.* 481.

Commentarii in omnes epiſtolas Pauli, qui vulgo Athanaſio tribuuntur, non ſunt eius, ſed Vulgarii ſeu *Theophylacti. Scultet.*

Digitized by Google

497. *Placc.* 83. Neque etiam Syntagma doctrinæ ad clericos & laicos, editum ab Andr. *Arnoldo*; prout oſtendunt Iac. *Baſnagius*, & ex eo Collectores *Actor. erud.* A. 1685. 511. & *Placc.* 84. Neque Commentarii in pſalmos: ſunt enim *Theophylacti. Du Pin* T. 2. 43. Varia Athanaſii opuſcula, nunquam antea edita, in lucem produxit Bernard. *de Montfaucon* in Collect. nova Patr. & ſcriptor. græcor. de qua vide *Acta erudit.* A. 1707. 436.

Athanaſius, piis & honeſtis parentibus Alexandriæ in Ægypto natus, primum urbis patriæ archiepiſcopi notarius, tum diaconorum primicerius, tandemque archiepiſcopus, & poſtquam varia fata expertus, & mox eiectus, mox receptus, priſtinaque dignitate ornatus eſſet, ſub VALENTE Imp. anno, ut videtur, 373. animam Deo reddidit, ætatis 76. vir omni virtutum genere cumulatiſſimus, promtus & acris diſputator, ſtrenuusque orthodoxiæ propugnator, quamvis inde a puero αὐτοδίδακτος. *Cave* P. I. 101. *Cönig* 69. I. Alb. *Fabricius* Biblioth. gr. lib. VI. 582. & V. 299. *Gerhard.* Patrol. 222. *Magirus* 86. *Blount.* 223. G. *Arnold.* Hiſt. eccl. & hær. P. I. 49. *Schurzfleiſch* diſp. LXXVI. *Cren.* de Singular. ſcriptor. 33. Stilus eius non eſt quidem floridus, Rhetorumque ornamentis diſtinctus, attamen apertus, perſpicuus, ſimplex, efficax, ſplendidus. *Photius* apud Caveum 102. *Schurzfleiſch* l. c. §. 12.

Io. *Lampadius*, brunopolitanus, philoſ. magiſter, primum ſcholæ patriæ, deinde ſolquetanæ rector, poſt hiſtoriarum profeſſor nec non ad D. Stephani paſtor bremenſis, edidit Mellificium hiſtoricum: *Bertramum* h. e. perpetuum orthodoxæ eccleſiæ de verbis S. cœnæ conſenſum, notis illuſtratum: Triumphum Chriſti: Diſputationum de Conciliis Decades IV. Prodromum concordiæ euangelicæ: Cenſuram ubiquitatis: & Diſpp. de Perſona Chriſti, obiitque A. 1621. æt. 52. *Witte* in Diar. biogr. Q. 4.

Wolfg. *Muſculus*, natus Duſæ in Lotharingia, ordinique S. Benedicti adſcriptus, ob defenſionem doctrinæ Lutheri vulgo *Lutheranus monachus* audivit. Relicto autem monaſterio, & uxore ducta, Argentinam migravit, ubi paupertate preſſus, uxore ancillari iuſſa, textoriam didicit; mox etiam aggeribus faciendis operam ſuam locaſſet, niſi munus docendi in pago Dorlizheim (ubi tamen per integrum annum nullo fruebatur ſtipendio) ipſi demandatum fuiſſet. Poſtea primæ ædis paſtor lectiones ſa-

cras Wolfg. *Fabricii* Capitonis & Mart. *Buceri* aſſidue audiuit, ac hebrææ linguæ operam dare cœpit. Dehinc Auguſtæ Vindelicorum docuit in æde S. crucis, prudentem moderationem adhibens in convertendis Anabaptiſtis Ibidem græcam a Xyſto *Betuleio* didicit linguam, & ſine magiſtro arabicas litteras. Interfuit conventibus theologorum iſenacenſi, wormatienſi & ratisbonenſi, relictaque ob libri *Interim* receptionem Auguſta in Helvetiam abiit, atque in ſchola bernenſi varios commentarios, locosque theologicos prælegit, ac præclare ad mortem ſe parans, eandem vidit & amplexus eſt A. 1563. æt. 66. Melch. *Adam.* in Vitis theolog. 367. Opera eius IX. tomis in fol. Baſileæ edita ſunt, eaque recenſentur in *Friſii* Epit. biblioth. geſner. 325. ac ſunt inter illa Dialogi IV. ſub nomine *Eutychii Myonis* de quæſtione, Liceatne homini chriſtiano, euangelicæ doctrinæ gnaro, papiſticis ſuperſtitionibus ac falſis cultibus externa ſocietate communicare: Enarrationes in pſalterium: Inſtructio venientium ad baptiſma: de paradiſo: Dialogi III. de concilio tridentino: de diviſione decalogi: de iniuria homini chriſtiano ferenda: de iuramento, contra errorem Anabaptiſtarum. Natura a contentionibus abhorruit, nec eius ſcripta, ipſo vivo, a quoquam fuere impugnata, quam a *Cochlæo*. Et quamvis Rich. *Simon* in Hiſt. crit. V. T. l. 3. c. 14. eum in linguarum & critices ſtudio non ſatis exercitatum, atque *Huetius* de Clar. interpret. linguæ græcæ notitia imparatum fuiſſe aſſerant, loquentes de excellente & plane egregia notitia; hoc tamen non obſtat, quo minus *Königius* p. 562. latine, græce, hebraice, & arabice peritiſſimum; G. *Calixtus* lib. de Reſurrect. carn. c. 6. n. 17. eruditiſſimum commentatorem, & Io. *Crellius* in Comment. in epiſt. ad Ebr. c. 1, 2. celeberrimum ſcripturæ interpretem vocare poſſint. Hiſce adde *Blount* p. 621. Ne quid dicam de *Hottingero* in dedicat. Theſium philol.)( )(2. & *Schurzfleiſch.* diſp. 97. de Merit. German. in gr. liter. §. 15.

Io. *Reuchlinus*, alias *Capnio*, phorcenſis, iurium doctor, a Duce wurtenbergico legatus miſſus primum ad FRIDERICUM II. Imp. a quo in ſignum benevolentiæ ſub diſceſſum donatus fuit codice biblico ebræo, plus quam trecentos aureos valente, poſtquam a medico cæſareo, eoque iudæo *Iehiel Loans*, ebræam linguam didicerat, deinde Romam ad Pontificem ſummum, ubi etiam informatione iudæi, & quidem perfecte eruditi, nomine *Abdiæ*, uſus eſt, cui-

cuique pro ſingulis horis unum ſolvit aureum, ſicut ibidem audivit *Argyropylum*, publice Thucydidem enarrantem, quem & ipſe iam tum & legere & interpretari noverat, ita ut eo audito Argyropylus gemens exclamaret: *Gracia noſtra exilio transvolavit Alpes.* Poſt reditum autem in Germaniam, iudicibus ſuevici fœderis adſcriptus, atque ob libros iudæorum multa adverſa a barbaris paſſus fuit monachis. Scripſit Epitomen hiſtoriarum, & unam atque alteram Comœdiam, Breviloquium ſeu Lexicon latinum, librum de Verbo mirifico, Defenſionem contra calumniatores ſuos, Interpretationem pſalmorum pœnitentialium, libellum de Arte concionandi, primusque latina lingua Grammaticam ebræam; atque in ultima ſenecta, bella ſueuica ut evitaret, græcam & latinam linguam in academia docuit ingolſtadienſi, vir in curia & iudiciis exercitatus, ebrææ linguæ in Germania inter chriſtianos parens & ſuſcitator, ad hæc pius, modeſtus, candidus, erga inopes, ac præcipue ſcholaſticos beneficus, atque alienus a liuore & obrectationibus, horridioris quidem pro illius, quo vivebat, ſæculi qualitate, & impolitioris dictionis latinæ, melioris tamen, quam ſunt Epiſtolæ obſcurorum virorum, ad quas fingendas & conſcribendas ipſe dicitur ſymbolam ſuam contuliſſe. Stutgardiæ morbo icterico laborare cœpit, eoque prorſus labefactus ex hac vita diſceſſit A. 1521. æt. 67. Melch. *Adamus* in Vitis philoſoph. 37. & *Maius* in Vita Reuchlini, *Melanchthon* Orat. T. III. 295. *Friſius* Epit. Bibl. geſner. 242. *König* 164. *Magirus* 705. *Wharton* Append. ad *Cavei* Hiſt. lit. 122. *Buddeus* Introd. ad Hiſt. philoſ. Ebr. 179. 200. *Schurzfl.* diſp. 97. de Merit. Germ. in gr. liter. §. 14. De eo ſcribit *Bucholzerus* in Ind. chronol. ad annum 1455. primum fere literas hebraicas & græcas in Germaniam importaſſe. Cui addatur *Calixtus* in Appar. theol. 161. & *Sainiore* Biblioth. crit. T. IV. 173. Io. *Hilcebrandus* A. 1558. Tiguri volumen Epp. ad Capnionem miſſarum edidit. Valentinus *Ampelander*, bernenſis, condidit carmen in obitum Bullingeri, impreſſum Tiguri A. 1575.

XXIX.

BASILII Magni Opera, latine, per Wolfg. *Muſculum* partim locis aliquot caſtigata, partim luculentis acceſſionibus aucta. Baſileæ. 1565. Tomi III. vol. I. Eadem græce & latine prodierunt

cum notis Front. *Ducai*, Pariſiis A. 1618. & 1638. ſed optandum, ut poſterior hæc editio foret caſtigatior: item Moguntiæ A. 1692. cum eiusdem *Ducai*, Franc. *Combefiſii*, aliorumque ſelectiſſimis annotationibus. Quæ editio hactenus eſt optima, omnibusque prioribus præferenda. Atque hic commendari meretur Fr. *Combefiſii* Baſilius reſtitutus, A. 1679. 8. T. II. impreſſus, quo editiones adhuc vulgatæ caſtigantur, augentur, illuſtrantur, & verſiones recenſentur. De Iuliani autem *Garnerii* Baſilio nihil dicam. In noſtræ editionis præfatione Wolfg. *Muſculus* exponit, quid hoc in opere præſtiterit, quidque de Baſilio iudicandum ſit, pariterque hortatur ad reſarciendam eccleſiarum concordiam. Iam accipe contenta operis: quod quidem diſpeſci poteſt in Sermones, Tractatus & Epiſtolas.

In tomo I. continentur 1) Monadia *Gregorii* nazianzeni in vitam Baſilii Magni. p. 1. 2) Baſilii Hexaëmeron, ſive de mundo ſex diebus condito Homiliæ XI. *Argyropilo* byzantino interprete. p. 24. Quæ maximam admirationem merentur, teſte *Suida*, nec ullis ſcriptis, ſi fratrem eius *Gregorium* audimus, cedere debent, niſi divinis. *Cave* P. I. 136. Decima autem & undecima non ſunt Baſilii, ſed *Gregorii* nyſſeni. *Placc.* P. 2. 110. 3) Aduerſus *Eunomii* Apologeticon libri V. *Georgio* trapezuntio interprete. p. 101. Ab Hieronymo & Suida vocantur egregii, *ἐξαίρετοι*. Sed duo ultimi in dubium vocantur. 4) Liber de Spiritu S. ad S. Amphilochium, *Eraſmo* interprete. p. 171. Huic libro Eraſmus quidem & alii moverunt litem, poſtremam ſaltem eius partem *νοθείας* accuſantes, ſed contra omnium ſententiam veterum doctorum. If. *Caſaubonus* Exercit. XVI. c. 43. p. 490. & c. 33. p. 459. 5) In pſalmos quosdam Homiliæ XVII. Raph. *Volaterrano* interprete. 214. Nimirum prima agit de virtute & laudibus pſalmorum, atque Auguſtini tractatibus in pſalmos præponitur, reliquæ exponunt pſalmum I. VII. XV. (iuxta vulgatam verſionem, alioquin enim eſt pſalmus XV. & ſic in ceteris) XXIIX. XXIX. XXXII. XXXIII. XXXVII. XLIV. XLV. XLVIII. LIX. LXI. CXIV. CXV. Ab Homiliis hiſce diſtincta ſunt Scholia in pſalmos. 6) Homiliæ XXXI. varii argumenti, p. 303. videlicet in diuites avaros, *Luc.* 12, 16. & *Matth.* 19, 16. in divites: de ieiunio, ebrietate & luxu, invidia, ira: in verba Moſis, *Attende tibi ipſi*, *Deut.* 30, 11. Deum non eſſe auctorem malorum: de gratiis Deo agendis: in

in martyrem *Iulittam*: de fide ſeu Trinitate: in verba *Io.* 1, 1. in principium *Prov*: de humana Chriſti generatione: de multorum vitiorum natura & proprietate: in XL. martyres: in *Gordium* martyrem, militem cæſarienſem: quomodo gentilium ſcripta adoleſcentibus proſint: de S. Trinitate: de Spiritu ſancto: contra Sabellianos, Arium, & Anomios: de martyre *Mamante*: de *Barlaam* martyre: pœnitentia: humilitate: non eſſe adhærendum rebus ſæcularibus: ad baptiſmum exhortatio: de inſtitutione baptizandorum: quomodo fiat baptiſma in euangelio I. Chriſti: eum, qui per baptiſmum regeneratus eſt, participatione deinceps diuinorum myſteriorum nutriri debere: Sermo II. de baptiſmo, 31. capitum, Wolfg. *Muſculo* interprete: ſine diuina virtute non poſſe quenquam reſiſtere ſatanæ.

In II. tomo, 1) Epiſtolæ CLXXX. p. 3. Inter quas ſunt quædam *Gregorii* theologi, ſeu epiſcopi nazianzeni, & *Libanii*, octogeſimaque eſt *Gregorii* nyſſeni tractatus de Trinitate ad Euſtathium. *Placc.* 110. in aliis editionibus exhibentur CCCCXXVIII. Hoc opus eſt præſtantiſſimum, continetque omnem illius temporis hiſtoriam, & eccleſiæ, quæ tunc erat, ſtatum, atque epiſtolicum characterem, iudice *Photio* cod. 143. optime exprimit. *Du Pin* eas iuxta temporis, quo ſcriptæ ſunt, ordinem diſpoſuit & recenſuit tomo II. B. E. 156. Epiſtolæ ad Amphilochium continent deciſiones de principalibus capitibus diſciplinæ, ita ut non haberi debeant pro privatis Baſilii opinionibus, ſed pro legibus ſui temporis eccleſiaſticis. *Idem* 175. *Scultetus* in Medulla theol. Patrum p. 1209. admirandas, ut vocant, Baſilii epiſtolas, e codd. MSS. a Dav. *Hæſchelio* collectas, a Io. Iac. *Beurero* autem in latinam linguam converſas, cum lectoribus communicat, ipſe vero ſtatuit, in iis nihil magnopere admirandum occurrere; quin de auctore non unam ob cauſam dubitat. 2) Sermo de paradiſo. p. 124. 3) liber de vera virginitate, *Ambroſio* camaldulenſi interprete. p. 129. *Hülſemanno* in Patrol. pro ſuſpecto habitus. 4) Aſcetica, ſeu de renuntiatione huius vitæ, & ſpiritualis perfectione. p. 174. e quibus non nulla debentur *Euſtathio*. *Placc.* P. II. 110. 5) Ethica. p. 198. Quæ conſtant capitibus ſeu definitionibus LXXX. 6) Regulæ contractiores. p. 294. Quas non nulli Romano-catholicorum tribuunt *Euſtathio*, a quibus tamen alii diſſentiunt. *Placc.* 110. 7) De vita ſolitaria, ſeu monaſticæ Conſtitutiones. p. 354. Quas

Digitized by Google

Quas *Nicephorus Euſtathio* ſebaſteno tribuit. *Placc.* l. c. alii Baſilio æque ac *Gregorio* nazianzeno. Irrepſerunt quidem non nulla, quæ a Baſilii genio aliena ſunt, & quædam *Euſtathio* debeantur; interim ſcriptum Baſilio non eſt plane abiudicandum. *Cave* 136. 8) Epiſtola ad Chilonem, de vitæ perfectione. p. 383. 9) Ad monachum lapſum. p. 386. Sunt alias duæ epiſtolæ. 10) Admonitio ad anachoretas iuniores. p. 387.

In tomo III. 1) Scholia in pſalterium. p. 1. A *Riveto* habentur pro cinno commentariorum *Chryſoſtomi* & *Theodoreti. Placc.* 110. 2) In XVI. priora Eſaiæ capita enarratio, Godefrido *Tilmanno* interprete. p. 364. Quæ *Hulſemanno* Patrol. c. 4. §. 34. ſpuria videtur. 3) XXI. Epiſtolæ, prioribus adiiciendæ. p. 482. Ad libri de Spiritu S. caput 27. beatus parens meus hoc annotavit: *Hoc caput Eraſmo atque aliis multis videtur ſuſpectum & dubia fidei, in primis Abr.* Sculteto *in Medulla patrum p* 1055. 1176. *a quibus diſſentit* Caſaubonus *Exercit.* XVI. n. 43. *quem allegat* Gerhard. *Patrol.* 251. *&* Rivetus *Crit. ſacr.* 329. Antequam progrediamur, notemus errores non tam eruditiſſimi patris, quam eius interpretum: varios enim multosque nactus eſt interpretes, qui omnes ſæpe lapſi ſunt, & correctione opus habent: quam quidem præſtantiſſimus vir, L. E. *Du Pin,* Deo vires concedente, in ſe ſuſcipere vellet, ſpem hancce faciens lætiſſimam p. 200.

In *Gregorii naz. Monodia* in Baſilii vitam p. 3. Gregorius nyſſen. *cælebs*, & pater eius *ſacerdos.*	Vtrumque falſum: nec ea repeririuntur in *Gregorio naz.* ſed Raph. *Volaterranus* alterum confinxit, alterum ex ſcholio textui intulit. G. *Calixt.* de Coniug. clericor. p. 224.
T. I. 253. in pſalmum 32. Servabitur non *omnis* (Iſraël) *ſed ſolummodo, qui ad gratiam fuerit electus.*	Sic vertendum: Servabitur non *quivis* ex Iſraële, *quaſi ſorte oblatus, Spener* in Piis deſider. 158.
T. II. 45. in Epiſt. 63. Sed ipſa dicitis tempore Gregorii *Magni* non fuiſſe.	Baſilius intelligit Gregorium *neocæſarienſem*, denatum anno 265.

Baſilius, Cæſareæ in Cappadocia, vel, ut *Cave* p. 135. coniicit, Neocæſareæ Ponti natus e parentibus nobilibus, Gregorii nazianzeni

zeni commilito ſcholaſticus, fidusque poſtea in ſolitudine comes, patriæ eccleſiæ primum lector, dein diaconus, inde presbyter, ac tandem archiepiſcopus, vir pius, ingenuus, moderatus, prudens, ab avaris & invidis epiſcopis multa paſſus, obiit A. 378. poſtquam VII. annos ſuprema hac dignitate fruitus erat, habens etiam duos fratres pariter epiſcopos, *Petrum* ſebaſtenum, & *Gregorium nyſſen.* ſuumque ipſe nominavit ſucceſſorem. *Magni* cognomen adeptus eſt, ſi W. *Muſculum* in præf. audimus, non tam ob eruditionis excellentiam, quam a pietatis eximio ſtudio; Raphaël autem *Volaterranus* præfat. in Baſilii Homilias in pſalmos, eum ſic dictum putat ob eloquium ſingulare, ſeveriusque vitæ inſtitutum. Stilus eius eſt purus & nitidus, atque ad perſuadendum efficax. Vnde & ab *Eraſmo* præfat. in librum eius de Spiritu S. Baſilius vocatur *Demoſthenes chriſtianus. König.* 90. *Cren.* Diſſert. de Singular. ſcriptor. 44. In homiliis, iudice Rich. *Simonio* Hiſt. crit. V. T. l. 3. c. 10. ſubtilior eſt Chryſoſtomo, & oratorem perfectum potius agit, quam ſacri textus interpretem. *Gerhard.* Patrol. 254. *Magirus* 112. *Blount* 242. G. *Arnold.* T. I. 160. *Olearius* P. I. 110. Liturgia eius, prout hodie extat, plurimum eſt interpolata, variisque additamentis pro ſæculi genio aucta. *Cave* 136. *Simon* de Cærimon. & conſuetud. iudæor. 104. I. Alb. *Fabricius* B. gr. l. 6. p. 12. Vitam eius plures ſcripſerunt, interque illos *Amphilochius* iconienſis, *Philotheus* patriarcha CPtanus, & *Gregorius* nazianzenus; ſed *Amphilochii* ſcriptum eſt ſpurium & fabularum plenum. *Gerhard.* Patrol. 254. omnibus autem præſtat *Gregorii* nazianzeni, niſi quod eum nimis extollit, & fere apoſtolis præfert ac prophetis. G. *Arnold* 161.

Fran. *Combefis*, gallus, ord. F. F. Prædic. congreg. S. Ludovici Lutetiæ Pariſiorum, edidit Hiſtoriæ byzantinæ ſcriptores poſt Theophanem; (quo de opere vide *Acta erudit.* A. 1685. 437.) Auctuarium Bibliothecæ patrum: Triumphum martyrum: IIX. tomos Bibliothecæ concionatoriæ, obiitque A. 1679. æt. 74. I. A. *Fabricius* Biblioth. gr. l. VI. 348. 687. Critopulus Cenſur. Eclogarum I. F. Mayeri 42. A *Lambecio* l. 7. Comment. de Biblioth. cæſar. vocatur homo inſolentiſſimus maledicentiſſimusque.

Raphäel *Maffeus* ſeu *de Maffeis*, (hoc enim eius erat cognomen) a patria dictus *Volaterranus*, ſtruxit Commentariorum libros 38. quos Vrbanos vocavit, quod in urbe Roma conſcripti eſſent, &

Procopium de bello perſico & vandalico, aliaque, non tam ſincere, ut ſibi perſuadet *Iovius*, convertit, obiitque A. 1521. ſeptuagenario maior. *König*. 854. *Voſſ.* de Hiſtor. lat. 208. *Giornale* de' letter. d' Ital. T. XV. 315. *Magirus* 800. *Blount* 523. *Campanella* de libr. propr. & rat. ſtud. (T. II. Method. Crenii 218.) Opera eius prodierunt Lugduni A. 1599.

Argyropylus byzantinus, Græcia eiectus, a COSMO autem Medice, cuius filium *Petrum*, nepotemque *Laurentium* erudiebat, liberaliter ſuſtentatus, Romæ primus e Græcis philoſophiam, & cunctas diſciplinas, quæ cyclicæ vocantur, profeſſus eſt, *Ariſtotelisque* Naturalia & Moralia tam generoſe tranſtulit, ut *Gaza* ab ſe tranſlata combureret, ne amiciſſimi hominis creſcenti famæ officerent. *König* 56. At aliter ſentit Raphäel *Volaterranus*, ſcribens, eum magis eleganter, quam fideliter convertiſſe. Claruit A. 1473. *Magirus* 65.

Euſtathius, qui Baſilii Hexäemeron e græco tranſtulit in latinum, eruditionis laude florens A. 440. fecit tanta id venuſtate, ut ingenium doctiſſimi viri, *Caſiodoro* iudice, facundiæ ſuæ viribus æquiparare videatur. Idemque eum vocat virum diſertiſſimum. *Cave* P. I. 241. *Olearius* P. I. 244.

XXX.

GREGORII NAZIANZENI Opera, græce & latine, Coloniæ 1690. volum. II. ex emendatione & interpretatione Iac. *Billii*, cum Commentariis *Nicetæ* Serronis, *Pſelli*, *Nonni*, & *Eliæ* cretenſis, quos ex græco vertit Billius, & ſuas, ubi opus erat, annotationes & ſcholia addidit. Acceſſerunt etiam aliquam multæ Gregorii Epiſtolæ, nunquam antea editæ, ex interpretatione Fed. *Morelli*. Editio hæc expreſſa eſt ad optimam, quæ pariſina eſt anni 1630. Seorſum ex ſcriptis auctoris noſtri prodierunt duæ in IVLIANVM invectivæ, cum notis Rich. *Montacutii*, Etonæ 1610. 4.

In tomo I. continentur Orationes, Tractatus, Metaphraſis, & Epiſtolæ. Et in Orationibus quidem agitur de Gregorii fuga in Pontum: adverſus Iulianum: in laudem *Cæſarii* fratris: in laudem *Gorgoniæ* ſororis ſuæ: de pace: in plagam grandinis: de pauperum amore: in laudem S. Cypriani martyris, Baſilii, Athanaſii, Maccabæorum, Heronis, philoſophi alexandrini: in Ægyptiorum adventum: ad Arianos, & de ſe ipſo: de moderatione in diſputationibus ſervanda: de

de ſe ipſo, & ad eos, qui ipſum cathedram CPtanam affectare dicebant: de ſuo ſeceſſu: de dogmate & conſtitutione epiſcoporum: in electione *Eulalii*, Doarenſium epiſcopi: in dictum illud euangelii, *Matth.* 19, 1. *Cum conſummaſſet Ieſus hos ſermones:* de fide Trinitatis, in præſentia CL. epiſcoporum, contra IVLIANVM & VALENTEM: V. de theologia: in Chriſti nativitatem: in ſancta lumina, ſeu de baptiſmo Chriſti: in S. baptiſma: II. in paſcha: in novam dominicam, ſiue in feſto encæniorum: in S. pentecoſten: ad *Euagrium* monachum de divinitate: ad *Nectarium*, CPtanum epiſcopum: in laudem martyrum: Significatio in Ezechielem: Tractatus de fide: Tractatus de fide nicæna: Metaphraſis in Eccleſiaſten: Epiſtolæ II. ad Cledonium, & reliquæ.

In II. tomo poëmata omnia, quorum primum eſt Vita S. patris, ab ipſomet deſcripta, cum commentariis in totum opus. Poëmata, inquit *Morhof* Polyh. l. VII. c. 2. n. 27, non eo nitore ſcripta ſunt, qui antiquis comparari poſſit, pia tamen omnia. Dubia autem hoc in opere ſcripta, ſunt Oratio ſeu Epiſtola ad *Euagrium* monachum de divinitate, & Significatio in Ezechielem: Spuria, Metaphraſis Eccleſiaſtæ, & Tragoedia, *Chriſtus patiens*: illa enim *Gregorii* eſt *thaumaturgi*, hæc *Apollinarii* ſenioris. *Cave* P. I. 141. Tomo I. præmittuntur 1) Præfatio, in qua ſermo eſt de codicibus, ad opus hoc emendandum & edendum adhibitis, deque opera a *Billio*, *Ducæo*, & *Morello* præſtita. 2) alia Gilb. *Genebrardi*, & Io. *Chatardi*, novæ ipſorum verſioni præfixa, in qua criminantur Calvinianos, Gregorii huius exemplum GREGORIO XIII. imitandum proponunt, eique conſervationem linguarum, etiam græcæ & ebraicæ, ac ſolidiorum diſciplinarum commendant. 3) Index dictorum S. Scripturæ explicatorum. 4) Index ſimilium & proverbiorum, quibus S. pater ſuis in ſcriptis uſus eſt. 5) Appendix, qua continentur Oratio in SS. martyres, contra Arianos, græce: Epiſtolæ X. græce ac latine, Fed. *Morello* interprete: Teſtamentum S. *Gregorii*, Iac. *Sirmondo* interprete, ſcriptum, uti *Cave* p. 140. indicat, paullo ante renunciatam ſedem CPtanam: & Notæ in LIII. Orationes & Epiſtolas.

Tomo II. p. 1406. *Cyri Nicetæ, da-brienſis epiſcopi*, comment. in D. Gregorii nazianzeni Tetraſticha. 2.	Commentarium hunc *Nicetæ Serroni* deberi, conſtat. *Cave* 395.

Gregorius, non quod in urbe Nazianzo natus, eiusve epiſcopus eſſet, ſed quia Arianzi, in prædio paterno, prope Nazianzum, obſcurum Secundæ Cappadociæ oppidum, in lucem editus fuit, *Nazianzenus* adpellatus, patrem habuit Gregorium, epiſcopum nazianzenum, a quo etiam presbyter fuit ordinatus. Turbarum autem per IVLIANVM Imp. contra Chriſtianos motarum pertæſus, in Ponti ſolitudines ad *Baſilium* familiarem ſuum ſeceſſit, ægre poſtea ferens, & oblatum munus reſpuens, cum ab eo, archiepiſcopalem dignitatem adepto, Saſimæ, vilis in Cappadocia Secunda oppidi epiſcopus conſtitueretur; patris autem, extremo ſenio laborantis, vices ea obiit conditione, ne illo ex hac vita digreſſo epiſcopatus ſibi imponeretur. Circa annum 378. a Synodo Antiochiæ habita miſſus CPlim, ut cauſam catholicam ab Arianis oppreſſam erigeret & ſuſtentaret, voto & exſpectationi ablegantium ſatisfacere ſtuduit, aucto in dies Catholicorum numero, quos fideliter colligebat in *Nicobuli* affinis ſui ædibus, quæ mox in templum erectæ ſunt, indito ei *Anaſtaſia* nomine, quod fides langueſcens antea & moribunda, illic revixiſſe viſa eſſet. Hinc a THEODOSIO M. creatus quidem fuit archiepiſcopus CPtanus, atque a Concilio oecumenico A. 381. confirmatus; verum orta mox in eodem ea de re contentione, ſedi ſuæ ſponte renunciavit, & domum repetens privatam egit vitam pietatis exercitiis & poëticis lucubrationibus vacans, donec vitam hanc caducam cum meliori commutaret A. 389. ætatis ſuæ circiter 65. *Cave* 139. *Olearius* 294. I. Alb. *Fabricius* B. gr. 508. *Wolf* in Caſauboniana 332. G. *Arnold.* l. 4. c. 4. n. 41. Vir erat apertus & ſimplex, minimeque omnium ad technas compoſitus, præterea in quovis diſciplinarum genere præſtantiſſimus, atque in theologia ſummus: unde etiam *κατ ἐξοχην theologus* cognominabatur, tantaque eius erat auctoritas, ut hæreticum reputaretur, ab eo diſſentire. Sermone uſus eſt grandi, ſublimi, & ubique maieſtatis pleno, dicendi gravitate *Polemonem* ſecutus. Facultati autem oratoriæ plus, quam par eſt, indulgens, invocationi ſanctorum viam ſtraviſſe dicitur. A Rich. *Montacutio* vocatur græcorum patrum μεγαλοφωνοτατος, ab *Eraſmo* & *Budæo* paris cum facundia pietatis, a *Baſilio* M. os Chriſti & vas electionis. Plura dabunt *Magirus* 401. *Blount* 245. *Gerhard.* Patrol. 261. C. *Thomaſ.* in Cautel. circa hiſt. eccl. 155. & quæ operibus hisce *præmiſſa* ſunt u ſ.

Iac.

Iac. *Billius*, ſive *de Billi*, prunæus, natione Guiſa-gallus, abbas ordinis S. Benedicti, theologus, mathematicus, ICtus, & poëta, Gilb. *Genebrardi* familiaris, vir, ut *Thuanus* ad A. 1581. ſcribit, non plus nobilitate, quam propria virtute, ac vitæ ſanctimonia, & doctrina ab vacuo fuco aliena, linguæque græcæ exacta cognitione clarus, multos Patres græcos in latinum tranſtulit, notisque illuſtravit: edidit etiam Formulas græcarum locutionum, Anthologiam ſacram, Sacrarum obſervationum libros II. & Carmina, præproperam mortem ex phthiſi expertus: obiit enim Lutetiæ Pariſ. A. 1581. ætatis 48. *König* 111. *Blount* 771. *Dallaus* de Pœn. & ſatisfaction. l. 5. p. 463. Quam doctus autem erat in græcis, nihilominus ſæpe lapſus eſt, notante auctore Bibliothecæ novæ ſelectæ, qui eſt Rich. *Simon*, P. II. 35.

Nicetas, cognomento *Serron*, magnæ eccleſiæ CPtanæ diaconus, & magiſter ſeu doctor, poſtea heracleenſis archiepiſcopus, minime confundendus (quod tamen fit etiam in præſentis operis T. II. 1405) cum *Niceta Davide* paphlagone, dedit Catenam in Iob, & fortaſſe etiam in Matthæum, Lucam &c. nec non Reſponſa canonica ad interrogationes epiſcopi cuiusdam, clarus A. 1077. *Cave* P. I. 434. *Olearius* P. II. 14. L. *Allatius* de Pſellis (apud *Fabricium* B. gr. l. V. p. 10.)

Mich. *Pſellus*, patricius CPtanus, præfectus ſtudiorum *Michaëlis* Ducæ CONSTANTINI Ducæ filii, claruit medio ſeculo XI. & *Michaële* Duca exauctorato, ipſe a Botoniata Nicephoro dignitatibus ſpoliatus, relicta aula cucullum induit, ſolumque vertere coactus fuit, multis interim ſcriptis famam immortalem conſecutus. Inter ea ſunt Carmina ſeu paraphraſis metrica in Cant. canticorum: Commentarius in eadem: Capita quædam de Trinitate & perſona Chriſti: Oratio panegyrica in *Simeonem* metaphraſten: Officium pro eius commemoratione. Sed Dialogus de operatione dæmonum eſt alterius Mich. *Pſelli*, qui vixit ſæculo IX. *Cave* P. I. 423. 392. *Olearius* P. I. 488. Leo *Allatius* de Pſellis (apud Fabricium B. gr. lib. V. 14.) qui ob variam ſcientiam & ſtili ſuauitatem eum ſummopere laudat.

Nonnus, ægyptius panopolitanus, inter græcos poëtas chriſtianos, ut *Sixto* ſenenſi videtur, princeps, ſed ſtilo obſcuriore, & gentiliſmum ſapiente uſus, floruit circa annum Chriſti 410. ſcripſit-

que Paraphraſin euangelii S. Ioannis, & *Διονυσιακῶν* libros 48. *König* 579. *Olearius* P. II. 33. I. Alb. *Fabricius* B. gr. l. 7. 682. Octav. *Ferrarius* l. 2. Elect. c. 1.

Elias, metropolita cretenſis, diſtinguendus ab Elia cretenſi ebræo, claruit anno 787. quo Synodo interfuit nicænæ II. deditque Reſponſa ad *Dionyſii* monachi interrogata IIX. item Expoſitionem in *Ioannis Climaci* Scalam paradiſi. Sed hæc, in bibliotheca cæſarea aſſervata, nondum eſt edita. *Cave* P. I. 351. *Olearius* P. I. 218.

XXXI.

THEOPHYLACTI Opera, latine, Baſileæ 1570. Nimirum 1) Enarrationes in IV. euangeliſtas, ab *Oecolampadio* latinitate donatæ, a Ph. autem *Montano* ad exemplar græcum Romæ impreſſum infinitis pæne locis recognitæ. p. I. Quæ editio recuſa fuit Lipſiæ A. 1700. 4. In fine eis annectitur hæc nota, tria cauenda eſſe, citra tamen catholici auctoris notam: 1. Spiritum S. non procedere a filio. 2. Dei eſſe vocare, electos autem fieri, vel non, noſtrum eſſe. 3. Humanum quid voluiſſe oſtendere matrem (Ieſu,) quod ut in filium poteſtatem haberet. 2) Enarrationes in omnes S. Pauli epiſtolas, adeoque etiam in epiſtolam ad Ebræos. p. 333. 3) In 4. prophetas minores, Habacuc, Ionam, Nahum & Hoſeam, Ioanne *Lonicero* interprete. p. 660. ubi enarratio in *Hoſeam* eſt ſine capite & cauda. 4) In Acta apoſtol. Laur. *Sifano* interprete. p. 749. Ex his enarrationibus græce & latine prodiit prima Pariſiis 1631. & 1635. ſecunda Londini per Auguſtinum *Lindſellum* 1636. De qua editione vide *Cren.* Animadverſion. philol. T. XIIX. 37, quarta Coloniæ, 1568. Ceterum de variis ſcriptorum huius auctoris editionibus vid. *Du Pin* ad ſec. XI. 113.

Theophylactus, Acridæ in Bulgaria archiepiſcopus, ab *Eraſmo* in c. 1. Lucæ, *Melanchthone* in Apol. A. C. ad art. X. n. 364. *Sculteto* in Medulla theol. P.P. 497. aliisque *Vulgarius* dictus, floruit anno circiter 1071. Scripſit etiam Epiſtolas, quas græce edidit Io. *Meurſius* Lugduni Bat. A. 1617. 4. Vincent. *Marinerius* autem latine interpretatus eſt, imprimique fecit Coloniæ 1622. Orationem in adorationem venerandæ crucis medio ieiuniorum tempore: Inſtitutionem regiam ad Conſtantinum porphyrogennetam, Michaëlis Ducæ filium: & Argumenta adverſus Latinos de proceſſione Spiri-

ritus S. *Cave* P. I. 434. *Olearius* P. II. 202. *Sixtus* ſen. Biblioth. S. Lib. IV. 383. *Gerhard.* Patrol. 535. *Blount* 364. Eſtque, ut *Oecumenius*, epitomator, ſi non exſcriptor Chryſoſtomi. *Hülſemann.* Patrol. c. 11. *Caſaubon.* Exercit. XVI. n. 84. p. 559.

Phil. *Montanus*, armenterius, in patria theologus, poſtea vero Regis iuſſu profeſſionem in acad. duacena ſexagenario maior aggreſſus, vir græcæ linguæ peritiſſimus, ac pius, (id quod ex eius dedicatione elucet, ubi de compendiaria eccleſiæ inſtauratione, & contra ſacerdotum improbitatem, ambitionem, avaritiamque diſſerit) obiit A. 1576. *König* 551. *Lexic. univ. hiſt.* T. III. 550.

Io. *Lonicerus*, mansfeldicus, in academia marpurgenſi primum græcæ, deinde etiam ebrææ linguæ profeſſor multa tam ſacra, quam profana ſcripta ex græco in latinum tranſtulit reſtituitque, auguſtanam vero Confeſſionem, eiusque Apologiam græce, ſicut varia *Lutheri* ſcripta latine reddidit, & multa alia ſcripſit, vir mitis ac placidi ingenii, optimorumque & amabilium morum, cum propoſito dormiendi obdormivit in Domino A. 1569. æt. 70. M. *Adam* in Vitis philoſ. 248.

Laur. *Sifanus*, prunsfeldius, I. V. doctor, etiam Gregorii nyſſeni translatione celebris, floruit ſec. XVI. & reliquit orationes II. de laudibus linguæ græcæ & Iſocratis, deque commendatione hiſtoriæ, Coloniæ 1564. 8.

GREGORII NYSSENI opera, de græco in latinum ſermonem converſa a Laur. *Sifano*, & Io. *Levvenklaio.* Baſileæ 1571. Quid præſtitum ſit in hac editione, docent præfationes Sifani & Lewenklaii. Hæc enim priore, quam curaverat Sifanus, aut potius ipſo abſente corrector, multo eſt emendatior, & per ſocium reddita etiam auctior. Græce autem & latine prodierunt hæc opera Pariſiis A. 1616. cum notis Front. *Ducæi*, & Iac. *Gretſeri*; quæ editio longe eſt correctior altera, quæ lucem vidit A. 1638. Primus contra Eunomium liber, & græcus textus Orationum moralium, qui in laudata abſunt editione, ſupplementi vicem ſubeunt in S. Baſilio A 1618. impreſſo. Vide *Du Pin* T. II. 231. *Cave* P. I. 139. Iam præſentium operum contenta ſunt indicanda, eaque ſunt ſequentia: Epiſtola, quid nomen profeſſioque chriſtiana ſibi velit: liber de Oratione, in quo oratio dominica explicatur: de beatitudinibus, *Matth.* V. de Chriſti nativitate: de S. Stephano protomartyre: in

VIrum

VItum pſalmum de octava: de feſto paſchæ: de aſſumtione Chriſti: de S. Trinitate, & quod Spiritus S. ſit deus: tres dici deos non oportere: de differentia eſſentiæ & hypoſtaſeos: de fide, ſeu de Patre, Filio & Sp. ſancto: in dictum apoſtoli 1. Cor. 15, 28. de *dormientibus*: de paſchatis feſto orationes IV. de aſſumtione Domini: in dictum *Matth.* 25, 40. de anima & reſurrectione diſputatio cum ſorore *Macrina*: de hiſtoria VI. dierum, quibus mundus a Deo creatus eſt: de Trinitate, adverſus iudæos, ex V. T. delecta teſtimonia, cum explicatione: liber de S. baptiſmate: Oratio in laudem *Baſilii* magni: Orationes II. in laudem XL. martyrum: Oratio in funere *Pulcheria*, filiæ THEODOSII magni Imp. Oratio funebris de PLACILLA, auguſta, prædicti Imp. uxore: Vita *Gregorii* neocæſarienſis, miraculorum opificis: Oratio in laudes ſancti viri ac magni martyris *Theodori*: Oratio habita in funere *Meletii*, epiſcopi Antiochiæ. Hæc omnia, hactenus recenſita, ſunt ex interpretatione Laur. *Sifani*: quæ vero iam ſequuntur, eorum verſio debetur Io. *Leuvenklaio*, videlicet Explanatio in Canticum canticorum, & & liber de hominis opificio. Liber autem de vita Moſis, ſiue de vita perfecta, interpretem nactus eſt *Georgium trapezuntium*, qui in Catalogo ſcriptorum noſtræ editionis falſo vocatur Gregorius. Ex his ſuppoſititia partim, partim dubia ſunt: de S. Trinitate, & quod Spiritus S. ſit deus: de differentia eſſentiæ & hypoſtaſeos: de dormientibus: de anima & reſurrectione: Teſtimonia V. T. de Trinitate adverſus iudæos: Vita *Gregorii* neocæſarienſis: oratio in laudes *Theodori*. *Scultetus* Medull. p. 887. *Gerhard.* Patrol. 297. *Rivet.* Crit. S. l. 3. c. 23. *Hülſemann.* Patrol. c. 4. §. 46. *Cave* P. I. 138. *Placc.* P. II. 324. *Du Pin* T. II. 222. In noſtra editione poſt præfationes *Sifani* & *Leuvenklaii* ſequuntur elogia Gregorii nyſſeni, ex *Hieronymo*, *Suida*, *Nicephoro* Calliſti & *Volaterrano* depromta.

Gregorius, gente ponticus, *Baſilii* magni frater natu minor, a nimio rhetoricæ ſtudio per *Gregorium* nazianzenum ad theologiam reuocatus, Nyſſæ in confinio Cappadociæ epiſcopus, ob fidei nicænæ acerrimam defenſionem in exilium miſſus, ſed & ſedi ſuæ reſtitutus, Symboli CPtani compoſitor, coniugem habens *Theoſebiam*, vir egregia morum ſanctitate, ac omnigena eruditionis laude, ſtilique elegantia conſpicuus, a Græcis honoris cauſa *pater patrum* adpellatus, vixit ſub Impp. CONSTANTIO, IVLIANO,

NO, IOVIANO, VALENTINIANO & VALENTE, GRATIANO & THEODOSIO M. ultra concilii CPtani, cui ipſe anno 394. interfuit, cumque *Gregorio nazianzeno* præſedit, tempora, & extraordinario Metropolitæ ſeu Patriarchæ honore affectus fuit. *König* 362. *Cave* 137. *Magirus* 402. *Blount* 250.

Io. *Levvenklaius* ſeu *Leunclavius*, nobilis angrivarius, cum Legato cæſareo, Dav. *Vngnado* CPlim profectus, atque ita magnam ſibi rerum turcic. & græcarum notitiam comparans, poſtea epiſcopus mindenſis, varios auctores græcos transtulit, & 18. libros Hiſtoriæ muſulmannicæ edidit, vita defunctus A. 1593. ſexagenario paulo minor, *König* 471. *Blount* 734. *Richard* Hiſtor. biblioth. vindobon. 56.

XXXII.

DIONYSII areopagitæ Opera, ex editione Petri *Lanſſelii*, Lutetiæ Pariſ. 1615. Recentior editio eſt Balth. *Corderii*, Antverpiæ A. 1634. & Pariſiis 1644. Vide *Ittig.* Diſſert. de Patrib. apoſtol. 134. Contenta præſentis voluminis ſunt 1) Petri *Lanſſelii* diſputatio apologetica de S. Dionyſio eiusque ſcriptis: ubi quidem probare nititur, eum fuiſſe in Galliam miſſum, & quæ ei hic tribuuntur, ipſius eſſe ſcripta. 2) Vita S. Dionyſii, ex operibus eius & ſcholiis S. *Maximi* ab eodem collecta. 3) Liber Dionyſii de cœleſti hierarchia, agens de ter ternis angelorum ordinibus, quaſi auctor in tertium usque cœlum raptus, deque illis omnibus edoctus fuiſſet: interim, *Gregorio* nazianz. Orat. 38. & 42. fatente, pulcherrime & ſublimiſſime philoſophatus eſt. 4) Liber de eccleſiaſtica hierarchia, doctrinam de omnibus ad negotium eccleſiaſticum pertinentibus myſteriis tradens. 5) Liber de divinis nominibus, quo ea modo Deo tribuantur, deque S. Trinitate diſſerens. 6) Liber de myſtica theologia, explicans diſcrimen affirmationum & negationum, atque oſtendens, verius omnia de Deo negari, quam affirmari; & X. Epiſtolæ: in quibus nihil memoratu dignum continetur, niſi forte cuipiam fabella de eclipſi paſſionis dominicæ arrideat, quam Dionyſius Heliopoli Ægyptiorum ſe vidiſſe ſcribit in ep. ad Polycarpum. *Scultet.* Med. theol. PP. 383. 7) Vita & encomium Dionyſii ex Menæis Græcorum, *Simeone* metaphraſte, *Suida*, libro II. *Nicephori*, Mich. *Syngelo*, & Martyrium eius ex *Methodio*, & Dionyſ. *Guerino*. 8) *Lanſſelii* Notæ & variæ lectiones. 9) *Maximi* Scholia in Dio-

Dionyſii libros. 10) Georg. *Pachymeris* paraphraſis in eius Epiſtolas. 11) *Eiusdem* paraphraſis in ipſa Dionyſii opera. 12) S. *Maximi* Scholia in Epiſtolas.

Tribuuntur & alia ſcripta Dionyſio, ſed quæ ſunt deperdita. *Du Pin* T. I. 37. Neque vero illa, quæ hic exhibentur, Dionyſii ſunt areopagitæ, qui vixit ſeculo I. ſed alterius cuiusdam, e quarto, vel quinto, vel ſexto ſeculo, ſi fidem apud nos habent *Gerhardus* in Patrol. p. 19. Rob. *Cocus* 94. *Caſaubonus* Exercit. xvi. p. 498. G. *Calixtus* de Igne purgator. R 2. *Dreier* in Controv. p. 79. 221. Er. *Schmid* in Col. 2, 16. *Meelfuhrer* in Corona C. P.P. p. 5. *Ittig* Diſſert. de Patrib. apoſtol. 143. *Scultetus* Med. theol. PP. 384. *Rivetus* Crit. S. lib. I. c. 10. 11. p. 158. Al. *Morus* in Act. 17, 34. Io. Lud. *Fabricius* Opp. 437. *Sand* de veter. ſcriptor. eccleſ. 15. Neque etiam omnes omnino romanocatholici ſcriptores Dionyſio areopagitæ iſta tribuunt opera, certe non *Eraſmus*, nec *Valla*, nec Thomas *de Vio*, nec *Perronius*, nec *Launoius*, nec *du Pin*, multique alii critices periti: quo etiam videtur inclinare *Labbeus* de Scriptor. eccleſ. P. I. 259. Probabilior autem ſententia eſt hæc, auctorem præſentium operum floruiſſe ſæculo IV. & συγχρονον fuiſſe Euſebii cæſarienſis: quæ etiam eſt Guil. *Forbeſii* p. 240. Io. *Pearſonii* in Vindic. epp. Ignatii c. X. p. 312. 317. *Cavei* P. I. p. 125. & C. *Thomaſii* in Cautel. circa hiſt. eccl. 113.

Dionyſius, natione thrax, Areopagi athenienſis aſſeſſor ſive Senator, Pauli diſcipulus, iuxta *Act.* 17, 22. 24. &, ſi *Euſebio* l. 3. Hiſt. eccl. c. 4. fides habenda, primus Athenienſium epiſcopus, non vero Gallorum apoſtolus, aut pariſienſis epiſcopus, (prout contra fabuloſas Hilduini, Baronii, & Bellarmini relationes Iac. *Sirmondus* peculiari diſſert. Io. *Launoius* opuſc. de 2. Dionyſiis, *Sammarthanus* Gall. chriſt. T. I. 400. & *Du Pin* T. I. 34. *Dorſcheus* in Sylloge 48. *Bebel* Antiqq. eccleſ. 25. *Hülſemann* Patrol. 979. *Dalleus* de ſcriptis Dionyſ. ſuppoſit. ſolide demonſtrarunt) vitamque ſuam Athenis martyrio finivit ſub Domitiano Imp. *Ittig* l. c. p. 131. & *Cave* P. I. 12. Quicunque autem hic auctor fuerit & quamvis multa ſubtiliter & argute diſputet, multisque ævi ſui corruptelis laboret, de S. cœna tamen & baptiſmo præclare teſtatur, fatente *Schurzfleiſchio* in Epp. arcan. T. I. 25. & perantiquus, magnique ſpiritus, nec aſpenandus ſcriptor eſt, ut Alex. *Morus* prædicat l. 2. p. 100. immo, teſte *Caſaubono* contra Baron. p. 498. pro elegantiſſimo agnoſcendus eſt; librumque de

de Myſtica theologia videtur intelligere *Morhoſius*, quando Polyh. l. 1. c. 10. p. 100. ſcribit, rerum diuinarum profundiſſimis meditationibus plenum eſſe. Stilus horum librorum, eorumque methodus, non convenit modo ſcribendi, qui uſitatus erat ſæculo I. & II. nam ſtilus eſt inflatus affectatusque, & argumenta ſingulari cum cura ſunt diſpoſita. *Du Pin* T. I. 35. multarum etiam rerum, quæ primis ſæculis non erant in uſu, in iis fit mentio.

Simeon, CPtanus, ubi ſub Imp. LEONE eiusque filio CONSTANTINO Porphyrogen. ſummas in aula dignitates obiuit, a genere ſcribendi dictus *Metaphraſtes*, vixit ſæc. X. usque ad A. 950. Collegit etiam vitas ſanctorum, easque ad menſium dies ordinavit; ſed plurima in iis fabuloſe ſcripta ſunt. *König* 755. *Cave* 402. *Olearius* Biblioth. eccl. P. II. 165.

Maximus, CPtanus, vixit ſæc. VII. tempore HERACLII Imp. cuius primus ſiue ſupremus erat ſecretarius, poſtea abbas monaſterii chryſopolitani, ab Arianis autem in exilium pulſus, anno 662, ut fertur, poſtquam ſibi mortem intra paucos dies obuenturam prædixiſſet, martyrii coronam obtinuit. Fuit in magna apud catholicos eruditionis & ſanctitatis opinione, pluresque ante ſe Scholia in Dionyſium ſcripſiſſe teſtatur. *Pearſon* in Vindic. epp. Ignatii c. 10. p. 314. Scripſit multos libros, interque illos librum aſceticum: IV. Centurias ſententiarum de virtute & vitio: Ambigua, ſiue Scholia in *Gregorii* theologi locos difficiles. *Cave* 322. *Olear.* P. II. 478.

Mich. *Syngelus*, hieroſolymitanus, vixit ſec. XVI. Eius liber de laudibus S. Dionyſii, Lutetiæ Pariſiorum, græce & latine prodiit A. 1547. 1562. & per Corderium 1633.

Methodius, nobilis ſiculus, primo monachus, deinde *Nicephori* expatriarchæ apocriſiarius, poſtque falſam de adulterio accuſationem & duplicis carceris ſqualores patriarcha CPtanus, obiit A. 847. teſte *Caveo* p. 375. Scripſit etiam commentatiunculam de iis, qui abnegarunt per diverſos modos & ætates, extantem in tomo VI. Biblioth. P.P. 619. Orationem de occurſu Simeonis & Annæ in templo: Orationem in Ramos palmarum, & Canones pœnitentiales. *Cave* l. c. Si *Sirmondo* & *Launoio* credimus, encomium S. Dionyſii Methodius petiit ex Hilduini Areopagiticis; ſin Leoni *Allatio*, ex vetuſtioribus Græcorum monumentis.

Georgius Pachymeres, Latinis vulgo Pachymerius dictus, natus Nicææ, ſacerdos CPtanus, Patriarchæ protecdicus, & hieromnemon, item dicæophylax imperialis, atque ad examinandam remoti a patriarchatu Arſenii cauſſam cum tribus aliis ablegatus, eiusque reſtitutor, vir ſacra & profana eruditione inſignis, ſcripſit Hiſtoriam rerum conſtantinopolitanarum ſub Michaële & Andronico Palæologo ab anno 1258 usque ad annum 1308 libris XIII. libellum de Proceſſione Spiritus S. & multa in rhetoricis monumenta, ſtilo, ut Leo *Allatius* iudicat, accurato, atque ad antiquum ſuccum & ſanguinem efformato, quamvis ultra hiſtoriæ captum tumidiore, obiitque valde ſenex, &, ſi Lambecio fides habenda, fere centenarius. *Voſſ.* de Hiſtor gr. l. 2. c. 28. p. 154. *Neu* in Acceſſ. ad Relect. Wheari 176. *Konig* 597. *Cave* 514 I. Alb. *Fabricius* Biblioth. gr. l. VI. 458. Maximus & Pachymeres a *Caſaubono* Exercit. XVI. n. 150. p. 668. & n. 30. p. 449. vocantur interpretes Dionyſii eruditiſſimi ac diligentiſſimi.

XXXIII.

EPIPHANII opera, ex recenſione & verſione, cumque animadverſionibus Dionyſii *Petavii.* Coloniæ 1682. volum. II. Quæ editio auctior pariſina illa anni 1622. iuxta quam formata eſt: acceſſit enim ſub initium tomi I. vita Dionyſii Petavii, ab Henr. *Valeſio* oratione deſcripta, & ſub finem tomi II. appendices *Petavii* geminæ pro vindicandis Animadverſionibus, altera adverſus Maturinum *Simonium*, altera adverſus Cl. *Salmaſium.* Ceterum, ut ad contenta progrediamur, in tomo I. continetur Panarium (quæ vox ſignificat arculam medicamentorum. *Petavius* in dedicat. tomi I.) adverſus hæreſes 80. vel potius 77. inchoatum A. 374. rogatu *Acacii* & *Pauli* archimandritarum, & progreditur usque ad Meſſalianorum hæreſin ſub CONSTANTIO exortam; opus, *Photio* iudice, omnibus prioribus adverſus hæreſes lucubrationibus uberius atque utilius, in quo præter argumentum principale, multa veterum auctorum eccleſiaſticorum fragmenta notatu digna, & nusquam alibi occurrentia, nec exigua hiſtoriæ eccleſiaſticæ pars exhibetur. *Melanchthon* præfat. in Pauli Iovii Hiſtor. turc. quæ etiam extat in libro Selectar. declarationum p. 735. Ex hoc libro *Auguſtinum* feciſſe compendium in lib. de Hæreſib. ad Quodvultdeum, ſcribit quidem *Gerhardus* Patrol. 267. ſed *Petavius* id negat in de-

dicat.

dicat. tomi I. & in Append. contra Simonium, T. II. 26. Sumit autem bonus Epiphanius vocabulum *hæreſis* latiſſime, easque in duas dividit claſſes, nimirum in hæreſes ante & poſt Chriſtum natum, & *Cre-nius* Diſſert. II. de Furib. librar. §. 27. ex *Chytræi* Onomaſtico obſervat, Epiphanium totum fere primum Irenæi de hæreſibus librum de verbo ad verbum tranſcripſiſſe. In II. tomo 1) Ancoratus, interprete Dion. *Petavio*. p. 1. In quo traditur doctrina de Trinitate, & in primis de divinitate Chriſti, reſurrectione mortuorum, vita æterna, & iudicio extremo. *Ancoratus* autem dicitur hic liber, quia animum de vita ac ſalute ſolicitum inſtar anchoræ moderatur. Vide *Synopſ.* Ancorati p. 1. 2) Anacephalæoſis, eodem interprete. p. 126. Eſt breviſſima Panarii epitome. 3) De Menſuris & ponderibus, eodem interprete. p. 158. Vbi in gratiam eorum, qui cum fructu in Scriptura verſari cupiunt, explicatur, quid ſibi velint ſigna Bibliorum interpretationibus appoſita, nimirum * vel ·):(· aſteriſcus, ⸓ obelus, ÷ lemniſcus, ⸔ ſublemniſcus; deinde ponderum & menſurarum, ac numerorum S. Scripturæ ratio exponitur; denique hiſtoria traditur VI. interpretationum Bibliorum græcarum, videlicet LXX. virorum, Aquilæ, Symmachi, Theodotionis, & duarum anonymarum, quæ in doliis repertæ fuerunt, altera quidem Hierichunte poſt SEVERI Imp. perſecutionem, altera Nicopoli tempore ALEXANDRI, filii Mammeæ. Quem tamen librum Latinus *Latinius*, obſervante *Placcio* P. II. 254. præſuli ſalaminio abiudicat. 5) Phyſiologus, interprete Gonſalo *Ponce* cumque eiusdem notis. p. 189. Agit hic liber de cuiusque generis ferarum & volucrium natura, eſtque, *Ponceo* in dedicat. iudice, ob pias allegorias concionatoribus apprime utilis. *Cave* P. I. 131. ſuppoſititiis eum accenſet, ſed *Petavius* & *Ponceus*, pro genuino agnoſcunt. 4) De XII. gemmis, interprete Iola *Hierotarantino*. p. 225. Exponit gemmas pectoralis ſummi apud iudæos pontificis. Et quamvis eum in catalogum ſpuriorum referat *Caveus*, fatetur tamen, non deeſſe rationes, cur pro vero Epiphanii fœtu haberi queat. 5) Eiusdem libri Epitome, Fran. *Turriano* interprete. p. 233. Hæc autem, iuxta *Petavium* præfat. in T. II, non eſt Epiphanii, ſed *Anaſtaſii*. 6) De Vita prophetarum, interprete *Petavio* p. 235. Liber eſt ſuppoſititius, in quem tamen notas ſcripſit Ioach. *Zehnerus*. Hunc librum eſſe ψευδεπίγραφον, ait *Petavius* in præf. T. II, ſexcentæ mendaciorum

nugæ, quibus ille refertus eſt, perſuadent. Adde *Rivet.* Crit. S. l. 3. c. 30. & *Cocum* in Cenſura 241. 7) Orationes IIX. videlicet in feſto palmarum, de Chriſti ſepultura, reſurrectione, & aſſumtione, de laudibus Mariæ, & numerorum myſteriis, partim a *Petavio*, partim a Staniſl. *Phœnicio*, partim a Gonſalo *Ponce*, partim a Theod. *Peltano*, partim a Io. *Pico*, partim a Ger. *Voſſio* verſæ. p. 251. Sed Epiphanii nomine fucum faciunt, ſicut ex ſtilo, aliiſque indiciis cognoſci poteſt, ſuntque alterius vel Epiphanii, (plures enim fuere) vel auctoris. *Petavius* in excit. præfat. *Cave* 131. *Placc.* 254. 8) Epiſtola ad Ioannem hieroſolymitanum, *Hieronymo* interprete. p. 312. Hæc tantum latine extat, eſtque purgatoria: Epiphanius enim oſtendit, Ioannem ſibi iniuſte iraſci, quod diaconum in monaſterio quodam ordinaſſet, & quod ipſum Ioannem eiusque aſſeclas, ut *Origenem* Arii parentem agnoſcerent, vocarentque, hortatus eſſet. 9) Vita Epiphanii, incerto interprete. p. 318. Quæ quidem in pleriſque fabulæ quam hiſtoriæ propior, non tamen penitus reiicienda eſt, ex ſententia *Petavii* l. c. De hac editione vide ſis *Acta erudit.* A. 1682. 93. iiſque adde Præfat. Iac. *Thomaſii*, quam debemus induſtriæ fideique Io. G. *Krauſii* in Hiſtor. libror. (Bücher Hiſtorie) T. I. 262. in qua de variis operum Epiphanii editionibus, & quibusdam eius ſcriptis diſſeritur. Iam errores, qui Epiphanio tribuuntur, notare ordo iubet.

Tomo I. 123. De Chriſto *certo illud affirmare nequeo*, utrum Nazoræi, Cerinthi, vel Merinthi impietate illa decepti, ſimplicem illum hominem aſſeverent, an, uti ſe ſe res habet, per Spiritum S. de Maria virgine genitum eſſe fateantur.	Evincit id ſufficienter *doctrina apoſtolorum, qua imbuti erant.* Et *Hieronymus* refert, *eos euangelio Matthæi uſos eſſe:* Matthæus autem de conceptione ac nativitate Ieſu ſancte ſcripſit. Ier. *Felbinger* Demonſtrat. chriſt. 127.
P. 148. Olearius, idemque veſtium cuſtos, Ioanni reſpondit, *Ebionem* intus eſſe.	Dicere debebat, *Cerinthum. Cren.* Animadv. P. XVI. 226.
P. 362. De quo *&* *Callimachus.*	Sed non iisdem verbis, quibus *Epimenides* utitur de Cretenſibus. Dan. *Heinſius* in H. L. *Schurzfleiſchii* Actis liter. p. 36.

Debue-

P. 704. Chanaan præter alios filios genuit *Philiſtæum.*	Debuerat ſcribere, *Hamathæum*, Sam. *Bochart.* in Phaleg l. 4. c. 36. p. 307.
P. 717. Meletius ſchiſmate eccleſiam diſcidit, ita tamen, ut *fidem nulla ex parte mutaret.*	Aliter narrant *Socrates* l. 1. H. E. c. 3. & *Theodoretus* l. 1. c. 9.
P. 720. Arii dogma *poſt eius mortem* damnatum.	Arium non tantum Concilii nicæni tempore, ſed etiam poſt illud usque ad penultimum CONSTANTINI annum in vivis fuiſſe, ex *Socrate* l. 1. c. 25. & *Rufino* l. 1. c. 13. conſtat.
Pag. 822. Audiani ex *Apoſtolorum Conſtitutione* (τὴν τῶν Αποςολων διαταξιν) autoritatem accommodant. — Etenim *Apoſtoli in illa Conſtitutione* ita definiunt.	Conſtitutiones iſtæ dicantur, licet, *apoſtolicæ*, ſed ipſorum non ſunt apoſtolorum. De quibus vide huius operis pag. 45. *Dallæum* de Pſeudepigraph. apoſtolor. lib. 3. & alios.
P. 1105. verbum *απολυειν* a *Petavio* per miſſionem populi transfertur.	Sed *απολυειν* hic idem eſt, ac *επιλυειν*, & ſignificat *actum ſolvendi ieiunii.* Dan. *Heinſius* in H. L. Schurzfleiſchii Actis literar. p. 37.

Plura cum S. Epiphanii, tum eius doctiſſimi interpretis σφαλματα qui noſcere cupit, evolvat modo allegatum *Schurzfleiſchii* librum p. 36. & ſeqq.

Epiphanius, natus in ignobili Palæſtinæ loco, Beſauducen dicto, ad Eleutheropolin, e parentibus agricolis, dubium an ebræis, (*Hottinger.* Theſaur. philolog. 14) & transacta iuventute cum Hilarione, Heſychio aliisque in vita monaſtica, factus eſt epiſcopus Conſtantiæ ſeu Salaminæ in Cypro inſula, ob mediocrem cognitionem linguæ ebraicæ, ſyriacæ, ægyptiacæ, græcæ & latinæ vocatus ab Hieronymo πενταγλωττος, vir multæ eruditionis & lectionis, ſed acumine iudicii in rebus diſcernendis exiguo, atque ita ſimplex, & ex ſimplicitate præpoſtero interdum flagrans zelo, præcipue contra Origenem, & Ioannem chryſoſtomum, Ioannemque hieroſolymitanum, quos durius inclementiusque tractavit, cum

Hiero-

Hieronymo & Theophilo alexandrino faciens, atque adeo Chryſoſtomo communionem denegans. Hac animi commotione, atque hoc propoſito CPli abiit, in navi, qua domum repetebat, animam exhalans A. 402. ætatis 95. epiſcopatus 34. Ipſe Chryſoſtomo CPli dixiſſe fertur: *Spero te non moriturum epiſcopum*; Chryſoſtomus autem illi: *Spero te non rediturum in patriam.* Vtrique evenit iuxta vaticinium, aut potius imprecationem: nam Chryſoſtomus in exilio mortuus eſt, & Epiphanius in itinere. *König* 276. *Cave* 130. *Olearius* P. I. 224. Dan. *Heinſius* in Schurzfleiſchii Actis liter. 34. I. Alb. *Fabricius* B. gr. l. VII. 416. *Du Pin* T. 2. 301. *Caſaubon.* Exercit. xv. n. 7. & xvi. n. 120. *Blount* 239. G. *Arnold* l. 2. 3. & 4. Defenditur autem a P. *Alff* in apol. pro B. V. Maria P. II. 194. Effigies, quæ ſub nomine Athanaſii præſenti operi præfigitur, non eſt eius, ſed alterius cuiusdam, indicante *Schurzfleiſchio* in Actis literar. p. 34. Stilus eius omnis elegantiæ & ſublimitatis expers eſt, immo ſimplex, humilis & abiectus, aſper ac ruſticus, abſque ſerie & connexione.

Conſalus, ſive Gonſalus *Ponce*, de Leon, hiſpanus, ſcripſit contra Leonh. Waramundum in cauſa colonienſi, Romæ 1585.

Fran. *Turrianus*, legionenſis, S. I. vir græce doctus, & in antiquitate plurimum verſatus, ad hæc etiam probus, ſed temporum mire ignarus, nec bonus criticus, quin &, ſi *Dallæo* credendum, quisquiliarum & fabularum avidiſſimus, multa græcorum theologorum ſcripta in lucem protraxit, ipſe etiam ſcripſit contra Centuriatores magdeburgenſes, Andr. Volanum, Boquinum & Sadaëlem, item de Hierarchicis ordinationibus miniſtrorum eccleſiæ catholicæ, de Votis monaſticis, de Iuſtificatione & electione, de Euchariſtia, obiitque Romæ in Schola ieſuitica A. 1584. paulo minor octogenario. *Kœnig* 822. *Magirus* 784. *Blount* 681. *Blondellus* præfat. in Pſeudo-Iſidor. & Turrianum vapulant. *Perroniana* 378. G. *Calixt.* Reſp. ad Hülſemanni M. Muſt. Yyy 3. *Baron.* Annal. ad A. C. 266. n. 1. *Caſaubonus* Exercit. XIII. 243. Io. *Pearſon* Vindic. epp. Ignatii c. 5. p. 252.

Anaſtaſius, romanus, presbyter, & bibliothecarius pontificius, probe diſtinguendus ab Anaſtaſio Cardinale, utriusque peritus linguæ, qui multa Græcorum ſcripta in latinum, rudi quidem ſtilo, ſed fideliter tranſtulit, ſuo autem Marte dedit Acta concilii CPtani, ſive, ut non nulli agnoſcunt & vocant, generalis IIX, A. 869.

ha-

habiti, ſi non integra, quia iam græce exarata erant, tamen bonam eorum partem: Collectanea de iis, quæ ſpectant ad hiſtoriam Monotheletarum: & Hiſtoriam roman. Pontificum (quam quidem *Blondellus* ab alio formatam, ab Anaſtaſio autem interpolatam eſſe iudicat) vitam, ſi *Baronii* relationi fides eſt habenda, produxit usque ad A. 886. *Kœnig* 35. *Blourt* 35. *Olear.* P. I. 45. *Cave* P. I. 392. Caſp. *Sagittar.* Introduct. in Hiſt. eccl. 652. *Neu* in Acceſſ. ad Relect. Wheari 284. ac nota, editionem Vitarum PP. roman. moguntinam eſſe caſtratam. *Bæcler* Bibliograph. crit. 429. *Neu* 286.

Ioannes *Picus*, in ſenatu pariſienſi claſſium inquiſitoriarum præſes, a Io. Pico Mirandulæ Comite diſtinguendus, floruit ſec. XVI. atque e græco in latinum Macarii, Hippolyti, Theodoreti, & Marci eremitæ quædam tranſtulit. *Friſius* in Epit. Bibl. geſner. 485. Io. *Moller* de Homon. 711.

Ger. *Voſſius*, germanice Voskens, borchlonio-eburo, theol. doctor, protonotarius apoſtolicus, & præpoſitus tongrenſis, aliquot Patrum ſcripta edidit, Romæ animam exhalans A. 1609. *Kœnig* 856. *Moller* de Homon. 729. *Crenius* Animadverſ. P. XIIX. 90. *Lambecius* eum vocat ſimium Ambroſii camaldulenſis, notante *Crenio* diſſert. I. de Furib. librar. p. 116. cavendumque eſt, ne hic noſter confundatur cum Gerhardo Voſſio iuniore, Gerhardi Ioannis filio.

XXXIV.

IOANNIS Chryſoſtomi Opera omnia, græce & latine, ſecundum editionem Fran. *Ducæi* pariſinam de A. 1619. ſicut hæc iuxta græcam Henr. *Savilii* etonenſem anni 1613. Francofurti ad Moenum 1698. volum. V. De aliis editionibus videantur *Cave*, *Du Pin*, *Olearius*, & Richard. *Simon* in Epp. ſelect. ep. VIII. & IX. Novæ operam dat P. Bernardus *de Montfaucon*. Sunt diſtributa in XII. tomos, quorum VI. priores opuſcula eius varia, VI. poſteriores in N. Tti libros homilias complectuntur. Nimirum Tomo I. volum. I. continentur 1) ad populum antiochenum Homiliæ XXI. *Bernardo* brixiano interprete. p. 1. Habitæ A. 388. eisque in aliis editionibus ſubiunguntur aliæ 59. eodem titulo inſignitæ, ſed quæ nihil aliud ſunt, quam centones ex variis auctoris huius operibus petiti. 2) De ſimultate ſive ira, Pet. *Nannio* interprete p. 246. 3) de

obſervatione noviluniorum, Io. *Checo* interprete. p. 262. 4) de Chriſti baptiſmo. p. 274. 5) de diabolo tentatore. p. 284 6) V. de incomprehenſibili Dei natura, Theod. *Gaza* interprete, p. 291. Antiochiæ habitæ. 7) de B. Philogonio, Deſ. *Eraſmo* interprete. 350. 8) de Conſubſtantiali, *Ducæo* interprete. p. 358. 9) de petitione filiorum Zebedæi *Matth.* 20, 21. p. 371. 10) VI. aduerſus iudæos, Dav. *Hœſchelio* interprete. p. 383. Scriptæ a Chryſoſtomo, dum erat presbyter. Et primam illarum ei abiudicat *Savilius.* 11) de SS. Iuventino & Maximo. p. 483. 12) de S. *Pelagia* virgine. p. 490. 13) In S. *Ignatium*, Pet. Fran. *Zino* interprete. p. 495. 14) de S. *Romano* martyre. p. 506. 15) de nativitate Maccabæorum. p. 514. 16) de S. *Meletio* antiocheno. p. 522. anno 386. habita. 17) de S. *Luciano* martyre. p. 527. 18) de S. *Iuliano* martyre. p. 534. Antiochiæ habita. 19) de SS. Maccabæis II. aliæ. p. 550. Omnes tres huius argumenti homiliæ recitatæ fuerunt Antiochiæ, tertia autem non niſi excerptum quoddam eſt. 20) de SS. *Bernice* & *Prosdoce.* p. 557. 21) de S. *Euſtathio* antiocheno. p. 570. 22) VI. de pœnitentia, Lælio *Tifernate* interprete. p. 578. quarum prima *Savilio* videtur Antiochiæ habita, ultima Conſtantinopoli. 23) de S. *Babyla* martyre. 639. 24) Contra gentiles, ſeu de Vita Babylæ liber, Germano *Brixio* interprete. p. 646. Hactenus Homiliæ a Chryſoſtomo, (verba hæc reperies p. 695) cum presbyter eſſet, ad populum antiochenum habitæ: quibus ſubiunctus eſt liber contra gentiles, in eiusdem populi gratiam ſcriptus. 25) Contra Anomœos, homilia CPli habita, de incomprehenſibili Dei natura, & quod N. T. veteri conſonet, atque in eos, qui divinis non interſunt Miſſis, ſermo ſextus. p. 695. 26) Catecheſis ad illuminandos. p. 704. 27) de fato & providentia Dei VI. p. 714. quæ *Ducæo* videntur eſſe fragmenta, non integræ homiliæ, ſed *Savilius* eſſe negat. Sexta autem nihil habet de providentia, & de ingluvie inſcribenda eſt. 28) II. de precatione, Pomp. *Brunello* interprete. p. 743. 29) In SS *Petrum* & *Eliam.* p. 755. 30) In martyres ægyptios. p. 767. 31) de S. *Phoca* martyre. p. 774. 32) de S. *Thecla* virgine. p. 780. 33) de S. *Barlaam* martyre. p. 783. 34) de SS. martyribus totius orbis. p. 790. 35) de beato *Abraham.* p. 798. 36) de anathemate. p. 802. Quam *Haleſius* putat non eſſe Chryſoſtomi. p. 802. 37) de pœnitentia & continentia. p. 807. Eſt epiſtola parænetica ad virginem quandam Deo dicatam, eiusque auctor dicitur eſſe *Ioannes Neſteuta.*

To-

Digitized by Google

Tomo II. 1) Homiliæ LXVII. in Geneſin. p. 1. 2) In *Geneſ.* I, 1. *In principio creavit Deus cœlum & terram.* p. 725. ubi pariter agit de ieiunio & eleemoſyna : habita enim eſt Antiochiæ in principio quadrageſimæ. 3) In *Gen.* I, 26. *Faciamus hominem ad imag. & ſimilitud. noſtram.* p. 732. 4) In *Gen.* I, 28. *Dominamini in piſces* &c. p. 736. 5) de peccato, quod tria ſervitutis genera induxit, & in negligentes auditores p. 740. 6) Nos non puniri propter Adamum, & adverſus eos, qui pauperes prætereunt. p. 747. 7) de ligno ſcientiæ boni & mali, *Gen.* 2, 17. p. 754. Vbi & de ieiunio dicitur, eorumque meditatione, quæ in eccleſia dicuntur. 8) quare *lignum ſcientiæ boni & mali* vocetur lignum illud, & quid ſit, *Hodie mecum eris in paradiſo*, Luc. 23, 43. p. 758. 9) In conventum epiſcoporum, & de mandato, quod traditum eſt Adamo, *Gen.* 2, 17. p. 769. 10) quod oporteat ſemper ieiunii meminiſſe, & de *Anna*, 1. *Reg.* (*Sam.*) 1, 2. p. 784. 11) de fide & *Anna*, & de honore ſacerdotibus deferendo, deque precibus in fine prandii, Deſid. *Eraſmo* interprete. p. 797. 12) de *Anna* & *Samuelis* educatione 1. *Reg.* (*Sam*) 1, 22. p. 809. 13) de precatione *Annæ*, & quod in omni loco precari oporteat. 1. *Reg.* (*Sam.*) 2, 1. p. 818. 14) Adverſus eos, qui in feſtis tantum conveniunt: itemque de Anna, l. c. p. 830. 15) de *Davide* & *Saule*, deque tolerantia. 1. *Reg.* (*Sam*) 17, 26. p. 839. 16) *Davidem* maius tropæum erexiſſe parcendo Sauli, quam Goliathum occidendo. c. 24, 7. p. 852. 17) quod periculoſum ſit adire ſpectacula, & de tolerantia *Davidis*, l. c. p. 862. 18) Omnia vitia ab ignavia originem ducere, neque diabolum homini nocere poſſe, Io. Iac. *Beurero* interprete. p. 879.

Tomo III. volum. II. 1) Expoſitio in pſalmum 3. p. 3. in pſalmum 4. ſqq. usque ad 12. in pſalmum 41. ſqq. usque ad 49. in pſalmum 108. ſqq. usque ad 150. Atque hosce pſalmos expoſuit Chryſoſtomus, dum erat presbyter Antiochiæ. p. 8. 145. 269. Expoſitio autem in Pſ. 100, 101, 102, 103, 104, 105, 106, 107, & 118. (101-119) maximam partem ex *Theodoriti* commentariis eſt decerpta. Ericum *Benzelium*, Erici filium, aliquot genuinas Chryſoſtomi homilias, ex codicibus MSS. baroccianis deſcriptas, inter quas una eſt in Pſ. 115, publico donaturum, memoratur in Extract. menſtr. A. 1702. m. Ian. p. 73. 2) Commentarius in Eſaiam, Godef. *Tilmanno* interprete, etiam a Chryſoſtomo presbytero ſcriptus. p. 554. 3) in lo-

Digitized by Google

locum pſalmi 44, (45) 10. *Aſtitit regina a dextris tuis.* p. 666. Ex occaſione *Eutropii*, eccleſia abrepti, ſermo CPli habitus. 4) in locum pſalmi 48, (49) 17. *Ne timueris, cum dives factus* p. 689. 5 in eundem locum, & de eleemoſyna. p. 705. Sermo CPli habitus. 6) in locum pſalmi 145, (146) 1. *Lauda, anima mea*, Pet. *Nannio* interprete. p. 712. 7) in locum *Eſaiæ* 6, 1. *Vidi Dominum ſedentem*, homiliæ V. *Eraſmo* interprete. p. 723. Antiochiæ habitæ. 8) in Seraphim, Front. *Ducæo* interprete. p. 768. 9) de verbis *Eſaiæ* 45, 7. *Ego Dominus feci lumen.* p. 776. 10) in locum *Ierem.* 10, 23. p. 798. 11) de prophetiarum obſcuritate. p. 799. de V. Tti obſcuritate. p. 813. 12) in pſalmum 13. (14) p. 833. 13) in pſalmum 50. (51) homiliæ II. p. 846. 14) in pſalmum 51. (52) p. 884. 15) in pſalmum 95. (96) p. 892. 16) in pſalmum 100. (101) Iac. *Billio* interprete. p. 906.

Tomo IV. 1) de ſacerdotio libri VI. p 1. Quos in eremo maximam partem elaboratos, poſtea diaconus factus, ad umbilicum perduxit. *Cave* 179. 2) de compunctione cordis libri II. p. 98. Scripti ſi non a lectore, ſaltem diacono. 3) de prouidentia Dei libri III. p. 137. Scripti inter annos 381. & 386. 4) quod regulares fœminæ viris cohabitare non debeant. p. 225. 5) in eos, qui ſorores adoptivas habent. p. 247. *Socrates* l. 6. c. 3. hunc & præcedentem tractatum a Chryſoſtomo diacono ſcriptos eſſe teſtatur, *Savilius* autem in principium ſuſcepti archiepiſcopatus reiicit. 6) de virginitate, Ioanne *Livineio* interprete. p. 275. Chryſoſtomi presbyteri opus. 7) Adverſus vitæ monaſticæ vituperatores libri III. *Ambroſio* camaldulenſi interprete. p. 335. 8) Comparatio regis & monachi. p. 449. 9) ad viduam iuniorem libri II. p. 456. Scripti, ut *Simeon* metaphraſtes teſtatur, antequam Chryſoſtomus factus eſſet diaconus. p. 469. 10) Ad *Eutropium* eunuchum ſermo. p. 481. anno 399. habitus, cum Eutropius plebem tumultuantem fugiens, apud altare ſacrum ſibi aſylum quæſiverat. 11) de pœnitentia homiliæ III. p. 487. 12) quod nemo lædatur niſi a ſe ipſo. p. 498. Hic liber paulo ante obitum fuit ſcriptus. 13) Liturgia ſive miſſa, *Eraſmo* interprete. p. 522. Quæ a G. *Wicelio* teutonicam in linguam converſa, atque edita fuit. Compoſita videtur in uſum CPtanæ eccleſiæ, ſed variis ſeculis varie pro cuiusque genio interpolata; communi tamen uſu apud Græcos hodieque retinetur. Verſio autem non eſt Eraſmi, iudice *Caveo* p. 179. Vid. etiam *Simon* de Cærim. & conſuetud. iud.

c. 18.

Digitized by Google

c. 18. p. 104. & Io. Alb. *Fabricius* Biblioth. gr. l. 6. p. 12. Optima eius editio exhibetur a Iac. *Goaro* in EuchoIog. Græcor. 14) Ad Theodorum lapſum Paræneſes II. p. 545. Eo fine ſcriptæ, ut *Theodorum*, Mopsveſtiæ poſtea epiſcopum, qui ſecularem vivendi rationem amplexus erat, & de uxore ducenda conſilium iniuerat, ad vitam aſceticam revocarent. Sed ordo earum eſt inverſus. *Cave* 180. 15) Quum presbyter eſſet deſignatus. p. 834. 16) Antequam iret in exilium. p. 842. 17) Poſt reditum ab exilio. p. 848. Scilicet, priore: atque hic ſermo ex tempore fuit recitatus anno 403. 18) Ad Innocentium, Papam romanum, Epiſtolæ II. p. 593. 19) Ad epiſcopos in carcere incluſos epiſtola. p. 600. 20) Epiſtolæ CLXXIII. ad Olympiadem & diverſos alios. p. 603. Illæ quidem ad Olympiadem ſcriptæ ſunt in exilio, nec minus ceteræ maximam partem. 21) Ad diverſos Epiſtolæ LXIX. p. 794. quinque autem penultimæ *Conſtantii* presbyteri ſunt. *Cave* 180. De *epiſtola Chryſoſtomi ad Caſarium* monachum, in qua agitur de S. cœna, & quidem contra dogma transſubſtantiationis, quæque poſt Petrum martyrem *Vermilium*, qui eius duntaxat particulam in medium protulit, diverſis vicibus edita fuit ab Emerico *Bigotio*, Steph. *le Moyne*, Eduar. *Stillingfleeto*, Iac. *Baſnagio*, & Io. *Harduino*. Vide, ſi lubet, diſputationem Chriſtiani Guil. *Vollandi*, ſub Wernsdorfii moderamine habitam Vitembergæ A. 1712. atque inſcriptam Vindiciæ Chryſoſtomi contra Io. *Harduinum*: dictam enim epiſtolam omnino Chryſoſtomi eſſe, & doctrinæ transſubſtantiationis plane adverſari probare contendit.

Tomo V. volum. III. 1) In parabolam X. millium debitoris, *Matth*. 18, 24. Pet. *Nannio* interprete. p. 1. Habita, cum a morbo convaluiſſet. 2) De *Lazaro* mendico homiliæ IV. *Luc*. 16, 20. p. 18. Prima recitata eſt Antiochiæ. 3) In terræ motum, & de divite ac Lazaro, *Luc*. 16, 19. 20. Front. *Duceo* interprete. p. 87. 4) In paralyticum 38. annorum, *Io*. 5, 5. Flam. *Nobilio* interprete. p. 102. 5) In illud, *Pater, ſi eſt poſſibile*, Matth. 26, 39. *Duceo* interprete. p 114. 6) In illud, *Intrate per anguſtam portam*, *Matth* 7, 13. p. 125. 7) In illud *Anguſta eſt porta*, c. 7, 14. Achille *Statio* interprete. p. 137. 8) De *Lazaro* quatriduano, *Ioh*. 11, 32. p. 146. 9) In inſcriptionem Actorum apoſt. p. 151. Antiochiæ habita. 10) De ferendis reprehenſionibus, & in Acta. p. 164. 11) De gloria in tribulationibus, *Rom*. 5, 3. p. 180.

Digitized by Google

12) *Diligentibus Deum* omnia cooperari, *Rom.* 8, 28. p. 191. 13) in illud, *Si eſurierit inimicus tuus*, *Rom.* 12, 20. p. 199. 14) in illud, *Salutate Priſcillam*, *Rom.* 16, 3. p. 216. 15) in eundem locum, & de colendis ſacerdotibus, Sig. *Gelenio* interprete p. 226. 16) in illud, *Propter fornicationem autem*, 1. *Cor.* 7, 2. p. 240. 17) de libello repudii, c. eod. 39. p. 251. 18) in illud, *Nolo vos ignorare fratres*, c. 10, 1. p. 260. 19) de hæreſibus, c. 11, 19. p. 273. 20) de collatione in ſanctos, c. 16, 19. p. 283. 21) III. de verbis, *Habentes eundem Spiritum*, 2. *Cor.* 4, 13. p. 296. 22) in illud, *Vtinam ſuſtineretis*, c. 11, 1. p. 332. 23) in illud, *Siue occaſione, ſiue veritate*, *Phil.* 1, 18. p. 343. 24) Laus *Maximi*, & quales ducendæ ſint uxores. p. 355. 25) de dormientibus, 1. *Theſſ.* 4, 13. Iac. *Goupylo* interprete. p. 375. 26) de viduæ electione 1. *Tim.* 5, 9. p. 387. 27) de proditione Iudæ & paſchate, *Io.* 13, 21. p. 406. 28) in Chriſti natalem, P. *Pantino* interprete, p. 417. 29) in cœmeterii appellationem & crucem, Iac. *Gretſero* interprete. p. 431. 30) de cruce & confeſſione latronis, *Luc.* 23, 40. p. 437. 31) de reſurrectione Chriſti. p. 467. Vbi & contra ebrietatem diſſeritur. 33) de aſcenſione Chriſti, Ger. *Voſſio* interprete. p. 477. 34) II. de S. pentecoſte. p. 488. 35) de pœnitentia & euchariſtia. p. 508. 36) VII. de laudibus S. *Pauli*, *Aniano* interprete. p. 512. 37) de manſuetudine p. 558. 38) in illud: *Paulus ſpirans minas*, *Act.* 9, 1 p. 564. 39) de inſcriptione altaris, *Act.* 17, 23. p. 576. 40) de vocatione *Pauli*, 1. *Cor.* 1, 1. 41) de utilitate lectionis ſcripturæ, Pſ. 1, 1. p. 602. 42) de precibus Chriſti in miraculis. p. 615. 43) in eos, qui paſcha ieiunant. p. 628. 44) in eos, qui cum iudæis ieiunant. p. 640. 45) in *Eliam* & viduam, 3. (1) *Reg.* 17, 9. p. 646. ubi & de eleemoſyna tractatur. 46) de futuræ vitæ deliciis p. 657. 47) Non eſſe deſperandum. p. 664. 48) Peccata fratrum non evulganda. p. 672. 49) Non eſſe ad gratiam concionandum. p. 684. 50) de SS. martyribus. p. 695. 51) dæmones non gubernare mundum. p. 699. 52) in illud: *In faciem ei reſtiti*, *Gal.* 2, 12. p. 715. 53) liber de deitate Chriſti p. 735. 54) liber de ſcandalo. p. 766. 55) in paralyticum per tectum demiſſum *Mar.* 2, 3. p. 824. 56) Cur in pentecoſte legantur Acta. p. 841. 57) de mutatione nominum in Scriptura. p. 860. 58) In SS. martyres. p. 870. 59) de S. *Baſſo* martyre. p. 879. 60) de S. *Droſida* martyre p. 885. 61) de pœnitentia & mœſtitia *Achabi*, 3. (1) *Reg.* 21, 19. p. 897. 62) II. poſt reditum ab exilio. p. 905.

Tomo

Tomo VI. 1) Vnum & eundem eſſe legislatorem utriusque teſtamenti. p 1. Hoc & reliqua huius Tomi opuſcula *Ducæo* videntur eſſe ſive dubia, ſive ſpuria; ſed *Pearſon* in Vindic. Ignat. c. 9. p. 311. illud pro genuino agnoſcit. 2) In illud *Gen.* 1, 31. *Vidit Deus cuncta.* p. 16. 3) De propoſito creandi hominem, c. 1, 26. p. 21. 4) In dictum Abrahami, *Pone manum tuam*, *Gen.* 24, 10. p. 26. 5) de ſerpente æneo, *Num.* 21, 8. p. 44. 6) IV. de iuſto & beato *Iob.* c. 1, 22 p. 67. 7) in illud *Pſ.* 38. (37) 7. *Verum tamen fruſtra conturbatur*, Ioach. *Perionio* interprete. p. 98. 8) in Pſ. 83, (84) 4. *Et turtur nidum.* p. 104. 9) in *Eliam* prophetam. p. 109. 10) de *Ioſeph*, & caſtitate, *Gen.* 39, 8. p. 116. 11) de *Suſanna*, *Dan.* 13, 2. p. 120. 12) de 3 pueris, *Dan.* 3. p. 126. 13) de ſigillis librorum, *Eſ.* 46, 3. p. 134. *Severiani* eſt. 14) de fide & lege naturæ. p. 149. 15) de S. & individua Trinitate. p. 160. 16) de S. & adorando Spiritu. p. 173. 17) de Pentecoſte. p. 192. Habita temporibus ARCADII Imp. 18) in illud *Io.* 1, 1. *In principio erat Verbum.* p. 199. 19) de occurſu & *Simeone*, *Luc.* 2, 21. 25. p. 207. 20) de S. theophania Domini, Ach. *Statio* interprete. p. 213. 21) de nuptiis, *Io.* 2, 1. & contra iudæos. p. 217. 22) de Chriſto paſtore & ove, *Io* 10, 11. p. 224. 23) In decollationem S. Ioannis baptiſtæ, & de herodiade, *Matth.* 14, 3. p. 235. Chryſoſtomo hanc abiudicat *Photius* propter ſtili diſcrepantiam & humilitatem. 24) In venerabilem crucem, & de transgreſſione *Adami*. p. 241. 25) In dimiſſionem cananææ, *Matth.* 15, 23. p. 248. Ex eius parte poſteriore excerpta eſt homilia VII. inter eas, quæ in diverſos habitæ, Origeni, quanquam falſo, adſcribuntur. At genuinam tamen eſſe, affirmat *Savilius*. 26) In præcurſorem Domini, *Ioannem* baptiſtam, Pet. *Pantino* interprete. p. 261. 27) In SS. apoſtolos *Petrum* & *Paulum*. p. 263. 28) In SS. XII. apoſtolos. p. 268. 29) In S. *Thomam* apoſtolum. p. 271. Chryſoſtomi non eſſe, ſtilus arguit. 30) In S. *Stephanum* protomartyrem. p. 274. 31) In illud 2. *Cor.* 12, 9. *Sufficiat tibi gratia mea.* p. 284. 32) In annuntiationem S. deiparæ virginis, *Luc.* 1, 26. p. 298. Habetur etiam inter opera *Gregorii* neocæſar. 33) In ſancta theophania & S. *Ioannem* baptiſtam. p. 302. 34) In parabolam de filio prodigo, *Luc.* 15, 11. p. 308. 35) In ſaltationem *herodiadis*, & decollationem *Ioannis*, *Matth.* 14, 3. p. 317. 36) In illud, *Io.* 11, 47. *Collegerunt iudai concilium.* p. 312 37) In X. virgines, *Matth* 25, 1. p. 325. 38) In meretricem & phariſæum, *Luc.* 7, 37. p. 331. 39) In ſancta

ſancta & magna paraſceve. p. 336. 40) In ſamaritanam, *Io.* 4, 7. p. 342. 41) de cœco a nativitate, *Io.* 9, 1. p. 354. 42) In triduanam Chriſti reſurrectionem. p. 370. 43) IV. In aſcenſionem Domini, Ger. *Voſſio* interprete. p. 375. 44) Bonum Chriſti diſcipulum benignum eſſe. p. 392. 45) de pſeudoprophetis & falſis doctoribus, *Matth.* 7, 15. Habetur etiam inter *Ephrami* opera, a Ger. *Voſſio* edita, atque hic eam tribuit *Ioanni Neſteuta*, in quo conſentiunt *Vſſerius*, & *Pearſon* Vindic. Ignat. c. 10. p. 313. atque *Tentzel.* in T. I. Supplem. Act. erud. 17. 46) de circo. p. 406. 47) in Salvatoris noſtri natiuitatem, *Matth.* 1, 18. p. 413. Videtur eo genuinum opus Chryſoſtomi, quod ſub iſtius nomine citatur a *Cyrillo* alexandrino lib. ad Reginas, Concil. tomo III. col. 118. 48) in illud *Luca* 2, 1. *Exiit edictum a Caeſare.* p. 421. 49) in oraculum *Zacharia* redditum, *Luc.* 1, 11. p. 429. 50) in conceptionem *Ioannis* bapt. Luc. 1, 24. p. 432. 51) in illud *Matth.* 6, 1. *Attendite, ne eleemoſynam.* p. 438. 52) de fugienda ſimulata ſpecie, *Matth.* 7, 15. p. 443. 53) de muliere, quæ fluxum ſanguinis paſſa, c. 9, 20. p. 447. 54) de patrefamilias & operariis, c. 20, 1. p. 451. 55) in parabolam de ficu arefacta, c. 21, 19. p. 463. 56) de phariſæo & convivio, *Luc.* 11, 37. p. 469. 57) de *Lazaro* & divite, *Luc* 16, 19. p. 472. 58) de publicano & phariſæo, c. 18, 10. p. 476. 59) de cœco & *Zachao*, ꝟ. 35. p. 482. 60) Religioſum facetiis uti non debere. p. 496. 61) de S. *Ioanne* theologo. p. 503. 62) de adoratione S. crucis, Ioach. *Perionio* interprete. p. 511. Refertur inter ſuppoſititia. 63) de confeſſione S. crucis, p. 518. 64) de negatione *Petri*, *Matth.* 26, 34. 70. p. 523. *Ducao* interpr. Ex homilia III. in illud: *Habentes eundem ſpiritum.* 65) de ieiunio & eleemoſyna. p. 531. 66) In ſacrum paſcha. p. 535. 67) In ſecundum Domini aduentum. 543. Petita fere tota eſt ex homiliis in epiſtolam ad Romanos. 68) XXXI. Florilegia ex homiliis Chryſoſtomi decerpta per *Theodorum* magiſtrum, ſi quidem *Theodori* nomen, hom. XXX. præfixum, ad reliquas omnes referendum eſt, interprete Balth. *Etzelio* p. 557. In editione ſaviliana habentur XLVIII. Sed harum quam plurimæ ex iis, quæ ſuperſunt, homiliis excerpta ſunt, atque adeo iam alibi reperiuntur. *Cave* 182.

In Tomo I. Commentarior. in N. T. volum. IV. homiliæ XCI. in Matthæum, a presbytero Antiochiæ habitæ. In editione ſaviliana ſunt XC. nam diverſæ in binis editionibus homiliarum & opuſculo-

ſculorum diviſiones aliquando inveniuntur, unde numerorum differentia oritur. Sic & diſcrimen interdum in titulis opuſculorum reperitur, e. g. homiliæ, quæ in editione ſaviliana titulum habent, *In Oziam*, in morelliana dicuntur, *In illud Ieſaia, Vidi Dominum*. *Cave* l. c. Tomo II. 1) Operis imperfecti in *Matthaeum* homiliæ LIV. latine; ſeu potius commentarius in homilias perperam diſtributus. p. 1. Non eſt Chryſoſtomi, ſed latini cuiusdam ſcriptoris, eiusque arianizantis, certe a quibusdam ex grege Arii, Montani, Manetis &c. interpolatus: opus quidem non ineruditum, & Chryſoſtomi ævo ſcriptum, ſed quod græcum non habet auctorem: unde mirum eſt, qui ſcribere potuerit *Poſſevinus*, illud non ſemel græce & latine prodiiſſe. *Voſſ.* Hiſtor. pelag. l. 6. th. 13. *Placc.* 177. 2) In euangelium *Ioannis*, homiliæ LXXXVII. A presbytero Antiochiæ habitæ. Vbi notandum, homilias 62. 63. 64. ſeu, ut alii numerant, 61. 62. 63. easdem eſſe cum V. poſtremis homiliis inter opera *Baſilii* ſeleucienſis, edita græce a *Commelino* A. 1596. & ſub illius nomine a Theodoro *Peltano* verſas haberi in Bibliotheca patrum. 3) *Andreæ*, archiepiſcopi Cæſareæ Cappadociæ, Commentarii in Apocal. Ioannis. p. 573. Tomo III. In Acta apoſtolorum homiliæ LV. In quibus plurima confuſo admodum atque abrupto ordine diſpoſita deprehenduntur; ideoque liber iſte *Savilio* iam ab antiquis temporibus duas diverſas editiones videtur ſortitus eſſe, quæ deinde in unum opus congeſtæ & commixtæ confuſionem induxerint. *Cave* 183. Tomo IV. volum. Vto, in epiſtolam Pauli ad Romanos homiliæ XXXII. Tomo V. 1) in epiſtolas ad Corinth. homiliæ, & in priorem quidem XLIV. in poſteriorem XXX. 2) in epiſt. ad Galat. commentarius perpetuus. p. 755. 3) in epiſt. ad Epheſios homiliæ XXIV. Tomo VI. Homiliæ in reliquas epiſtolas D. *Pauli*, comprehenſa ſimul epiſtola ad Ebræos. Vbi notandum, *Conſtantinum* ſeu *Conſtantium* presbyterum homilias in hanc epiſtolam, dum Antiochiæ habebantur, notis quibusdam & compendiis excepiſſe, & poſt mortem Chryſoſtomi edidiſſe. *Cave* P. II. 82.

Ioannes, cognomento *Chryſoſtomus*, antiochenus, *Libanii* ſophiſtæ, & *Andragathii* philoſophi diſcipulus, ad chriſtianam religionem converſus, a ſtudio cauſſarum forenſium, cui deſtinatus erat, ſeſe contulit ad culturam SS. literarum, in eaque doctores habuit *Diodorum* & *Carterium*, qui id temporis monaſteriis præſidebant: nam

in his ſolis tum docebantur SS. literæ, ac iuventus ad pietatem inſtituebatur, ſcholæque multis poſt ſæculis inventæ ſunt; monaſteria autem eo tempore, ut *Eraſmo* videtur in Vita Chryſoſtomi, erant Epiſcoporum ædes, in quas ſe recipiebant, qui popularibus negotiis nuntium remiſerant. Studiorum ſodalem habuit *Baſilium*, qui poſtea Magni adeptus eſt cognomen. A *Zenone*, epiſcopo antiocheno, creatus fuit lector, a *Meletio* diaconus, ab *Evagrio* ſacerdos ſeu presbyter. In quo munere ita inclaruit, ut mortuo Nectario, archiepiſcopo CPtano, communibus cleri populique ſuffragiis, conſentiente ARCADIO Imp. in eius locum A. 398. eligeretur ac vocaretur, ab aureo dicendi genere *Chryſoſtomus* appellatus. Quamvis autem illa in prouincia diligentiſſimum & vigilantiſſimum ſeſe exhiberet, odia tamen & perſecutiones cum cleri & aliorum epiſcoporum, tum politicorum aulæque cæſareæ, & in primis EVDOXIÆ auguſtæ evitare nequivit. Valde etiam ei infenſus fuit *Theophilus* alexandrinus, idemque *Epiphanium*, Cyri epiſcopum, ei reddidit hoſtem. Hinc bis depulſus fuit ab eccleſia, & in ſecundo exilio obiit, iuxta *Bellarminum* & *Cave*, anno 407. in villa regionis ponticæ, Comana dicta, ætatis 52. ſepultus in martyrio S. *Baſiliſci* prope Comana; ſed poſt XXX. annos oſſa eius ſolemni pompa CPlin translata ſunt, & in SS. apoſtolorum baſilica recondita. Fuit idea boni & diſerti concionatoris, ac merito dictus *Chryſoſtomus*, item acris & ignei doctoris, ut qui non tantum populi, ſed etiam cleri, imo & aulæ cæſareæ vitia libere perſtrinxit & taxavit. Equidem non nullis nimia videtur ſeveritate peccaſſe (*Thomaſ.* de Cautelis circa hiſt. eccl. 163.) at *Eraſmus* ab hoc cum vitio purgat & excuſat, oſtendens, ſeveritatem cum humanitate & manſuetudine coniunxiſſe. Dictio eius, *Photio* teſte, pura eſt ac ſplendida. Videantur, qui vitam eius deſcripſerunt, *Palladius*, *Georgius*, archiepiſcopus alexandrinus, LEO Imp. cognomento Sapiens, *Anonymus*, *Simeon* Metaphraſtes, *Eraſmus*, *Savilius*, & *Vſſerius* apud Caveum p. 188. & ſqq. Quibus adde Io. *Vincartum*, & duos *anonymos* apud *Wolfium* in Notis in Caſauboniana 230. *Kœnigium* 191. *Olear.* P. I. 377. I. Alb. *Fabricium* B. gr. I. 7. p. 553. *Blount* 276.

Io. *Checus*, cantabrigienſis, Argentinæ docuit græcas literas, tranſtulit e græco in latinum Demoſthenis Orationes, nec non adverſarias Demoſthenis & Aeſchinis, Euripidis & Sophoclis quædam,

Ioſephum, aliaque. Compoſuit qq. librum de linguæ græcæ pronunciatione, & obiit A. 1557. *Friſius* 420. *Kœnig* 186.

Theod. *Gaza* ſeu Gazinus, theſſalonicenſis, qui quidem ſe ipſe vocat CPtanum, nobili genere prognatus, AMVRATHE Græciam occupante in Italiam venit, ibique feliciter & latinas literas didicit, & græcas propagauit, multos auctores græcos in latinum, & quædam latina in græcum dexterrime transferens, ſtilo uſus minime affectato, ſed puro & facili; in tanta autem paupertate vixiſſe fertur, ut, niſi eum ad ſe vocaſſet Dux ferrarienſis, fame ipſi pereundum fuiſſet, usque dum in Magna Græcia, ubi ſacerdotium obtinuerat, ætatem abſolvit, ſtudiis & lectioni bonorum auctorum operam navans, tandemque Romæ obiit A. 1478. *Kœnig* 335. *Magirus* 379. *Blount* 473. *Giornale* Ven. T. XIX. 336. *Morhof* Polyh. I. 4. c. 6. n. 4. *Cren.* Methodor. T. I. 79. *Naudé* Apolog. pour les grands homm. 169.

Henr. *Savilius*, eques britannus, Inſpector collegii merton. oxonienſis, & præpoſitus etonenſis, in acad. cantabrigienſi mathematicam profeſſionem de ſuo inſtituit, prælectiones in Euclidem, & tractatum de Militia romana confecit, optimamque & accuratiſſimam cum tribus ſociis, *Boiſio*, *Haleſio*, & *Donnæo*, operum Chryſoſtomi editionem, quæ ipſi IIX. mille libris anglicanis conſtitit, Etonæ procuravit, anno 1621. æt. 72. ex hoc mundo decedens. *Kœnig* 726. *Blount* 925. Iſ. *Caſaubonus* in epp. p. 275. vocat excellentis ingenii & admirandæ eruditionis virum.

Fronto *Ducæus* (Du Duc) burdegalenſis, e patricia gente natus, S. I. & quidem, iuxta Ioſ. *Scaligerum* in Scaligeran. p. 132, honeſtiſſimus ieſuita, vir ingenii elegantia, iudicii ſoliditate, græcæ linguæ & antiquitatis notitia, inſignique ſapientia & modeſtia clarus, primum eloquentiæ, deinde ſacrarum literarum profeſſor, emiſit gallice Inventarium errorum, contradictionum, & falſarum citationum Phil. *Mornai*, ac reſponſionis ab hoc datæ Refutationem, & Bibliothecam græcorum patrum, multa SS. Patrum opera recenſuit ac notis illuſtravit, obiitque A. 1623. æt. 66. relig. 47. *Kœnig* 263. *Blount* 916. *Witte* Diar. biogr. T. 3. *Colomeſ.* 636. *Caſaub.* epp. p. 275. 708. *Cave* P. I. 14.

Pomp. (alias Hieronymus, fortaſſe poſt aſſumtam religionem) *Brunellus*, ſenenſis, S. I. corpore quidem puſillus, at virtute & eruditi-

ditione magnus, hebraice, græce & latine doctus, quas omnes linguas in gymnaſio rom. Soc. Ieſu multos annos magna cum laude docuit, adhæc in notandis animadvertendiſque vitiis, & inſtituendo docendoque prudentiſſimus, ideoque a multis, ipſo etiam Fulvio *Vrſino*, ſcriptorum ſuorum agnitus adhibitusque corrector & iudex, edidit Catenam in prophetam Ezechielem, Romæque depoſuit, quidquid mortale habebat, anno 1613. æt. 63. *Witte* Diar. biogr. K 3. *Kœnig* 137. Ian. Nic. *Erythreus* Pinacoth. P. II. 160.

Ioannes Neſteuta, archiepiſcopus CPtanus, produxit quædam græce ex canonico iure, Canones conciliorum, & opuſculum de vitiis, quod MS. extat in bibliotheca vindobonenſi.

Io. *Livineius*, nativitate tenera-mundanus, gandenſis autem dictus, quod Gandavi eſſet educatus, primum ſacerdos leodicenſis, deinde canonicus & cantor antverpianus, vir græce & latine doctiſſimus, *Theodori Studitæ* Catecheſes & alia e græco in latinum convertit, morboque apoplectico deceſſit A. 1599. æt. 52. Edidit etiam XII. veteres panegyriſtas cum notis. *Kœnig* 476. *Miræus* Elog. belg. 135.

Conſtantinus ſive *Conſtantius*, Epiſcopo antiocheno ab epiſtolis, deinde lector, poſtea diaconus, & denique presbyter antiochenus, (qui & epiſcopatus dignitatem nactus eſſet, niſi Porphyrius eam præripuiſſet) diſtinguendus tamen ab eo Conſtantio, qui relicta matre domoque ſua Cucuſum in Armeniam ad Chryſoſtomum exulem properavit, vir perſpicax, ſeverioris vitæ cultor, mitis, miſericors, longanimis, liberalis, ceterisque virtutibus expolitus, claruit A. 404. atque in voluntario exilio, quod coacto ſeu mandato præferebat, vitam hanc miſeram clauſit. *Cave* P. II. 82.

Balth. *Etzelius*, bremenſis, S. I. in collegio moguntino humaniorum, græcarum & orientalium literarum profeſſor celebris, ſimulque ſpiritualis coadiutor, e Syro vertit in latinum epiſtolam ſecundam *Petri*, 2. poſteriores *Ioannis*, epiſtolam *Iudæ*, & Apocalypſin, mundo huic valedicens A. 1648. æt. 81. *Witte* Diar. biogr. Yy. *Kœnig* 281.

Ambroſius, cognomento gentili *de Traverſariis*, natus in caſtello Porticus dicto, non procul Florentia, græcas literas didicit Venetiis ab *Emanuele Chryſolora*, ab ordine autem monachorum camaldulenſium, cui ſe mancipavit, vocatus eſt *Camaldulenſis*, in eoque aſcen-

aſcendit ad abbatis dignitatem, utriusque linguæ, quod illo tempore rarum erat, peritiſſimus, EVGENIO IV. & NICOLAO V. pontificibus ſummis maxime carus, a quibus etiam ad cardinalitiam promotus fuiſſet dignitatem, niſi vel ipſius voluntas, vel fatum reſtitiſſet. Ab EVGENIO ad Concilium baſileenſe miſſus, partes ibi pontificias curavit & tutatus eſt,nec minus ſedulam in conciliis ferrarienſi & florentino operam navavit, quin & *Formulam Concordia* inter Græcos & latinos initæ conſcripſit atque compoſuit, mortuus tandem Florentiæ A. 1439. æt. 53. Multa tranſtulit e græco in latinum, proprioque Marte elaboravit Epp. libros XVI. Commentarios de rebus geſtis Camaldulenſium, tractatum de Sacramento admirabili corporis Chriſti, aliumque contra Græcos de proceſſione Spiritus ſancti, & reformavit Chronicon montis Caſſini. Vitam eius deſcripſit *Auguſtinus* florentinus, non in tribus libris peculiaribus, ſed in tertio Hiſtoriæ camaldulenſis. *Kœnig* 32. *Voſſ.* de Hiſt. lat. 173. *Cave* in Append. Hiſt. lit. 83. *Giorn.* de' Letter. d' Ital. T. IX. 196.

Iac. *Gretſer*, Marckdorfio-ſueuus, S. I. Ingolſtadii primum græcam linguam, inde philoſophiam, ac poſtea theologiam docuit, multa e græco vertit in latinum, & plura ipſe ſcripſit, interque ea libros IV. de ſacris peregrinationibus, de eccleſiaſticis proceſſionibus libros II. Hiſtoriam ordinis ieſuitici correctam & refutatam, Labyrinthum cretico-hunnianum, Controverſiarum *Bellarmini* defenſionem, de funere chriſtiano, deque feſtis, & parænesin ad A. C. academicos, obiit A. 1625. æt. 63. *Witte* Diar. biogr. V. 4. *Kœnig* 363. *Baillet* in Anti 183. Rich. *Simon* Biblioth. choiſ. T. II. 26. *Lex univ. hiſt.* T. II. 298.

Anianus, patria campanus, diaconus celedenſis, Pelagii a manibus, acerrimusque doctrinæ pelagianæ propugnator, interfuit Synodo dioſpolitanæ, ſcripſitque contra *Hieronymi* epiſtolam ad Cteſiphontem, ac floruit A. 415. *Cave* P. I. 216. *Olear.* P. I. 41. Neque ille tantum priores IIX. in Matthæum homilias vertit, ſed plures. R. *Simon* in Epp. ſelect. (Act. erud. 1701. 119.)

Pet. *Pantinus*, tiletanus, Toleti aliquando græcas literas docuit,obiitque A. 1611. æt. 56. Habemus ab eo Commentarium de dignitatibus & officiis Gothorum, & Carmina, nec non latinam translationem paroemiarum Michaëlis *Apoſtolii*. *Kœnig* 605.

Pet. Fran. *Zinus*, veronenſis, Gregorii neocæſar. nyſſeni & nazian-

zianzeni, nec non Philonis & abbatum, Ephræmi, Nili, Marci, quædam latinitate donavit, & Panopliam dedit orthodoxæ fidei dogmaticam, atque Orationes tres, florens medio ſeculo XVIto. *Friſius* in Epit. Biblioth. *Geſner.* 672.

Godefrid. *Tilmannus* carthuſiæ pariſienſis monachus, e græco in latinum convertit Fl. Ioſephi vitam, Mich. Syngeli Encomium in Dionyſium areopagitam, & Antiochi Pandectas S. Scripturæ, & collegit Allegorias & tropologias variorum in locos utriusque teſtamenti ſelectiores, clarus inter viros eruditos tempore medii ſæculi XVIti. *Friſius* 288.

Flamin. *Nobilius*, patricius lucenſis, philoſophus & theologus, ſcripſit de generatione & corruptione, de hominis felicitate, de vera & falſa voluptate, & de honore, ac poſt egregie navatam in latinorum Bibliorum a SIXTO V. procurata editione operam, cum Roma in patriam migraſſet, anno Chriſti 1590. ætatis 58. ad meliorem peruenit patriam. *Friſius* 233. *Thuanus* l. 99.

Achilles *Statius*, luſitanus, ſcripſit in Suetonium, Plinium, Catullum, & Ciceronis Topica. Eiusdem ſunt Silvæ cum Hymnis & liber Obſervationum, obiitque A. 1581. æt. 57. *Friſius* p. 4. *Kœnig* 774.

Iac. *Goupylus* edidit Annotat. in Alexandrum trallianum & Rhaze librum de peſte, Dioſcoridem cum caſtigationibus, paraphraſin epiſtolæ ad Romanos, & quædam alia, floruitque medio ſæculo XVI. *Friſius* 375.

XXXV.

S. *Iſidori* peluſiotæ de Interpretatione divinæ ſcripturæ Epiſtolarum libri IV. cum verſione latina & notis Conr. *Ritterſhuſii*, ex officina commeliniana, id eſt, Heidelbergæ, 1606. Eiusdem liber Vtus cum notis Andr. *Schotti* Francofurti 1629. Tres dantur operis huius editiones, Billiana de A. 1585. Ritterſhuſiana, & Schottiana, quæ Lutetiæ Pariſ. adornata fuit A. 1638. Nimirum Billius vertit & produxit epiſtolas 1213. libris tribus, Ritterſhuſius 230. libro IV. & Schottus 570. libro V. notasque ſubiunxerunt Ritterſhuſius & Schottus. *Sixtus* Sen. Biblioth. S. lib. 4. teſtatur, ſe in bibliotheca D. Marci veneta vidiſſe volumen MS. continens S. Iſidori epiſtolas 1148. easque *Chatardus* habet pro ineditis. *Ritterſhuſius* in dedicat. ad Ianum Gruterum diſſerit de ſtudii græcæ linguæ utilitate, eamque diſcendi

di ardore temporibus Reuchlini, quidque hoc in opere a ſe ſit præſtitum. Tum ſequuntur adprobationes ſuæ editionis, & acclamationes a Ioſ. *Scaligero*, Iſ. *Caſaubono*, Phil. *Scherbic*, Scip. *Gentili*, Laur. *Rhodomano*, Theod. *Sizmanno* factæ; denique elogia Iſidoro data a *Suida*, *Evagrio*, *Nicephoro* Calliſti, *Sixto* ſenenſi, & Io. *Chatardo*: ſicut libro V. præmittuntur elogia ex *Martyrologio* romano, Rob. *Bellarmino*, Ant. *Poſſevino*, & Andr. *Schotti* Obſervationibus divinis. Epiſtolæ Iſidori breves quidem ſunt, ſed acutæ, & multam ſacræ ſcriptutæ lucem affundentes, poſſuntque, cum *Du Pinio* diſtingui in hermeneuticas, dogmaticas, & diſciplinares tam pro quibusvis chriſtianis, quam pro monachis.

Lib. I. ep. 51. p. 13. Arcanus quidam ſermo a ſenibus ſapientibus ad nos pervenit, *transgreßionis* (primorum noſtrorum parentum) *arborem eam eſſe, cuius foliis ad corpus tegendum* illi ipſi uſi ſunt.	*Hac traditio eſt futilis*, abſurda, & verbo Dei apud Moſem palam repugnans. *Caſaubonus* Exercit. XVI. ann. XXXIV. n. 9.
Lib. I. ep. 132. Locuſtæ, quibus Ioannes alebatur, non animantia ſunt, ut quidam imperite putant, ſcarabæis ſimilia, abſit, verum *herbarum aut plantarum ſummitates*.	*Confundit* Iſidorus *res diverſißimas*, *ακριδας* & *ακροδρυα*. Hæc erant inter alimenta eorum, qui rigidiſſime ieiunia obſeruabant. *Caſaub.* Exercit. XIII. p. 221. *locuſtas* autem & olim orientalibus æque, ac meridionalibus *in cibum* fuiſſe, & hodie eſſe, conſtat. G. *Calixtus* Concord. euang. l. 2. c. 11. p. 75.
Lib. III. ep. 110. p. 264. Sabbatum *δευτεροπρωτον* ſic dictum eſt, quia *poſterius* quidem *die paſcha*, *primum* autem *azymorum erat*.	Sic dicitur, quia eſt *primum* ſabbatum *poſt την δευτεραν τȣ πασχα*, *alteram paſchatis*. Ioſ. Iuſt. *Scaliger* Canon. iſagog. chronol. l. 3. p. 217.

Iſidorus, ægyptius, & quidem alexandrinus, Peluſiota dictus a monte Peluſii, in cuius cœnobio, ſi non abbas, certe presbyter erat, S. Chryſoſtomi diſcipulus, ſectator, & defenſor, vir gravis, doctus & pius, floruit ſeculo Vto, quippe qui adhuc in vivis erat anno

anno 431, & præter epiſtolas ſcripſit etiam de fato, ſeu contra gentiles, atque Cyrillum, ſtilo adeo elegante ac nitido, ut opera eius, *Rittershuſii* iudicio, mereantur in ſcholas publicas introduci. *Du Pin* T. III. P. II. f. 4. (& *Supplem.* Act. erud. T. II. 416.) *Kœnig* 436. *Cave* 214. *Rechenberg* Exercitat. in N. T. 453. 457. 461. *Cren.* diſſert. II. de furib. librar. 37. *Magirus* 485. *Blount* 286. Quam ſcite etiam, quamque ſtudioſe imitatus ſit præceptorem ſuum Chryſoſtomum, variis exemplis oſtendit *Rittershuſius* Sacr. lection. l. 4. c. 16. & 17.

ANDREÆ, cæſar. archiepiſcopi, Commentarius in Apocalypſin Ioannis, Theodoro *Peltano* interprete, cum notis Frid. *Sylburgii*, ex typographeo Hieron. Commelini 1596. Resp. literaria, interprete Rich. *Simonio* Hiſt. crit. N. T. part. III. 467. obligata eſt Commelino propter hanc primam & egregiam editionem, factam ex MSto quodam Bibliothecæ palatinæ.

Andreas hic, Cæſareæ Cappadociæ archiepiſcopus, ab aliis in fine ſæculi IV. collocatur, ab aliis autem ad ſec. VI. refertur; hoc interim certum eſt, eum recentiorem eſſe Baſilio magno, & Cyrillo alexandrino, prioremque Areta, qui ex ipſius commentario fecit compendium. *Simonio* l. c. 466. non tam antiquus videtur, ut eum facit *Bellarminus*, collocans ad initium ſæculi VI. *Sixtus* ſenenſis Biblioth. S. l. 4. p. 243. Andreæ commentarium vocat opus inſigne, *Pearſonus* in Vindic. epp. Ignatii c. 10. p. 313. ipſum Andream virum gravem & catholicum. Et quamvis etiam *Iuſtinus* martyr, atque *Irenaus* in Apocalypſin ſcripſerint, nullus tamen, ut *Peltanus* in epiſt. dedicatoria profitetur, uno hoc patre aut copioſius, aut eruditius, aut luculentius hoc præſtitit. *Cave* 268. 288. Andream hunc exſcribit *Aretas* in Catena ſuper Apocalypſin Ioannis, itidem cæſarienſis archiepiſcopus in Cappadocia: de quo vide *Simon.* l. c. 465.

Theodorus *Antonius*, a patrio in ditione leodicenſi pago Pelta, ubi natus eſt, *Peltanus* dictus, unus ex Ieſuitis primis, vir hebræis, græcisque ac latinis literis eruditus, & hinc primum græcæ atque hebrææ linguæ, poſtea theologiæ profeſſor, & Concilii aſſeſſor tridentini, contexuit commentarios paraphraſticos in Proverbia Salomonis, & volumen de ieiunio, oratione atque eleemoſyna, quædam etiam græca ſcripta, ut Homilias XVII. nec non concilium ephe-

Digitized by Google

epheſinum I. in latinum convertit, tandemque ſenex & vigiliis fractus Auguſtæ Vindelicorum A. 1584. obdormivit. Aub. *Miraeus* Elog. belg. p. 69. *König* 617. In epitaphio, quod eius memoriæ in ſchola theologica Ingolſtadii poſitum eſt, tumido & adulante ſtilo vocatur omniſcius. *Quenſted* de patr. illuſtr. viror. 142.

Frid. *Sylburgius*, veteranus, vir eximius, humilis, induſtriæ incredibilis, candidus & apertus, græceque doctiſſimus, adiuvit Commelini editiones, & caſtigatiſſime in lucem produxit Ariſtotelem, Herodotum, Dionyſium halicarnaſſ. Theodoretum; dedit etiam Grammaticam græcam, quam G. I. *Voſſius* magni æſtimat: & Henrico *Stephano* in edendo græcæ linguæ Theſauro ſuppetias tulit, defunctus Heidelbergæ A. 1596. æt. 60. ubi ob ſua in re litteraria merita annuum ſtipendium, Ser. Landgravii Haſſiæ iuſſu, ab academia marpurgenſi accepit. De eo plura vide apud *König*. 787. *Blount.* 813. I. Alb. *Fabricium* Biblioth. gr. l. 3. c. 6. p. 168. & l. 6. p. 689.

XXXVI.

CYRILLI alexandrini Opera, latine, V. tomis digeſta. Baſileæ 1566. Prima horum operum collectio latina prodiit A. 1524. Baſileæ, quam ibidem ſecutæ ſunt aliæ eodem ſæculo, anno videlicet 1528. 46. 66. 76. græco-latinam vero, quæ illis omnibus præferenda, curauit ediditque Pariſiis A. 1638. VI. voluminibus Io. *Aubertus*, canonicus lugdunenſis & profeſſor regius. De ſcriptis horum operum ſeorſum editis legi poteſt *Cave* P. I. 141. *Olearius* P. I. 188. & *Du Pin* T. IV. 52.

In I. tomo continentur 1) Commentariorum in Euangelium S. *Ioannis* libri XII. p. 1. *Georgio* trapezuntio interprete. p. 1. Sequitur in illis quidem literam Cyrillus, ſed ſubinde etiam immiſcet quæſtiones theologicas. Nec niſi fragmenta extant libri ſeptimi & octavi: quintus autem & ſextus plane perierunt. Quatuor igitur intermedii iſti libri, qui iam in opere conſpiciuntur, non ſunt Cyrilli, ſed Iodoci *Clichtovei*, qui eos, ut defectum ſuppleret, confecit, & reliquis a ſe translatis adiecit. 2) Libri XVI. in Leviticum p. 630. Sed hi *Origenis* ſunt, non vero Cyrilli. *Placcius* de pſeudon. p. 214.

In II. tomo Theſaurus. p. 1. Qui eſt opus de Trinitate, in

quo proponuntur 35. propoſitiones (atque adeo hoc opus non dividitur in libros, quanquam in noſtra editione XIV. eius libri conſtituuntur. *Du Pin* Tom. IV. 45.) de divinitate & conſubſtantialitate Filii & Spiritus S. contra Arii & Eunomii furibundam rabiem. Ex hoc Theſauro citantur ſententiæ quædam pro Pontificis rom. primatu, ſed quæ ibi non reperiuntur, fatente *Du Pinio* T. IV. p. 44. habetque quasdam partes, *Thomæ* aquinati debitas. *Placc.* de pſeudon. 214. Operis huius verſio, quam fecit *Georgius* trapezuntius, valde imperfecta eſt, aut potius epitome Operis cyrillini, in qua amputavit, addidit, mutavit multa, & plane immutavit ordinem auctoris: melior autem eſt illa, quam poſtea adornavit Bonaventura *Vulcanius* brugenſis, quæque prodiit Baſileæ 1576. Vid. G. *Calixt.* in Refutat. Welleri n. 99. *Du Pin* p. 44. & *Giornale* de' letter. d' Ital. XVI. 425. 2) Dialogorum cum *Hermia* de Trinitate libri VII. p. 200. Dialogorum horum ſtilus eſt minus ſpinoſus, minusque ſcholaſticus, quam ille præcedentis libri, immo ſat humilis eſt, iudice Io. *Oecolampadio* (qui Dialogos iſtos traduxit in latinam linguam) in Prologo, p. 198. 3) Liber de adoratione & cultu in ſpiritu & veritate. p. 410. Eſt Dialogus ad *Palladium*, ſeu cum Palladio, isque unicus. Sed hodie XVII. huius materiæ habemus libros, verſos per Antonium *Agellium*, qui eos Lugduni in Gallia & Romæ evulgavit. Omnes ſunt compoſiti in forma dialogi, eorumque ſcopus eſt, oſtendere, quod tota lex moſaica, nec minus præcepta & cærimoniæ ab ipſa præſcripta, tendant ad Dei in ſpiritu & veritate adorationem, quam euangelium poſtulat. *Riveto* in Crit. ſacr. l. 4. c. 19. liber iſte videtur eſſe dubiæ fidei.

In III. tomo 1) Contra IVLIANVM apoſtatam, pro religione *chriſtiana*, libri X. Io. *Oecolampadio* interprete. p. 1. Opus hoc inter præſtantiſſima Cyrilli ſcripta caput extollit, docente *Du Pinio* p. 48. In eo laborat auctor defendere veritatem religionis chriſtianæ, & refutare obiectiones famoſi illius apoſtatæ, eiusque lectionem Nat. *Alexander* (in Veielii diſſert. iſag. p. 156.) ſuadet omnibus, qui veræ theologiæ ſtudium tractare volunt. *Hæc enim* (ita pergit) *vera theologia eſt, religionis chriſtianæ veritatem ſcire, & adverſus atheos & impios poſſe propugnare: non in ſcholaſticis contentionibus, plerumque inanibus, toto vitæ tempore immorari.* 2) De Recta fide in Chriſtum libri III. p. 254. In hiſce probatur, Ieſum Chriſtum eſſe deum, eique omnes divinæ naturæ proprietates poſſe tribui. In

Digitized by Google

In tomo IV. 1) Epiſtolæ XXXIX. Wolfg. *Muſculo* interprete. p. 1. Non omnes autem ſcriptæ ſunt a Cyrillo, ſed quædam ab aliis, inter quos etiam *Neſtorius*, epiſcopus CPtanus, ad ipſum. 2) Homiliæ X. p. 190. Earum ſeptima & octava, agentes de incarnatione Chriſti & laudibus Cyrilli, ſunt *Pauli*, epiſcopi emeſeni. *Placc.* P. II. 214. 3) Apologia ad Imp. THEODOSIVM. p. 116. In ea agit contra Neſtorium. 4) Declaratio XII. capitum ſeu anathematiſmorum, contra Neſtorium. p. 132. Dicta a Cyrillo, cum epheſina Synodus latiorem illorum explicationem peteret. 5) Liber apologeticus, in defenſionem eorundem XII. capitum, contra orientales epiſcopos, qui illa ſcriptis taxauerant. p. 142. 6) Alius ad Euoptium, contra reprehenſiones Theodoreti, Cyri epiſcopi, Io. *Oecolampadio* interprete p. 188. ubi adverſus omnes obiectiones hunc tenet ordinem, ut primum præmittat capitulum ſuum, deinde ſubdat Theodoreti reprehenſionem, poſtremum ſuam adiiciat reſponſionem. 7) Expoſitio Symboli nicæni, Io. *Theophilo* interprete. p. 220. Scripta poſt Synodum epheſinam, ad ſacerdotes & monachos, ea de re informari cupientes, cum non deeſſent, qui Symbolum illud torquerent ac ſiniſtre interpretarentur. 8) Scholia de Incarnatione unigeniti. p. 234. Quæ quidem proponuntur in forma catecheſeos, ſeu per quæſtiones & reſponſiones. 9) Synodales epiſtolæ XII. p. 277. Eius eſſe haſce epiſtolas, Wolfg. *Muſculus*, earum interpres, colligere ſibi videtur poſſe ex ſtilo, prout ait in præfatiuncula..

In tomo V. commentariorum in Ieſaiam libri V. Laur. *Humfredo* interprete. In hiſce commentariis inſiſtit beatus auctor literæ, nec allegorias ſectatur. Multa iis eſſe addita, quæ non ſunt Cyrilli, ſcripſit quidem *Poſſevinus*, ſed nullam rationem affert, quæ ſit alicuius momenti. *Rivet.* l. 4. c. 19. Libris ſuppoſititiis accenſendi ſunt *tractatus* de S. Trinitate, *Explicationes* morales ſuper V. T. *Homiliæ* XIX. in Ieremiam, *Lexicon*, & *Tractatus* de animalibus. *Du Pin* 51. 52.

Cyrillus, poſt Theophilum patruum ſedem patriarchalem alexandrinam tenuit 32. annis, ac vivere deſiit A. 444. Nam quod apud *Gerb.* extat in Patrol. p. 416. *Cyrillum* floruiſſe A. 370. & quidem tempore *Ambroſii*, id de Cyrillo hieroſolymitano verum eſt, non de noſtro. *Olear.* in Abac. Patr. p. 125. In Synodo epheſina

 præ-

præcipuus fuit, Neſtoriumque primum ſcriptis, deinde auctoritate damnavit. Quam primum factus eſt epiſcopus, Novatianos Alexandria expulit, mox etiam factum a iudæis inſultum adverſus chriſtianos ita vindicauit, ut per populum ſuum chriſtianum, cuius ducem ſe gerebat, incenderet eorum ſynagogas, easque illis eriperet, ſpoliatosque facultatibus ex urbe expelleret. Quæ res Præfecto urbis valde diſplicuit. Ridendi autem ſunt, qui cum *Trithemio* & *chronologo* quodam, de quo tamen, ater an albus ſit, non conſtat, Cyrillum noſtrum aiunt *fuiſſe carmelitam, ſeu monachum montis Carmeli, Rivet.* l. c. *Olear.* P. I. 188. Quid vero docti ſentiunt de Cyrillo? *Nicephoro* dicitur ad certamina natus, *Bellarmino* in primis circa myſterium incarnationis a Deo doctus, *Hofmanno* vir ingenii vehementis & imperatorii, *Savilio* magis bonus theologus, quam vir bonus, utpote Io. Chryſoſtomi, viri innocentiſſimi diſertiſſimique, in vita & poſt mortem, hoſtis infenſiſſimus, immo, iuxta G. *Arnoldi* P. I. lib. V. c. 30. n. 10. & Thomaſii de Cautelis circa hiſt. eccl. p. 164. relationem, faſtu, invidia, ſævitia, ſeditione, temeritate, cædibus, avaritia inquinatus, ſed a *Cave* P. I. 215. aliisque defenſus. Vid. etiam *Blount* 287. & *Hülſem.* in Patrol. c. 5. n. 22. Quod ad doctrinam eius attinet, vix aliquis memorabilis nævus in eo deprehenditur, niſi quod angelis nimium tribuere videtur. *Olear.* 126. Scripſiſſe dicitur ſuper totam ſcript. S. Vnde patet aliqua eius ſcripta intercidiſſe. Quo etiam pertinet tractatus de *defectu Synagogæ*, & magnus *Homiliarum* numerus. *Du Pin* 52.

Georgius cretenſis, ſed *Trapezuntius* appellari malens, quod Trapezunte originem traxiſſet, Platonis contemtor, Ariſtotelis autem maximus admirator, Romæ linguam græcam & artes liberales magno cum adplauſu docuit, deinde EVGENII Papæ fuit ab epiſtolis, ſcripſitque varia, ex quibus ſunt liber de Proceſſione Spiritus S. contra Græcos, Epiſtola ad hieromonachos cretenſes eadem de re, deque Vna ſancta ecclesia, & Explicatio loci *Ioh.* 21, 22. ubi fabuloſe ſtatuit, S. Ioannem non eſſe mortuum. Multa quoque e græco tranſtulit in latinum, atque in ſenio omnium pæne rerum oblitus eſt, cuius cauſſam nonnulli deriuant ex animi ægritudine, cum pro dedicatione lucubrationum ſuarum a Pontifice accepiſſet C. aureos: hoc enim donum adeo ei vile & exiguum fuiſſe viſum, (quod hodie profecto magni æſtimaretur a cuiuscun-

que

que generis litterato, ſi talis ei obtingeret Mæcenas) ut nummos in Tiberim iratus proiecerit, exclamans: *Periere laborea, pereat & ingrata merces!* tandemque pro rutilo auro obſcuram nactus eſt terram, cum obdormiret anno circiter 1483. æt. 88. *Wharton* in Append. ad Cave 80. *Olear.* P. I. 279. *König* 816. *Blount* 460. *Giornale* de' Letterati d' Italia T. XVI. 416. 422. & T. XVII. 275.

Iodoc. *Clichtoveus*, novoportuenſis flander, doctor ſorbonicus, & carnutenſis apud Celtas canonicus, theologus, iuxta *Trithemium* Catal. ſcript. eccl. f. 181. conſummatiſſimus, philoſophus nitidiſſimus, orator plane inſignis, quique, ut *Flacio* in catal. teſt. verit. f. 1917. videtur, cum Iac. Fabro longe ante Lutheri diſputationem errores papiſticos olfecit, ſed & primus fuit, ceu *Launoius* Epp. p. 148. arbitratur, qui e theologis pariſienſibus calamum contra Lutherum ſtringeret, Elucidatorio eccleſiaſtico & Homiliis clarus, floruit A. 1534. *König* 187. *Miraus* in Elog. belg. 38. *Carpzov.* Iſag. ad libb. Symbol. 556. Iac. *Boileau* Diſquiſit. de Sangu. corp. I. Chriſti poſt reſurrect. 124. *Von der Hardt* in Autograph. bibl. RVD. AVG. D. B. ac Lun. P. I. 42. *Du Pin* T. XIV. 162.

Io. *Oecolampadius*, germanice *Hausſchein*, winsbergenſis, deſerto iuris ſtudio primus in urbe Baſileæ, ut in epitaphio eius dicitur, euangelicæ doctrinæ auctor, & templi baſileenſis verus epiſcopus, non ſolum pietate, (verba ſunt *Eraſmi* in præfat. Annotat. in N. T.) verum etiam trium peritia linguarum eminens, adeoque verus theologus, multa ſcripſit, quæ diſpeſci poſſunt in exegetica, didaſcalica, & apologetica: multa quoque e græco tranſtulit in latinum, obiitque A. 1531. æt. 49. Melch. *Adamus* in Vit. theol. 59. *Friſius* Epit. biblioth. Geſn. 478. *Blount* 544. Laudatur in primis ab ingenio miti & tranquillo. *Adam.* 58. & G. *Calixtus* de toler. Reform. 40. Phil. *Melanchthon* eum doctrina, prudentia, & pietate excellentem non ſecus ac patrem coluit, ſicut ipſemet ſcribit in epiſt. A. 1542. primæ ſuorum operum editioni præmiſſa.

Laurent. *Humfredus*, buckingamenſis, SS. literarum profeſſor oxonienſis, ſcripſit præfationem in Origenem de recta fide, librum de Nobilitate, & alium de interpretatione, florens medio ſæculo XVIto.

Ioannes *Theophilus*, A. 1540. famæ & eruditionis laude gaudens, vertit etiam aliquot S. Chryſoſtomi libros.

XXXVII.

THEODORETI, epiſcopi Cyri, Opera omnia. Quorum plurima græce, quædam etiam latine nunc primum prodeunt, cura & ſtudio Iac. *Sirmondi.* Lutetiæ Pariſiorum 1642. volumina IV. totidemque tomi. Cum Io. GARNERII Operibus poſthumis. Francopoli 1685. Tomo I. cui præmittiur 1. Sirmondi epiſtola dedicatoria ad LVDOVICVM XIV. Gall. Regem, quem laudat a pietate, iuſtitiæ rectique tenace ſtudio, vitæ morumque innocentia, moderatione animi, clementia, manſuetudine, humanitate, ſub quo civiles motus ſint compoſiti, receptæ perdomita rebellione ciuitates ac provinciæ, defenſi bellis externis ſocii & fœderati, partæ de hoſte terra marique victoriæ, munitiſſimæ urbes expugnatæ, regni fines dilatati, oppreſſi afflictique aliarum gentium principes & populi in maieſtatis eius tutelam recepti, ac ſervati: 2. Brevis præfatio: 3. Vita S. patris, ex eius Epiſtolis excerpta, cum veterum aliquot ſcriptorum de ipſo teſtimoniis, continentur 1) Quæſtiones in Octoteuchum, h. e. V. libros Moſis, & libros Ioſuæ, Iudicum & Ruthæ. p. 3. Scriptæ illæ ſunt poſt annum Chriſti 453. Et quamvis Ioannes *Picus*, canonicus, præſes ſenatus pariſienſis, Heptateuchi interpres, in regia bibliotheca earum exemplar reperiri negaverit, Sirmondus tamen plenius ac perfectius aliquod, quam eſt picianum, ibi invenit, idque hic exhibet. 2) Quæſtiones in libros IV. Regum, & in II. Paralipomenon, P. Gentiano *Herveto* interprete. Itidem poſt annum 453. in litteras redactæ, videnturque ſupremus Theodoreti labor fuiſſe. 3) Commentarius in pſalmos, p. 393. Alfonſo *Caraffa* Cardinale interprete. Cœptus poſt annum 433. & abſolutus ante annum 445. In eo auctor plurimum ſequitur Chryſoſtomum, eiusque non modo ſententias, ſed etiam verba ſæpe retinet. 4) Commentarius in Canticum canticorum, p. 983. Fran. *Zino* interprete. Sed non eſſe Theodoreti, quia auctor Chryſoſtomum tanquam adhuc viventem laudat, Theodorum mopſueſtenum conviciis petit, ſeque ruſticanis, militaribus & civilibus præter eccleſiaſtica negotiis diſtentum eſſe ait, multi quidem ſentiunt, cumque iis etiam *Cave* P. I. 225. verum *Du Pin* dubia illa ſoluit T. III. B. E. part. II. p. 90. idque recenſetur in T. II. *Supplem.* Actor. erud. 418. Scripſit eum ſub initium epiſcopatus ſui, circa A. C. 425. Tomo II. Commentarii in prophetas maiores ac mi-

Digitized by Google

minores, ſcripti inter annos 426. & 429. Inter quos Ieremias, eiusque Lamentationes, & Baruch interpretationem ſuam debent Io. *Pico*, Ezechiel & Daniel Io. Bapt. *Gabio*, & minores Pet. *Gillio*. Commentarii autem in Eſaiam datur epitome duntaxat, ſiue excerpta non nulla e Catenis græcis collecta, quæ ſubſidio interim erunt, dum integrum opus emergat. Cuius tamen ſpes eo decollare videtur, quod ipſimet Græci excerptis hiſce, quorum plurima *Theodoro* mopſueſteno tribuenda eſſe putat *Cave* P. I. 225. utuntur, nec de reperiundo abdito theſauro ſoliciti ſunt. Tomo III. 1) Commentarii in XIV. Pauli epiſtolas, p. 1. concinnati circa annum 432. atque a Gentiano *Herueto* latinitate donati. 2) Eccleſiaſtica hiſtoria. p. 521. Scripta ineunte anno 450. & in latinum uerſa primum ab *Epiphanio* ſcholaſtico, deinde a Ioach. *Camerario*, poſt a Io. *Chriſtophorſono*, denique a *Sirmondo*. De qua plura inferius, ubi ad ſcriptores eccleſiaſticos, ab Henr. *Valeſio* editos, pervenerimus. 3) Philotheus, ſeu religioſa hiſtoria. p. 757. Hæc ſcripta eſt. A. 444. & continet 30. piorum aſcetarum elogia, interpretem habens Gentianum *Heruetum*. Commemorat autem, ſicut & *Palladius*, ea de monachis, eorumque vita & inſtitutis, quæ vel ipſe ſuis uſurpavit oculis, vel a viris fide dignis accepit. 4) Epiſtolæ 146. p. 898. Scriptæ poſt ſuſceptum epiſcopatum. Eas in uſum & gratiam Cardinalis Baronii latine reddidit Federicus *Metius*; ſed quia hæc interpretatio non exiit in lucem, ideo ſuam hic ſubſtituit *Sirmondus*, præfixo græco textu ex altero codice Bibliothecæ vaticanæ. Tomo IV. 1) Eraniſtes ſeu Polymorphus, p. 3. IV. continens libros, quorum tres priores dialogi formam habent, ultimus eorum materias in ſyllogiſmos contrahit. In eis contra hæreticos illius temporis pugnatur, & quidem in primo docetur, Deum ſermonem eſſe immutabilem; ſecundo, unionem naturarum in Chriſto inconfuſam; tertio, Deum impatibilem. Natum eſt hoc opus anno 446. ſed non longe poſt, gemina THEODOSII Imp. ſanctione, quarum prior A. 449. facta eſt, igne crematum. *Beumlerus* græce & latine edidit, notasque adiunxit, Tiguri 1593. 8. 2) Hæreticarum fabularum libri V. p. 187. Scripti A. 453. Eorum quatuor priores ſingularum hæreſium brevem hiſtoriam, ultimus divinorum decretorum ſeu doctrinarum epitomen complectitur. Neque vero caput XII. libri IV. quo Neſtorium impugnat, pro ſpurio habendum, quia Theodore-

doretus alias de eo bene ſenſit, eumque defendit: nam diſtinguenda ſunt tempora, & cogitandum, libros hoſce compoſitos fuiſſe poſt concilium chalcedonenſe, adeoque poſt condemnationem Neſtorii, ad quam ille ſe quoque, quantumvis ægre, tandem adduci paſſus eſt. *Du Pin* l. c. p. 103. & in T. II. *Supplem.* Act. erud. 419. Atque hoc & præcedens opus nacta ſunt interpretem Gent. *Heruetum.* 3) De providentia Orationes X. p. 319. Rudolpho *Gualthero* interprete, qui græcum exemplar, nunquam antea viſum, Romæ autem Nicolai *Maiorani* cura A. 1545. impreſſum, Ioachimo *Vadiano* acceptum fert. Habitæ ſunt Antiochiæ circa annum 430. vel 433. eoque dicendi genere, & orationis elegantia, eo diſpoſitionis ordine, ea argumentorum ſubtilitate, & ſententiarum gravitate ac copia, teſte Nicolao *Maiorano*, bibliothecario pontificio, ſcriptæ, ut earum lectione, ſuis præſertim temporibus, chriſtianarum litterarum amatores fraudare nefas putaverit vir clariſſimus pariter ac prudentiſſimus. 4) Aduerſus gentiles libri XII. ſive græcarum affectionum curatio, euangelicæque veritatis ex gentilium philoſophia cognitio. p. 461. Scripti A. 427. & latine redditi per Zenobium *Acciaolum*, cumque notis, uti *Cave*, cenſor non ineptus, P. I. 226. ſcribit, doctiſſimis *Sylburgii* græce & latine editi Heidelbergæ A. 1592. f. nec immerito Colomeſius p. 442. (p. 101. de la Biblioth. choiſ.) miratur, doctiſſimum G. I. Voſſium in Theſib. ſuis hiſtor. abiudicare hoſce libros Theodoreto, quorum tamen hic ipſe mentionem facit in prima ſua Quæſtione ſuper Leviticum. Atque in *prima* quidem diſputatione reſpondet ad obiectionem de apoſtolorum inſcitia: in *ſecunda* comparat moſaicam doctrinam, utpote certam ac veram, cum græcorum philoſophorum opinionibus & commentis: in *tertia* commemorat fabulas gentilium de diis ſecundariis, iisque opponit incorporeas, ſed creatas naturas, de quibus SS. litteræ tradunt: in *quarta* oſtendit, noſtram mundi genituram magis rationi conſentaneam eſſe, quam quæ ſtatuitur a *Platone* ceterisque philoſophis: in *quinta* docet de natura hominis, & collatis utriusque partis ſententiis, gentilium illas tenebris, noſtras autem luci ſimiles eſſe demonſtrat: in *ſexta* providentiæ divinæ iura tuetur; quod quidem ita facit, ut *Diagoræ* impietatem, *Epicuri* blaſphemiam, & exilem *Ariſtotelis* ſententiam refellat, *Platonis* autem, *Plotini*, ceterorumque cum illis facientium doctrinam com-

pro-

probet: in *ſeptima* agit de ſacrificiis, illaque tot numero ſuperflua, ac legis iudaicæ obſervationem valde puerilem fuiſſe evincit: in *octava* honorem, quo chriſtiani martyres proſequuntur, defendit, philoſophorum, hiſtoricorum, ac poëtarum teſtimoniis oſtendens, Græcos non libamina ſolum, ſed etiam ſacrificia honorandis mortuis impendiſſe, eorumque alios deos, alios ſemideos, alios heroas appellaſſe, quamvis plerique illorum magnis, dum vixere, vitiis inquinati fuerint: in *nona* confert inter ſe celeberrimos ethnicorum legumlatores cum piſcatoribus & publicanis, e quibus ſibi Chriſtus elegit apoſtolos: in *decima* de oraculis divinis & ethnicorum, quorum illa veritati & maieſtati divinæ conformia prædixerunt, hæc autem, ut Pythius & Codonæus, falſa & mendacia, qualia nullus quidem proborum hominum effari vellet: in *undecima* utriusque ſectæ ſententias proponit de fine mundi, atque iudicio: in *duodecima* de virtutis actuoſæ diſcrimine, probatum iens, non habere Græcos, quod glorientur de philoſophorum ſuorum vita ſupra modum honeſta: eam enim ne quidem laudandis mancipiis convenientem fuiſſe, cum e contrario apoſtolorum, atque ad normam chriſtianam & apoſtolicam incedentium vita humanam ſuperet conditionem, & cœleſti, ad quam beati perveniunt, per ſit ſimilis. Vocantur autem hi libri *Curatio græcarum affectionum*, vel, *Euangelica veritatis ex gentilium philoſophia cognitio*, quoniam auctor, tum ut ægrotos curaret, tum ut bene valentium utilitati conſuleret, operam dedit. Mich. *Neander* Oper. aurei P. I. p. 655. libros hoſce laudat, ut eruditos, varios, & philologicos. 5) Oratio de divina caritate, ſiue caritate, qua nos Deus afficit. p. 680. Scripta A. 1559. græceque & latine edita Romæ A. 1588. a Ger. *Voſſio*, cum notis & lectionibus variantibus. 6) Contra Neſtorium liber, ſiue epiſtola, ad Sporacium. p. 696. *Garnerius* & *Caveus* pro ſpuria habent, ſed *Du Pinius* (ſicut & in T. II. Supplem. Actor. erud. p. 420. recenſetur) pro genuina. 7) Epiſtola ad Ioannem, epiſcopum Germaniciæ. p. 702. In multis eadem cum libri IV. Hæreticarum fabularum capite 12. Scripta ſub finem anni 449. aliquo poſt ſynodum latrocinalem, quæ eodem anno, præſidente, epiſcoporumque ſuffragia vi & armis extorquente *Dioſcuro*, habita, & in qua depoſitus & anathemate percuſſus fuit Theodoretus. De hac igitur iniuria, & paterculorum illorum, dogmatum tantum, non autem

vitæ rationem habentium, impietate conqueritur hac in epiſtola; & Ioannem epiſcopum rogat,eorum communionem ut devitet. 8) Librorum XXVII. adverſus Eutychianos argumenta, ex *Photii* Bibliotheca p. 704. Ex hiſce tres primi Theodoretum auctorem agnoſcunt, ſed perierunt; ceteros vero a VII. uſque ad XXVI. inter Athanaſii ſcripta extantes, *Theodoreto* vindicavit Dallæus, *Maximo* Combefiſius, & *Eutherio* Garnerius, ſicut I. A. *Fabricius* teſtatur Biblioth. gr. vol. VII. p. 438. 9) Reprehenſio ſeu Refutatio XII. capitum ſiue Anathematiſmorum *Cyrilli*. p. 706. Cum præmiſſa ad Ioannem Antiochiæ epiſcopum epiſtola. Vtrumque ſcriptum eſt partus anni 429. 10) LEONIS Papæ ad Theodoretum epiſtola. p. 723. Qua huius in oppugnandis Neſtorianis & Eutychianis ardorem adprobat. Quod ad verſiones aliorum latinas attinet, eas *Sirmondus* maximam partem retinuit, niſi quod interdum, ubi laciniosa interpretum oratio textui græco paribus ſpatiis non reſpondebat, nunc parcius, nunc liberius aliqua interpolando, incommodum illud avertere ac tollere conatus eſt.

Ioannis GARNERII Opera poſthuma. Francopoli, id eſt, Lutetiæ Pariſiorum 1685. Sunt Diſſertationes variæ ad hiſtoriam eccleſiaſticam, & ad ſcripta quorundam Patrum græcorum, atque inprimis Theodoretum, cuius operum ſunt auctarium, editæ non ab ipſo Garnerio, ſed poſt eius obitum a Io. *Harduino*, S. I. qui & Dedicationem præmiſit ad Fran. *de Harlai*, archiepiſcopum pariſienſem, Ducem & Parem Franciæ, Sorbonæ proviſorem, cuius dotes, virtutes ac merita gravi & elegante oratione celebrat; & Præfationem, qua Garnerii vita deſcribitur, cum catalogo operum, quæ ille in lucem produxit. Partes autem huius voluminis ſunt ſequentes: 1) Excerpta commentariorum Theodoreti in pſalmos. p. 1. e Catenis ut plurimum depromta. Sed Theodoreti eſſe negat *Du Pin* T IV. p. 90. 2) Fragmentum breue, deſcriptum ex Catena in Lucam, p. 20. atque, ut *Garnerius* ſuſpicatur, decerptum ex libro II. Pentalogii, cuius auctor eſt Theodoretus. 3) Sermo in natiuitatem Ioannis baptiſtæ, *Luc* 1, 57. p. 21. Verum Leo *Allatius* eum *Theodoro Daphnopata* tribuit. 4) Ex V. Sermonibus in Ioannem chryſoſtomum. p. 30. 5) Ex allocutione & homilia Chalcedone habitis. p. 34. Homilia hæc tantum latine hic extans, dicta fuit A. 431. eamque ſequitur p. 37. Ioannis, an-

tio-

tiocheni epiſcopi, homilia poſt præcedentem recitata; fuit enim ille mos orientalis eccleſiæ, ut ſermonem concionantis exciperet antiſtes, qui ſynaxi præerat, ſicut in Notis obſeruat *Garnerius* p. 37. 6) Fragmentum ex Sermone, quem Theodoretus Antiochiæ habuit coram Domno poſt obitum S. Cyrilli, inſultans morti eius. p. 38. Latine etiam, ex *Mario Mercatore*, & Actis Vtæ Synodi: quorum auctoritate Garnerius evincere confidit, fœtum hunc eſſe Theodoreti. 7) Fragmentum breve ex alia allocutione. p. 39. De qua incertum, quo tempore fuerit facta. 8) Fragmenta πενταλόγιυ ἐνανθρωπήσεως, ſive V. librorum de incarnatione. p. 40. græce & latine: latina autem verſio fere tota *Marii* eſt *Mercatoris*. Libros iſtos aduerſus Concilium epheſinum & Cyrillum, Theodoretum diabolo inſtigante conſcripſiſſe ait *Marius* Mercator. Et *Garnerius* obſervat, libros VI. priores ex illis XXVII. quos Photius Cod. 46. memorat, non diverſos fuiſſe ab hoc Pentalogio, ita tamen, ut ſecundum ex his V. Photius in duos diſtractum legerit, quorum altero teſtimonia növi, altero veteris fœderis, Theodoretus expoſuerat. 9) Epiſtolæ XXXIV. p. 51. Inter quas ſunt quædam aliorum epiſcoporum orientalium, ut *Cyrilli* alexandrini, & *Ioannis* antiocheni. 10) *Garnerii* Hiſtoria Theodoreti, ſeu I. diſſertatio de vita Theodoreti. p. 109. II. de eius libris. p. 173. III. de eiusdem dialogis adverſus Arianos, Macedonianos, & Apollinariſtas. p. 259. 11) Fulvii *Vrſini* Emendationes in libros Theodoreti de curandis græcorum affectibus. p. 393. 12) *Garnerii* IV. (quæ III. vocatur) diſſertatio de fide Theodoreti. p. 457. 13) Diſſertatio V. (quæ IV. appellatur) de V. Synodo generali, p. 493. In qua Theodoretus A. 553. cum 3. Capitulis damnatus eſt. Quænam vero illa capitula? 1. Excerpta ex *Theodori mopſueſteni* ſcriptis. 2. *Theodoreti* aduerſus Cyrillum. 3. Epiſtola *Ida* edeſſeni ad Marim perſam. 14) Diſſertatio VIta (quæ hic Vta dicitur) de Theodori & orientalium cauſſa. p. 549. Eſt nihil aliud, quam nova & emendatior editio verſionis antiquæ epiſtolarum ad Concilium epheſinum, quas e MS. monaſterii caſſinenſis mendoſe ediderat Chriſtianus *Lupus*. Auctor huius epiſtolarum collectionis & verſionis Stephano *Baluzio* videtur eſſe afer aliquis, non neſtorianus quidem, trium tamen Capitulorum defenſor. Notas Garnerius hiſce ſcriptis ſubiecit, easque & plures feciſſet, & prolixiores, niſi fato

 reip.

reip. litterariæ immaturo ereptus fuiſſet. De his omnibus, quæ antea de operibus Theodoreti, eorumque auctario diximus, vide *Cave* P. I. p. 225. I. Alb. *Fabricium* Biblioth. gr. volum. VII. p. 432. & *Du Pinium* T. IV. Biblioth. eccleſiaſt. eorumque ductum ſecutos nos eſſe, lubentes meritoque profitemur.

Theodoretus, ſive, ut *Scaliger* in Scaligeranis p. 388. mavult, *Theodoritus*, (quanquam utroque modo nomen hoc ſcriptum inveniatur, videlicet Θεοδώρητος & Θεοδώριτος, quorum illud ſignificat *a Deo donatum*, hoc *Dei donum*; eumque iſto nomine appellavit mater, quod poſt ſterile XIII. annorum coniugium precibus a Deo impetratus eſſet, cui etiam illa filium reddidit) natus Antiochiæ A. C. 393. dicam? an 386. parentibus piis ac honeſtis, vita monaſtica electa ordinatus primum lector, deinde diaconus, poſtea presbyter, Theodori mopſveſteni & Ioannis Chryſoſtomi diſcipulus, epiſcopatum cyrenſem in provincia Syriæ euphrateſia, ad quem invitus evectus fuit, A. 423. vel 420. ſubiit, eumque impigre & magno cum zelo geſſit. X. Marcionitarum millia ad eccleſiam reduxit, & vicos ab Eunomianis, Arianis, Macedonianis & Apollinariſtis repurgavit. Cyrilli alexandrini anathematiſmis in Concilio epheſino A. 431. oppoſuit XII. capitula; atque ita viſus eſt facere cum Neſtorio, at poſtea tamen ſubſcripſit Formulæ concordiæ a Cyrillo compoſitæ. Accuſatus itidem ſequentibus temporibus neſtorianiſmi a *Dioſcuro*, Cyrilli alexandrini ſucceſſore, & ſectæ eutychianæ ſocio, a THEODOSIO iuniore prohibitus pedem dioeceſi ſua efferre, atque in Synodo latrocinali epheſina abſens damnatus, & depoſitus; ſed & a MARCIANO in chalcedonenſi Synodo ab exilio revocatus, & ſedi ſuæ reſtitutus eſt; ea tamen lege, ut Neſtorium damnaret: quod ille tandem, licet ægre, fecit. Vitam non produxit ultra annum 457. & poſt mortem etiam variam expertus eſt fortunam: nam ſub ANASTASIO Imp. fuit condemnatus, ut hæreticus; ſub IVSTINO autem a clericis cyr. eccleſiæ imago eius ſollemni pompa in ædem ſacram portata, throno epiſcopali repoſita, & ſacra ſynaxis in honorem eius celebrata fuit. Vir erat meliori fato dignus, animi puritate, arctioris vitæ diſciplina, liberalitate erga pauperes, ædificiorum publicorum exſtructione & exornatione, omnique varia eruditione, & ſtilo facili atque elegante inclytus. Si *Herveum* audimus in principio tomi IV. horum

 ope-

operum, Theodoretus inter Patres ſi non primum, tamen inter primos locum obtinet; ſi *Scaligerum* l. c. optimi antiquorum theologorum ſunt Chryſoſtomus & Theodoretus; ſi G. *Calixtum* de Verit. relig. chriſt. §. 16. fuit Græcorum eius ætatis longe doctiſſimus. Videantur *Sirmondus* in Vita huius Patris, *König* 799. I. A. *Fabricius* l. c. p. 450. *Olearius* P. II. 190. *Cave* P. I. 223. *Magirus* 755. *Blount* 292. Pertinet & hoc ad laudes eius, quod litteram ſcripturæ multo preſſius ſequatur, quam ceteri Patres græci, & plusquam mediocrem eius notitiam habuerit. Hinc iudicatur, inter eos omnes maxime huic ſe addicere debere, quicunque in bibliis doctus vult evadere. Rich. *Simon*, Hiſt. crit. V. T. I. 3. c. 10. Sed ut nihil eſt ob omni parte beatum, ita nec Theodoretus ab omni nævo & vitio immunis fuit. Notatur enim, quod quædam inutilia in quæſtionibus ſuis adferat, quæque longe nimis accerſita ſunt, & interdum magis ad ſermonis ſui ornatum, quam ad explanationem argumentorum, allegorias admiſceat; quod philautiæ, nimio gloriæ amori, & pertinaciſſimo partium ſtudio deditus fuerit; quod non tam ex modeſtia, quam præ ſe quidem tulit, quam nobilioris & opulentioris eccleſiæ deſiderio, cyrenſem epiſcopatum invitus ſuſceperit; quod eloquentia, quam a *Chryſoſtomo* didicerat, ad tuendos *Theodori* mopſveſteni errores abuſus fuerit; quod totam non nunquam hæreſin ſibi viſus ſit videre, ubi minima eius ſpecies vel umbra appareret; quod non tantum ore & calamo amarulenta in *Cyrillum* alexandrinum convicia iecerit, ſed etiam mortuo inſultaverit. *Simon* l. c. & *Garner.* in Hiſt. Theodoreti.

Iac. *Sirmondus*, ricomagenſis arvernus, S. I. huiusque collegii pariſienſis, poſt alias functiones rector, & LVDOVICI XIII. a confeſſionibus ſacris, Hier. *Bignonii* inprimis & Petri *Pithoei* amicus atque æſtimator, ſicut etiam ab illis magni æſtimabatur, laudatus a *Morhofio* ob præclaram variamque eruditionem, ab Hug. *Grotio* & Io. *Dallaeo* ob magnum iudicium fidemque optimam, a *Kōnigio* ob candorem & integritatem, tanquam rem raram, ſtiloque uſus ad elegantiam & puritatem mureticí ac vivacitatem ſcaligerani, edidit ultra XL. ſcriptores cum annotationibus & explicationibus, nec non Tomos III. Conciliorum Galliæ, Appendicem Codicis theodoſiani, Cenſuram (*Salmaſii*) de ſuburbicariis regionibus, Hiſtoriam publicæ pœnitentiæ, item de azymo &c. obiitque ex icte-

ro A. 1651. æt. 93. cum firma adhuc valetudine & vividus eſſet ſenex. Omnia eius opera prodiere Pariſiis A. 1696. IV. volum. in fol. *König* 758. *Magirus* 755. *Blount* 966. *Lexic. univ. hiſt.* P. IV. 449. *Morhof* Polyh. T. III. 62. *Menagius* in epiſt. ad fratrem, Launoii Diſſertationi de ſcriptore vitæ Maurilii & Hiſtoria Renati ſubiuncta, p. 231. *Menagiana* P. III. 459. El. *Veiel* Defenſ. exercit. de Eccleſ. græcan. hod. 249. & *Critopulus* in Cenſura Ecl. Mai. 63. Fuit tamen, uti *Schurzfleiſchius* P. II. Epp. arcan. p. 228. ſentit, Petavio inferior, ſi græca ſpectamus, multaque perperam ex græcis in latinum conuertit, nominatim *Theodori* Studitæ teſtamentum: in quo & a Iac. *Tollio* reprehenſus eſt.

Io. *Garnerius*, pariſienſis, nobili editus familia, S. I. in qua primum rhetoricam, tum philoſophiam, ac denique theologiam docuit, in omni diſciplinarum genere egregie verſatus, atque in primis in theologia morali docenda tantam eruditionis famam conſecutus, ut non modo tenuis ſortis homines, ſed etiam eccleſiaſtici æque ac politiæ proceres ad eum deferrent, eumque tanquam ſacrum oraculum conſulerent. Delectus autem a convocatis provinciæ Franciæ Patribus, ut Romam pro Societatis negotiis ſe conferret, medio fere in itinere, & quidem Bononiæ, deceſſit A. 1681. æt. 70. vir antiquo morum candore, pietate atque eruditione, vix eorum ulli, qui præcipuam in Societate famam obtinuerunt, ſecundus, atque adeo tantus, quantum & egregia, dum viueret, hominum de eo exiſtimatio, & omnium bonorum atque eruditorum, poſtquam vixit, luctus deſideriumque declarauit. Io. *Harduinus* in eius vita. Inter opera Garnerii, quibus ille adhuc vivus orbem eruditum beavit, ſunt Regulæ fidei catholicæ de gratia Dei per Ieſum Chriſtum: *Iuliani* eclanenſis epiſcopi libellus miſſus ad Sedem apoſtolicam, cum notis: *Marii Mercatoris* opera cum notis & diſſertationibus, Pariſiis 1673. f. *Liberati* diaconi Breuiarium, cum notis & diſſertationibus, ibid. 1675. 8. Syſtema bibliothecæ Collegii pariſienſis Societ. Ieſu, ibid. 1678. 4. & Liber diurnus rom. Pontificum, cum diſſertationibus de cauſa HONORII, de uſu pallii &c. ibid. 1680.

XXXVIII.

Ioannis DAMASCENI Opera, græce & latine. Baſileæ 1548. Ibidem hæc opera denuo prodierunt A. 1575. & Pariſiis A. 1577. per

per Iac. *Billium* prunæum. Meditabatur quoque novam Damaſceni editionem, eamque auctiorem, Ioh. *Aubertus*, poſtquam a Leone *Allatio* varia ἀνέκδοτα acceperat, quorum catalogum deinde, ſuppreſſo tamen Allatii nomine, publicavit *Labbeus*, Auberti propoſitum, morte ſufflaminatum, effecturus, quod tamen nec ipſe effecit. *Cave* H. L. part. I. 342. *Du Pin* Tom. VI. 104. Poſt datum ab auctore *Extract. menſtr.* A. 1700. 526. conſpectum novæ editionis P. Mich. *Lequien*, hæc ipſa in lucem exiit Pariſiis A. 1712. f. recenſita in *Actis erud.* A. 1713. p. 1. & T. III. In noſtra autem editione continentur. 1) Orthodoxæ fidei libri IV. quorum primus agit de divinitate, ſecundus de creaturarum geneſi, tertius de iis, quæ ab incarnatione Chriſti usque ad eius reſurrectionem, quartus de iis, poſt reſurrectionem usque ad univerſalem reſurrectionem, interprete Iac. *Fabro* ſtapulenſi, & cum enarratione Iod. *Clichtovei.* 2) Damaſceni Sermo, quod, qui in fide hinc migrarunt, ſacris operationibus & virorum beneficiis multum iuventur; interprete Ioh. *Oecolampadio*, 3) De decretis & placitis primæ inſtitutiones. 4) De duabus Chriſti voluntatibus & actionibus, reliquisque naturalibus proprietatibus. 5) *Maximi* de duabus Chriſti naturis libellus. 6) Hæreſium, quæ ad illius tempora extiterunt, catalogus, Ioachimo *Perionio* interprete. 7) Epiſtola de eo, quod eccleſia canit, *Sanctus Deus*, *Sanctus Fortis*, *Sanctus Immortalis.* 8) Diſceptatio chriſtiani & ſaraceni. 9) De Dialectica ſeu Logica, incerto interprete. 10) Sententiarum aliquot fragmentum, Bilibaldo *Pirckhaimero* interprete. 11) Carminum farrago. Aldo *Manutio* interprete. 12) Hiſtoria duorum Chriſti martyrum, interprete Georg. *trapezunti*. Quamvis *Roſvveidus*, *Warthon*, & auctor del *Giornale* de' Letter. d' Ital. T. XVI. translationem hanc auctori multo antiquiori adſcribant. At multa ſunt ſub nomine & auctoritate Damaſceni ſuppoſita, multa ſcriptis eius infarcta, multa denique errore & lapſu illius temporis admiſſa, tanquam ad devotionem facientia, quæ tamen putida ſunt mendacia, ut Hiſtoria de Barlaam & Ioſaphat, (cuius verus auctor Io. *Sabaita* ſ. Sinaita, alias Climacus ſ. Scalaris dictus, teſte *Placcio* Pſeudon. 183. & *König* 430.) & fabula (iuxta ipſum *Bellarminum* de Scriptor. eccl. 147. & *du Pin* Tom. VI. 102.) de Falconillæ & Traiani animabus, ab inferni ſuppliciis liberatis. *Hulſem.* Patrol. c. 8. §. 1. Adde *Caſaub.* Exerç. 1. contra Baron. n. 48. p. 101. & Exerc. 13. p. 270. *Io-*

Ioannes noſter, natus Damaſci in Syria e parentibus illuſtribus, non ebræis, (uti *Volaterranus* refert) ſed chriſtianis, teſte *Ioanne* patriarcha hieroſol. in Vita Damaſceni, quæ Operibus noſtræ editionis præmiſſa eſt, atque ex conſiliario & prætore Principis Saracenorum ſacerdos & monachus factus, claruit ſub LEONE Iſauro & CONSTANTINO Copronymo circa A. C. 740. non vero, uti ſcripſit Alph. *de Caſtro*, ſub Theodoſio Iun. circa A. 450. & obiit A. circiter 750. Ob dona eloquentiæ dictus χρυσορροας, non autem, prout exſtat apud *Centur. Magd.* in Cent. 8. p. 827. Chryſaoras. Per contemtum, & quidem, quod ſimulaſſet fidem Saracenorum, a Patribus Synodi CPtanæ ſub Conſtantino Copronymo collectæ appellatus eſt *Manzur*, (quaſi מַמְזֵר ſpurius, nothus) atque ab iisdem excommunicatus. *Cent. magd.* cent. 8. 829. Aliter tamen de voce Manſor *Cedrenus* & *Paulus* diaconus: nam ille eam per λελυτρωμένον, hic per redemtum exponit. *Seldenus* de Succeſſ. c. 3. p. 14. vocem λεύτραβος ex λυτρωμένος corruptam eſſe autumat. *Manzur* Arabibus vindicatum, ſervatumque denotat. *Damaſcenus* primus auctor fuit, qui Locos theologicos in ordinem redegit, & quidem ſyntheticum, in libris videlicet de Orthodoxa fide. *Hulſem.* c. 8. §. 1. *Hildebrand.* Theol. dogmat. 37. *Cren.* Exercit. III. de libris ſcript. opt. 34. Nimium autem philoſophatur, iudice *Melanchthone* in principio LL. Theol. immo Syſtema ſuum, uti *Thomaſio* videtur in Cautelis p. 169. adplicuit ad doctrinas ariſtotelicas, præque iuit Scholaſticis. Libri illi IV. a D. Balth. *Mentzero* notis illuſtrati ſunt, teſte *Hülſemanno* in Patrol. c. 8. n. 1. Omnia eius opera dividi poſſunt in Dogmatica, Hiſtorica, Moralia, Feſtalia, Eccleſiaſtica & Profana. *Du Pin* T. VI. 101. Quod ad ſtilum attinet, ſcripſit clare & methodice; erat quoque ſubtilis theologus, aptus compilator, at mediocris orator. *Du Pin* 104. legitque ſcripta Patrum diligengentius, quam SS. literas. *Cent. magdeb.* 827. At vero *Alſſius* defendit eum in Apolog. pro B. V. Maria P. II. 196.

Iac. *Faber*, vulgo *Fabry*, natus ad Stapulas, maritimum Picardiæ pagum, ex ignobili familia, mole corporis exiguus, ſed ingenio maximus, doctor ſorbonicus ſuo tempore celeberrimus, quique renaſcentibus in Gallia literis & ſcientiis facem prætulit, at tamen ob novitates, uti *Spondanus* vocat ad A. 1523. remotus e loco ſuo atque expulſus, immo & doctoris ſorbonici titulo ſpoliatus,

vixit

vixit 101. annos, purus ab omni contactu muliebri, atque ex dolore, quod Chriſti euangelium non ſemper imperterrito animo annuntiaverit, ſed periculi evitandi cauſſa diſceſſerit, obiit A. 1557. æt. 101. Quodſi vero *Teiſſero* in parte III. Elogior. (in *Actis erud.* A. 1704. 464.) aures præbemus, credendum nobis eſt, eum nothum, ac proinde inter Sorbonæ doctores nunquam receptum fuiſſe. Scripſit, ut philoſophica prætereamus, Commentarium in Eccleſiaſten; librum de III. Magdalenis: in IV. evangeliſtas: in epp. catholicas: diſceptationem de deſcenſu Chriſti ad inferos, contra Nicol. *de Cuſa*. *Kœnig* 291. Io. *Moller* de Homon. 58. *Olear.* P. I. 247. *Colomeſ.* 810. *Cren.* de Furib. librar. 55. *Magirus* 355. *Blount* 521. R. *Simon* Hiſt. crit. N. T. P. III. 488. & *Lexic.* univ. hiſtor. T. II. 93.

Bilibald. *Pirckheimerus*, Patricius & Senator noribergenſis, qui tamen, ut litteris dare poſſet operam, ſenatoriæ dignitati bis renunciavit, græce atque latine doctus, & quo duce (ſunt verba *Eraſmi* in Ciceroniano) primum eſſloreſcere cœpit apud Germanos eloquentia, quam & morum pietate & fortunæ ſplendore illuſtravit, e *Xenophontis* & *Gregorii nazianzeni* ſcriptis quædam tranſtulit in latinum, obiitque gentis ſuæ ultimus A. 1530. æt. 60. Opera eius iunctim cum Alb. *Dureri* figuris æneis edita ſunt a Melch. Goldaſto Francofurti 1610. Melch. *Adam.* in Vit. IC. & Polit. p. 41. *Kœnig* 642. *Magirus* 664. *Camerarius* in Vita Melanchth. 25. G. *Richter* Orat. XVII. 109. I. C. *Dürr.* Iſag. in lib. normal. Reip. norib. 14.

Aldus *Manutius*, romanus, Pauli pater, Aldi avus, floruit A. 1520. & compoſuit Grammaticam græcam & latinam: librum de dierum generibus: notas in Horatium & Homerum: & multas præfationes in libros, quos ipſe excudit; nam arte typographica ſibi gloriam, ſtudentibusque utilitatem peperit maximam, ſeu, ut *Thuani* verbis lib. 119. utar, arte ſua tantum rei literariæ contulit, quantum ſuperiorum temporum barbaries illi abſtulerat. *Kœnig* 504. *Acta erud.* 1702. 229. *Morhof* Polyh. l. 1. c. 7. n. 37. *Ianſſon* ab Almeloveen in Io. Alb. Fabricii Biblioth. lat. P. II. 171. *Struve* Introd. in notit. rei lit. c. 11.

Ad. REISNERI Ieruſalem. Francofurti 1563. Deſcribitur celeberrima hæc totius mundi civitas ex SS. literis & approbatis hiſtoricis, cum figuris ligno inciſis. Reiſnerus germanica lingua

delineaverat, nunc autem latina omnia perſcripta, ac fuſius pleriſque in locis, veterum eccleſiaſticorum ſcriptorum teſtimoniis adhibitis, tractata, & in VII. libros digeſta, per Io. *Heydenum*. Prodiit etiam hic liber ibidem A. 1565.

Adam. *Reiſnerus*, vir in præcipuis tribus linguis perquam exercitus & vere pius, ſcripſit quoque multa alia germanice, ut, de Miraculis Chriſti: verſionem pſalmorum, cum brevi explicatione: & IIX. libros de geſtis G. & Caſp. de *Freundſperg*, floruitque med. ſeculo XVIto. *Friſius* in Epit. Biblioth. Geſn. 6. *Kœnig* 686. & *Heydenus* in ep. dedicat. A 4.

Io. *Heydenus*, eyſlandrus dunenſis, rogatu Georgii *Corvini*, typographi francofurtenſis, ſuique hoſpitis, cui Reiſnerus deſcriptionem ſuam typis exprimendam commiſerat, hoc opus in ſe ſuſcepit, ut eam non modo latine redderet, ſed etiam inſigniter augeret, eo conſilio, ut omnibus prodeſſet, nemini fraudem faceret, florens eodem cum Reiſnero tempore, & illuſtri Io. Iac. *Fuggero*, cui librum ſuum dedicavit, notus, ac ſine dubio etiam carus.

XXXIX.

TERTVLLIANI Opera, cum notis Nicol. *Rigaltii* & variorum, nimirum Fran. *Zephyri*, Beati *Rhenani*, Gab. *Albaſpinæi*, Io. *Mercerii*, Cl. *Salmaſii*, Iac. *Pamelii*, Lud. *de la Cerda*, Io. *Wovverii*, & Phil. *Priorii*. Accedunt NOVATIANI tractatus de Trinitate, & Cibis iudaicis. Lutetiæ Pariſiorum 1664. De variis Tertulliani editionibus videantur *Morhof* Polyhiſt. l. 4. c. 14. *Du Pin* T. I. 105. & *Ittig* de Hæreſiarch. 247. Rhenanianam commendat *Colomeſius* 476. Optima autem inter Rhenanianas eſt tertia, impreſſa Baſileæ A. 1550. inter Pamelianas heidelbergenſis 1599. & inter Rigaltianas pariſina A. 1641. At *Crenius* T. I. Methodor. p. 328. huic præfert illam, quæ lucem adſpexit A. 1675. Noſtra hæc *Du Pinio* non adeo probatur: interim *Morhofius* eam habet pro nitidiſſima, Polyh. l. c. & Io. Alb. *Fabricius* Biblioth. lat. 727. nec non *Cave* Hiſt. liter. p. 43. pro optima; melior autem & correctior, notiſque Guid. *Pancirolli* inſtructa, exſpectatur ex Italia, prout refertur in Atrio nov. libror. T. III. 586. Editioni noſtræ præfixa ſunt ſequentia: *Priorii* diſſertatio, in qua Tertulliani Vita, opiniones, & errores expenduntur; Iudicium

Rigaltii

Rigaltii de Tertulliano & eius ſcriptis, deque variis eorum editionibus; Vita Tertulliani, auctore Iac. *Pamelio*: Paradoxa Tertulliani, cum antidoto *Pamelii*; Proverbiales formulæ, toto opere Tertulliani contentæ, brevibus ſcholiis illuſtratæ; & denique Series operum hoc volumine contentorum.

Scripta autem, quæ hic continentur, diſpeſci poſſunt in ea, quæ ante, & reliqua, quæ poſt ſuſceptum montaniſmum exaravit. Prioris generis ſunt XXVI. 1) Apologeticus, liber omnium Tertulliani, iudicibus *Ancillonio* in Melange crit. Part. II. 489. & *Crenio* Exercit. II. de libris ſcriptor. opt. 54. optimus, ſcriptus, uti *Pamelio* in Vita Tertulliani videtur, A. C. 200. In quo oſtendit, iniquiſſima eſſe rom. Imperii Procerum de ſecta chriſtianorum, deque inferenda iis perſecutione, iudicia. *Du Pin* T. I. p. 91. exiſtimat, eum in Africa ſcriptum, non Senatui romano, ſed proconſuli Africæ, & rectoribus provinciarum oblatum fuiſſe. 2) Ad nationes libri II. Hoc ſcriptum eiusdem cum priore argumenti eſt, ſique *Salmaſio* in Prolegom. ad Solinum p. 10. credimus, ex hisce libris correctis & emendatis natus eſt, mutato titulo, Apologeticus. 3) De Teſtimonio animæ. 201. Docet hoc libro, omnem animam merito ream eſſe & teſtem: in tantum & ream erroris, in quantum teſtis eſt veritatis, & ſtaturam ante oculos Dei in die iudicii, nihil habentem dicere. 4) Ad Scapulam. A. 202. Hunc Carthaginis, ſiue provinciæ, in qua Carthago erat, præſidem monet, ut ſibi parcat, & iram Dei non ipſe in ſe concitet ſævis chriſtianorum perſecutionibus. 5) De ſpectaculis. A. 205. Propoſitio eius hæc eſt: Voluptates ſpectaculorum ſtatum fidei adimere chriſtianis. 6) De idololatria. A. 205. Diſſerit de ampliſſima idololatriæ materia, h. e. quibus in rebus idololatria committatur, nempe non tantum eo, quod quis aut incendit, aut immolat, aut prælucet, aut ſacris aliquibus, vel ſacerdotiis obligatur, ſed & aliis tribus modis, 1. in factis & actionibus, 2. in verbis, 3. in factis & verbis ſimul. Ad primam ſpeciem refert artifices idolorum, aſtrologos, ludimagiſtros, & negotiatores. Ad ſecundam, nominare deos gentilium, ut deos, aut iurare *Mehercle*, *Medius fidius*, vel pati, ut te alius per deos ſuos obliget. Ad tertiam, quando aliquis ab ethnico pecuniam mutuans, iuramento per deos concepto ſubſcribit, & ita cavet. 7) De Corona. A. 208. Quæſtio libri eſt: An licitum & conceſſum ſit militibus

 chriſti-

Digitized by Google

chriſtianis, ſiue in genere chriſtianis geſtare coronas? Ubi autor negativam tenet. 8) De Pallio. A. 196. Eſt oratio poſt ſuſceptum chriſtianiſmum Carthagine habita. In qua differit de vetuſtate pallii & commodo eius uſu, ac oſtendere laborat, rationem ſe habuiſſe deponendi togam, ac ſumendi pallium. Tranſiit autem ad pallium, cum primum ασκησιν & ſtrictiorem diſciplinam profiteri cœpit, ſiue ante ſacerdos eſſet, ſiue tunc primo factus. *Ferrar.* de Re veſtiar. Part. II. p. 190. Etiam hunc libellum acri cenſuræ ſuppoſuit P. *Malebranche* dans la Recherche, ſicuti notat *Ancillon* part. II. du Melange crit. 489. Plura de eo vide apud *Cren.* differt. I. de libr. ſcript. p. 2. 9) De Pœnitentia. A. 201. Oſtendit, veram doctrinam de pœnitentia extra eccleſiam eſſe ignotam, chriſtianos vero eam peccatis adhibere, iisque tam corporalibus, quam ſpiritualibus: poſt conſecutam veniam non amplius indulgendum eſſe peccatis: primæ pœnitentiæ ſupereſſe adhuc aliam, nempe ſecundam, & hanc non ſola conſcientia præferri, ſed aliquo etiam actu adminiſtrari debere, actum vero hunc eſſe εξομολογησιν, qua delictum Domino noſtro confiteamur. *Scult.* 186. *Tertull.* p. 127. 10) De Oratione. A. 201. Libri huius tres ſunt partes, 1. Procemium, in quo commendat orationem dominicam a cauſa efficiente, quæ eſt chriſtianus, & a brevitate; qua tamen epitome euangelii continetur. 2. Explicatio orationis dominicæ. 3. Agit de quibusdam adiunctis orationis videlicet 1. Precaturi Deum, fratri non iraſcantur. 2. Sint vacui ab omni animi confuſione. 3. Item a ſuperſtitione de lotione manuum, de abiectione penularum, de ſciſſione poſt orationem. 4. Manus temperate ac probe eleventur. 5. Vultus non erigatur in audaciam. 6. Sonus vocis ſit ſubiectus. 7. Poſt orationem oſculum fratribus dandum, & ſtationes etiam ſacrificiorum (i. e. euchariſtiæ & ieiuniorum) orationibus interveniant. 11) Ad Martyras. A. 202. Hortatur confeſſores in carcere conſtitutos ad conſtantiam & concordiam mutuam. 12) De Patientia. A. 202. Sermo eſt paræneticus, hortans ad patientiam. 13) De cultu feminarum libri II. A. 205. Aliæ Tertulliani editiones librum unum de Habitu muliebri, alterum de cultu feminarum exhibebant; Rigaltius autem, eumque ſecutus editor noſter, vetuſtiſſimi exemplaris agobardini auctoritate moti, utrumque de cultu feminarum inſcripſerunt. Et in primo quidem libro Tertullianus dehortatur mulieres a

pom-

pompoſo & faſtuoſo habitu: in ſecundo hortatur feminas, ne ſtudeant fuco & nitori. 14) Ad uxorem libri 2. A. 206. In priore præcipit uxori ſuæ, ut poſt obitum ſuum nuptiis renunciet. In poſteriore docet, non eſſe nubendum viris gentilibus. 15) De Virginibus velandis. A. 210. Vbi oſtendit, virgines quoque chriſtianas, non ſolas mulieres, velari oportere. Per *virgines* autem intelligit non religioſas, quas moniales vocant, ſed ſeculares. *Scult.* Medull. Theol. patr. p. 187. 16) Adverſus iudæos. A. 199. Probat, legem Moſis eiusque cærimonias non niſi ad tempus obſervandas fuiſſe, & Meſſiam a iudæis exſpectatum, & a Prophetis prædictum veniſſe, ac eſſe I. Chriſtum. In *Scaligeranis* p. 219. ſcriptum hoc vili penditur. 17) De Præſcriptionibus hæreticorum. A.203. Qui liber ceteris Tertulliani ſcriptis palmam præripit, docens, hæreticis nihil eſſe cauſæ, cur ab eccleſia catholica deficerent, nulliusque momenti eſſe ea omnia, quæ ad ſententiæ ſuæ defenſionem prætexant, ac proinde ad eccleſiæ auctoritatem eſſe revocandos. Partes libri ſunt tres, nimimirum 1. Exordium, 2. Præſcriptiones hæreticorum adverſus eccleſiam, 3. Præſcriptiones eccleſiæ adverſus hæreticos. Vſurpat autem vocabulum *Præſcriptionum* iuxta normam Iuris civilis, in quo Præſcribere ſignificat *Excipere*, & Præſcriptio *Exceptionem*, qua nimirum aduerſarii accuſatio diſiicitur, aut in eum retorquetur. *Briſſon.* in Lexico Iuris, & *Scultet.* 153. at G. *Calixtus* de Arte noua Nihuſii 167. adhuc preſſius ſumit illud vocabulum, pro tali exceptione, quæ petitorem a limine iudicii ſubmoveat, eique facultatem agendi adimat: adeo, ut præſcriptio Tertulliani, per quam hæreticos diverſa a regula fidei docentes, & alia tradentes, quam Apoſtoli eccleſiis primitivis tradiderant, repellat, ut ne quidem, niſi ex abundanti, cum illis diſputationem inſtitui velit. Ceterum de *poſtremis libri capitibus*, quibus XXV. hæreſes recenſentur, notandum, ea alium quam Tertullianum auctorem habere, ut ex Chriſt. *Lupo* & Petro *Allixio* obſervat *Ittigius* in Diſſert. de hæreſiarchis ævi apoſtolici & apoſtolico proximi. Emendationem huius libri dedit C.A.H. ſeu C.A. *Heumannus*, quæ recenſetur in *Actis erud.* A. 1715. 299. & *Supplem.* Actor. erud. T. VI. 196. 18) De Baptiſmo. A. 204. Defendit baptiſmum aquæ, & plerasque explicat quæſtiones, quæ ſuo tempore de baptiſmo movebantur, videlicet, An baptiſmus Ioannis cœleſtis fuerit, vel terrenus? an neceſſa-

ceſſarius ſit baptiſmus? cur ſemel fiat? an ſingulis liceat adminiſtrare eum? quibus, & quando ſit conferendus? quæ præparatio ſit facienda baptiſmum ſuſcepturis? 19) Adverſus Hermogenem. A. 206. Huius ſententia, Deum omnia de aliquo, ſiue ex præcedente natura feciſſe, refutatur. 20) Adverſus Valentinianos. A. 206. Quorum figmenta de æonibus aliisque refutantur. Eſt autem hic liber potius ſatyra & irriſio, quam ſeria illorum errorum refutatio. *Du Pin* 98. 21) De Anima. A. 207. Continet varias quæſtiones de animæ humanæ eſſentia, operationibus, & adiunctis. 22) De Carne Chriſti. A. 208. Diſputat contra Marcionem & Apellem, animalis carnis defenſores, veræ carnis hoſtes, ac Valentinum. 23) De Reſurrectione carnis. A. 208. In quo 1. confirmat carnis reſurrectionem. 2. docet, qualia ſint futura reſurgentium corpora. 24) Aduerſus *Marcionem* libri V. A. 208. Duos is deos aſſerebat, unum Boni, alterum Mali auctorem: illum eſſe creatorem, hunc autem fuiſſe ante ſe (videl. Marcionem) ignotum. 25) Scorpiace. A. 209. Vbi adverſus Gnoſticos (nempe *Prodicum* Scorpiænum & alios Valentinianos, martyriorum refragatores) defendit martyrii neceſſitatem & utilitatem. *Scorpiace* autem inſcribitur hic liber, ſive, ut B. Hieronymus effert, *Scorpiacum*, cum propter prædictum Scorpiænum, Gnoſticorum non ultimum, tum quia remedium affert contra venenum Gnoſticorum, qui ſcorpionum in morem latenter ſimplicioribus imponebant, dicentes, Deum ſanguinem non ſitire, nec Chriſtum de morte noſtra ſalutem exſpectare. Nempe Tertulliano familiare erat, Gnoſticos appellare *Scorpios*. Vide *Bochart*. P. II. Hieroz. 643. 26) Adverſus Praxeam. A. 210. Ille delirabat, Deum patrem deſcendiſſe in virginem, ipſumque ex ea natum ac paſſum eſſe Ieſum Chriſtum.

Poſterioris generis libri, ſcripti videlicet a montaniſta, qui lapſus videtur contigiſſe A. 211. ſunt V. 1) De Exhortatione caſtitatis. A. 213. In quo abſolute damnat ſecundas nuptias, tanquam adulterinas. 2) De Monogamia. A. 213. Idem argumentum tractat. 3) De fuga in perſecutione. A. 212. Aſſerit, miniſtris in perſecutione non fugiendum, nec perſecutionem redimendam eſſe. 4) De ieiuniis. A. 215. Vbi laudat exceſſiva ieiunia Montaniſtarum, qui plures celebrabant quadrageſimas, & obſervabant ieiunia ſtationum, quaſi divinitus præcepta, eaque protrahebant usque in ve-

ſpe-

ſperam, non edentes niſi panem & fructus tempore ieiunii, nec bibentes niſi aquam. 5) De pudicitia. A. 216. Vbi contra eccleſiam probat, eam non habere poteſtatem remittendi peccata fornicationis & adulterii, & quod homines poſt baptiſmum lapſi non poſſint admitti ad communionem Eccleſiæ.

Pro diverſitate obiectorum poſſunt etiam ſcripta Tertulliani diſtingui in ea, quæ contra gentiles, & alia, quæ contra hæreticos, & rurſus alia, quæ de diſciplina & moribus ſunt exarata. *Du Pin* p. 93. Suppoſititiis ſcriptis accenſentur *Poëmata*, videl. adverſus Marcionem libri V. de Iudicio Domini, Geneſis, Sodoma. A. 198. Hinc incerti auctoris dicuntur eſſe in editione noſtra. Quibus adduntur Carmina de Iona & Ninive, quæ quidem *Voſſius* de poëtis lat. c. 4. & *Eſchenbach* de poëtis chriſt. ſacr. gr. & lat. p. 11. Tertulliani eſſe contendunt. Libri de *Corona*, *Virginibus velandis*, & *Baptiſmo*, iuxta *Caveum* in Hiſt. lit. græce ſcripti ſunt. Nam utriusque linguæ, græcæ & latinæ, peritus fuit Tertullianus, ac *Pamelio* in Vita Tertull. videtur ille obſcuritatem, quæ ſtilo ipſius ineſt, ex aſſidua ſcriptorum græcorum lectione hauſiſſe. Omnia eius opera (ſcribit *Du Pin* p. 104.) tribus his vitiis, duritiei videlicet, inelegantiæ ſtilique obſcuritati, obnoxia ſunt, alia tamen plus, alia minus. In polemicis libris planior & terſior, ſed minus comptus eſt; obſcurior vero & purior in locis communibus, ut in libro de Pallio, qui inter totius antiquitatis obſcuriſſimos libros cenſeri debet: omnium comptiſſimus eſt liber de pœnitentia. Præclariora eius opera & utiliora ſunt Apologeticus, & libri Præſcriptionum, de Pœnitentia, de Baptiſmo, de Oratione, cum Exhortatione ad patientiam & martyrium. Seorſum prodierunt liber de Præſcriptionibus, cum notis Chriſtiani *Lupi*, Apologeticus cum notis Deſid. *Heraldi*, liber de Pallio cum notis Theodori *Marcilii*, Emundi *Richerii*, Cl. *Salmaſii*, Io. Vlr. *Meureri*, & libri II. ad Nationes cum notis Iac. *Gothofredi*. De vita & ſcriptis Tertulliani egit etiam Pet. *Allix*, ſicut *de la Motte* dedit Hiſtoire de Tertullien & d'Origene, *Vivienus* Tertullianum prædicantem, & Georgius *Ambianas*, capucinus, tribus magnis voluminibus, Tertullianum redivivum.

Q. Septimius Florens *Tertullianus*, natus in Africa, patre centurione proconſularis officii, in provincia ad Carthaginem ſpectante,

te, e gentili, anno Chriſti præter propter 196. chriſtianus factus, antea rhetorices profeſſor & cauſſarum patronus, iuriſque adeo peritus, ſed cum *Tertyliano* tamen ICto minime confundendus. Circa mediam fere ætatem ad Montani hæreſin, quippe quæ ipſius genio conveniebat, (quis enim pro certo dicat, eum ex impatientia, & quod epiſcopatu carthaginienſi excluſus eſſet, religionem ſic mutaſſe?) ſeceſſit, in eaque, ut videtur, deceſſit circa annum Chriſti 220. In *Perronianis* p. 367. terribilis appellatur ſcriptor, quique non a quovis poſſit tractari. Ibidem recitantur peregrinæ quædam & peculiares eius voces & loquendi modi, ut *diſciplina* pro cultu, *fides* pro ſpeculatione, nec non pro fideli interpretatione, *regula* pro canonibus, *piſciculi* pro chriſtianis, *candidati baptiſmi* pro iis, qui iam ſunt baptizati. Hinc etiam *Schurzfleiſchius* Epp. arcan. T. I. 333. *Nemo*, ait, *ſine poëtis intelligat Tertulliani pleraſque dictiones.* Interim Ioſ. Iuſt. *Scaliger* eius lectionem quam maxime commendat, inquiens: *Tertullianus ſemper in manibus habendus, accurateque legendus eſt, tum propter linguæ romanæ proprietatem, tum propter diſciplinarum ac litterarum omnium cognitionem; fuit enim doctor omniſcius & argutus, qui illotis manibus tractandus non eſt, nec obiter legendus, ubique enim remoratur lectorem. Tertullianus certe excellentiſſimus auctor eſt in omnibus.* Plura iudicia evolventi ſuppeditabunt *Magirus* 773. *Blount* 178. *König* 796. R. *Simon* Hiſt. crit. N. T. part. III. c. 1. p. 10. Quibus adde *Calvinum* Inſtitut. l. 1. c. 13. ſect. 28. C. *Thomaſ.* in Cautelis circa hiſt. eccl. 99. 129. Ad errores eius & hæc pertinent: Eum, qui in euangelio *Lucæ* 2, 2. *Cyrenius* dicitur, *eſſe Sentium Saturninum*; Chriſtumque *vixiſſe annos* 47.

Fran. *Zephyrus*, florentinus, floruit ſec. XVIto, & Explicationem obſcurior. locorum in Pentateucho emiſit. Coloniæ A. 1572. 8.

Beatus (quam vocem, obſervante *Ancillonio* part. II. du Melange crit. 487. Gideon *Pontier*, presbyter & protonotarius, inſcite reddidit *Bienheureux*) *Rhenanus*, vero cognomine *Bildius*, (Rhenanus enim dictus fuit ad oppido Rhenaco, unde pater eius Seleſtadium conceſſerat) Seleſtadio-alſatus, in humanioribus litteris, antiquitate, & pia doctrina exercitatiſſimus, ingenii vir mitis, quique in cogitatione de conſtituenda ad omnium palatum religionis concordia conſenuit, ſed erga pauperes tenacior, (unde proverbium percrebuit: *Beatus eſt beatus, at tamen ſibi ſoli*) præterea de rebus

ger-

germanicis bene meritus, ſcripſit & Obſervationes in Plinium, Livium, Tacitum, nec non præfationem ſub Licentii *Euangelici* nomine in Marſilii de Menandrino Defenſorem pacis, denatus Argentinæ A. 1547. æt. 62. Melch. *Adam* in Vitis philoſ. 132. *König* 687. *Blount* 594. *Olearius* P. I. 138. At eius in Tertullianum notæ hac in editione ſunt caſtratæ.

Gabriel *Albaſpinaus*, epiſcopus aurelianenſis, ex legatione italica, ipſi a Præſulibus Lutetiæ Pariſiorum congregatis ad regem LVDOVICVM XIII. tum ad Alpes fulminantem impoſita, redux, obiit Gratianopoli A. 1630. Mortem ſuam non tantum ipſe præſenſit, ſed & eam annuntiavit, cum nulli homini quidquam de illa conſtaret, mendiculus aliquis, tuguriolum inhabitans, qua Aurelia itur Magdunum, quod eſt oppidulum 4. lapidibus diſtans ab Aurelia. Nihil de ſe commemorari poſt mortem voluit Albaſpinæus, præter miſericordiam in pauperes. Atque hæc excerpta ſunt ex *Narratione* de obitu Albaſpinæi, Obſervationibus eius præmiſſa: Fuit vir ſacræ antiquitatis peritiſſimus, pariterque ingenuus & candidus: quo nomine laudatur a Gerh. *Titio* de phraſib. vet. eccl. Dd. 158. *Pfannero* de chariſm. c. 2. Ioſ. *Arndio* de freq. commun. c. 5. p. 133. *Vſſerio* de Ignatii Epp. c. 6. p. 195. & *Helvvichio* de Ordinat. presbyter. 3.

Io. *Mercerius*, gallus, ICtus, diſtinguendus a Ioanne *Mercero*, uticenſi, regio ebraicarum litterarum profeſſore in urbe pariſienſi, floruit ſub finem ſeculi XVIti, nec tantum dedit Commentarium in Tertulliani librum de Pallio, verum etiam Lecturas in 3. priores titulos Digeſtorum de pignoribus & hypothecis, Opinionum & Obſervationum libros II. & Conciliatorem, ſeu artem conciliandi ea, quæ in iure contraria videntur, utendique eis, quæ vere contraria ſunt.

Claud. *Salmaſius*, divionenſis gallus, eruditorum ſui & aliorum temporum facile princeps, ſed pariter ambitioſus & maledicus, ſcripſit commentarios in Hiſtoriam auguſtam, Apparatum ſacrum, de Annis climactericis, de Vſuris, Defenſionem regiam pro Carolo I. (in qua tamen bonam cauſſam male, ſicut *Miltonus* e contrario malam bene defendit) librum de primatu Papæ, de Transſubſtantiatione, & alia, ſupremum diem obiens A. 1652. æt. 56. Poſt mortem, ipſo ſic iubente, multa eius ſcripta ab uxore combuſta

Digitized by Google

ſunt, quod in iis durius in viros doctos invectus fuiſſet. Neque tamen negari poteſt, fuiſſe eum doctiſſimum theologum, præclarum ICtum, exquiſitiſſimum medicum, excellentem philoſophum, admirabilem philologum, qui linguis ceteris europæis arabicam, ægyptiacam, perſicam, chinicam & indicam adiungere, diſcere, & tractare non dubitavit. De eo videantur, præter *Kœnigium* 716. *Magirum* 721. & *Blountum* 1025. *Colomeſius* p. 188. *Acta erudit* A. 1689. 245. *Conringiana* 74. *Ferrarius* de Re veſtiar. in præfat. P. II. & Oper. varior. T. I. 534. *Bœclerus* in Muſeo 38. 42. Io. *Vorſtius* in præfat. Hebraiſm. N. T. *Meurſius* in P. II. Epp. Voſſii p. 82. *Morhof* in Polyh. Io. *Arnd* in Goezii Elog. theologor. german. 207. *Slevogt* in Iudicio ſapient. 33. *Crenius* Animadverſ. philol. P. VII. 11. & de furib. librar. Diſſert. II. 61. I. Alb. *Fabricius* Biblioth. lat. 414. & R. *Simon* Biblioth. choiſ. T. I. 358.

Iac. *Pamelius*, brugenſis, Baronum ſtirpe oriundus, accepta in Iovanienſi lyceo theologiæ laurea factus canonicus & archipresbyter brugenſis, ac poſtea a PHILIPPO II. Hiſpan. rege ampliſſima Conventus S. Salvatoris præpoſitura ultraiectina donatus, deſignatusque epiſcopus audomaropolitanus, vir ſummus, utriusque linguæ, theologiæ & hiſtoriæ cognitione, omnique doctrinæ genere excellens, deque Cypriano æque ac Tertulliano bene meritus. Montibus Hannoniæ, (*Thuanus* ad A. 1587. Bruxellas nominat) quum eos tranſire vellet, morbo correptus animam efflavit A. 1587. æt. 52. Scripſit etiam Rituale SS. patrum. *Miraus* Elog. belg. 19. *Kœnig* 602. *Blount* 779. I. F. *Mayer* Biblioth. bibl. 12.

Nicol. *Rigaltius*, pariſienſis, regius in Mediomatricum Senatu conſiliarius, regiæque cuſtos bibliothecæ, edidit obſervationes & notas in auctores Finium regundorum, in Martialem, Phædrum, Onoſandrum, Artemidorum & Iulianum, Gloſſarium tacticum μιξοβαρβαρον, obiitque ſenex A. 1652. *Kœnig* 692. *Magirus* 708. *Blount* 984. *Crenius* Diſſert. II. de furib. librar. 59. De eius editione tertullianea *Grotius* ſic ſcribit ad Pet. Puteanum: *Editio eſt elegans, nota breves, ſed exacti iudicii, & interſperſa libertate, prafationes nitida & culta.*

Io. Ludov. *de la Cerda*, toletanus, S. I. Eloqu. & poët. in Carpentanis per 50. annos profeſſor, reliquit Commentarios in Virgilium, Adverſaria ſacra, quibus fax præfertur ad intelligentiam

mul-

multorum ſcriptorum ſacrorum, Pſalterium Salomonis græco-latinum cum Scholiis, librum de Excellentia cœleſtium ſpirituum, præſertim de angeli cuſtodis miniſterio, *Calepini* Supplementum ex gloſſis Iſidori, vita defunctus A. 1643. æt. 81. *Kœnig* 182. *Witte* Diar. biogr. Rr 3. *Crenius* Diſſert. I. de furib. librar. 45.

Io. *Wovverus*, hamburgenſis, diſtinguendus a cognomini antverpiano, Comitis emdani primum, deinde etiam Ducis Holſatiæ conſiliarius, ac præfectus arci gottorpianæ, ſcripſit Notas in Sidonium Apollinarem, & Apuleium: libellum de Vmbra, & alia, obiitque A. 1612. æt. 38. *Witte* Diar. biograph. I 4. & in Vitis philoſ. 79. I. *Moller* de homon. 733. *Kœnig* 874. *Morhof* Polyh. l. I. c. 1. n. 19. & c. 24. n. 78. *Rigaltius* in Iudicio de Tertulliano & eius ſcriptis, Wowerii Notas, quibus illum ſtuduit illuſtrare, vocat apodicticas.

Phil. *Priorius*, gallice *Le Prieur*, theologus gallicus, florens medio ſæculo XVIImo, impugnavit Peyrerium de Præadamitis.

In NOVATIANI tractatu ſeu libro de Trinitate docetur ex regula fidei, h. e. Symbolo apoſtolorum, credendum eſſe in Deum patrem, Filium & Spiritum S. diſputatur etiam contra Sabellium, oſtendendo, alium eſſe Patrem, alium Filium. *Petavius* vero auctorem hunc iis accenſet, qui idem quod Arius ante tradiderint. *Sand.* l. 1. Enucl. hiſt. eccleſ. p. 111. Epiſtolæ de Cibis iudaicis contenta hæc ſunt: Primum hominum cibum fuiſſe fructum arborum, poſtea uſum carnis acceſſiſſe, legem autem ſubſecutam cibos carnis cum diſcretione diſpoſuiſſe, & quædam animalia quaſi immunda interdixiſſe, non quod immunda revera, cum Dei eſſent creaturæ, ſed duas ob cauſſas, 1. ut in animalibus mores depingerentur humani, & actus ac voluntates, e. g. in ſuibus vita turpis & carnalis, in muſtela furta, in lacerta vitæ incerta varietas, in corvo verſutæ voluptates, in paſſere intemperantia. 2. ut ita in populo iudaico intemperantia coërceretur: ſed iam, cum Chriſtus venerit, prohibitiones iſtas per libertatem euangelicam ſublatas eſſe, dummodo ſervetur frugalitas & temperantia.

Novatianus, ex ſtoico philoſopho chriſtianus, baptizatus clinicus, eccleſiæ rom. presbyter, poſt mortem Fabiani tremendis quidem ſacramentis ſe obſtrinxit, longe a ſe abeſſe, ut epiſcopatum deſideraret, ſed videns, Cornelium ad ſublime eius faſtigium ele-

ſtum & evectum eſſe, quod factum A. 251. adeo inhiavit illi dignitati, ut a tribus Italiæ epiſcopis ad ſe vocatis conſecrandum ſe curaret, & in religionem ſubiectionis ſibimet, non Cornelio, præſtandæ homines ſub euchariſtiæ ſacræ pignore vocaret. Tranſiit etiam in ſententiam *Novati*, presbyteri carthaginienſis, ſtatuentis, lapſos pœnitentes ad eccleſiæ pacem nunquam eſſe admittendos. Atque adeo ab ipſo orti ſunt *Novatiani* ſeu Cathari, *Novatianani* potius, niſi uſus loquendi obſtaret, dicendi. *Fabricius* Syſtem. theol. 544. Scripſit ante ſchiſma, Cleri romani nomine, epiſtolam ad Cyprianum, quæ inter cyprianicas eſt XXXma, poſt ſchiſma vero librum de Trinitate, & epiſtolam de cibis iudaicis, ſi modo, ut *Cave* addit, illius ſit, & alia; ſed quæ perierunt. De morte eius non conſtat. *Cyprianus* autem epiſt. 67. ad Cornelium inuehitur in eum, vocatque deſertorem eccleſiæ, miſericordiæ hoſtem, interfectorem pœnitentiæ, doctorem ſuperbiæ, veritatis corruptorem, perditorem caritatis. *Olear.* P. II. 35. *Cave* 66.

XL.

CYPRIANI opera, cum notis *Rigaltii*, *Pamelii*, & *Priorii*. Pariſiis 1666. Quæ editio laudatur a *Cave* P. I. 65. Sunt & aliæ, nimirum vetus, quæ ſtatim poſt inventam typographiam, ſine nomine typographi, loci impreſſionis & anni prodiit; pro correctiſſima autem habetur Eraſmiana Baſileæ A. 1520. 1525. 1558. Pameliana Antverpiæ 1568. 1589. & Rigaltiana 1648. Correctiorem prioribus, exactiorem, & ampliorem, Annalibusque cyprianicis Io. (*Pearſoni*) epiſcopi ceſtrienſis, illuſtratam, produxit Io. (*Fell*) epiſcopus oxonienſis: quæ editio recuſa fuit Bremæ A. 1690. Eadem Cypriani opera cum Henr. *Dodvvelli* Diſſertationibus cyprianicis Amſtelodami typis exſcripta ſunt A. 1699. quæ editio recenſetur in *Actis erud.* A. 1683. p. 43. & commendatur a Io. Alb. *Fabricio* Biblioth. lat. 728. *Baluzius* novam dicitur moliri editionem. Cavendum autem ab editionibus *Gryphii* & *Morelli*, quippe quæ, ut *Hottinger* refert Bibliothecar. p. 72, ſunt caſtratæ; item ab illa pariſienſi, quam dedit Arnulphus *l' Angelier*, cui quædam addita, quæ non ſunt Cypriani, teſte *Pamelio* in Cenſura contra Dd. Sorbon. apud *Cave* p. 65.

Noſtræ editioni ſequentia præmittuntur: De Cypriani ſcriptis

Digitized by Google

ptis Io. *Trithemii* teſtimonium: Obſervatio (*Rigaltii*) galeata: Vita Cypriani per *Pontium* eius diaconum: Actus paſſionis Cypriani, cuius ipſe Pontius meminit: Eiusdem paſſio ex veteri cod. MSto: Eadem ex MSto S. *Victoris*: Vita Cypriani per D. *Hieronymum* ex catalogo virorum illuſtrium: Paſſio Cypriani deſcripta ab Aur. *Prudentio*: Sermo *Augustini* de S. Cypriano martyre: Paſſio Cypriani per *Paulum* diaconum: *Ennodii* hymnus de S. Cypriano: *Agobardi* carmen de translatis Lugdunum reliquiis SS. martyrum, Cypriani, Sperati, & Pantaleonis: De earundem translatione ad eccleſiam rothnacenſem in Belgio epiſtola Io. *de la Haye*: Vita Cypriani ex ipſius ſcriptis collecta per Iac. *Pamelium*: & Indices. Subiunguntur autem M. MINVCII Felicis Octavius de idolorum vanitate, cum notis *Wovveri*, *Elmenhorſtii*, *Heraldi*, *Rigaltii*, *Ouzelii* & *Prioris*. ARNOBII adverſus gentes libri VII. cum notis *Canteri*, *Elmenhorſtii*, *Heraldi*, *Stevvechii* & *Priorii*: Iul. FIRMICI Materni liber de errore profanarum religionum, cum notis *Wovveri*: & COMMODIANI Inſtructiones adverſus gentium deos, cum notis *Rigaltii*.

Opera Cypriani conſtant Epiſtolis & Tractatibus. Vna epiſtola ſcripta eſt ſtatim a baptiſmo, aliæ in ſeceſſu, aliæ ſub pontificatu CORNELII & LVCII, aliæ in pace eccleſiæ, aliæ ſub pontificatu STEPHANI & de baptizandis hæreticis, aliæ in exilio & ſub finem vitæ. Tractatus ſunt ſeqq. 1) de Diſciplina & habitu virginum, ſcriptus, iuxta epiſcopum oxon. i. e. Io. *Fellum*, (cuius ſententiam & in ſeqq. tractatibus, attamen ſine nominis repetitione, afferemus) A. C. 248. Partes eius ſunt III. in prima confirmatur hæc theſis, Virgines a terreno cultu & ornamentis debere abſtinere: in ſecunda hortatur virgines, ne ceruſſa novum corpori colorem inducant: ne celebrent lavacra cum viris, & ne illæ, quibus non eſt animus nubendi, interſint nuptiis: in tertia celebrat virginitatem ab adiunctis, quod a malo ſit libera, h. e. quod non pariat cum gemitu, & in hac vita eius boni ſit particeps, quod in vita æterna alii ſunt ſenſuri. Et notandum, *diſciplina* vocabulum a Cypriano hic adhibitum fuiſſe pro ſevera vivendi ratione. Vide notas *Priorii* & *Pameli*, p. 162. 2) de Lapſis. A. 251. Hic ſermo 4. habet capita: In primo lætandum eſſe ait & gratias agendas Deo pro reſtituta (per Decii mortem) pace, proque martyrum conſtantia,

 quo-

quorum præclarum texit elogium: in ſecundo deplorat nonnullorum defectionem: in tertio invehitur in eos, qui temere lapſos recipiebant: in quarto hortatur lapſos ad pœnitentiam, propoſitis recentibus aliquot exemplis punitæ in hac quoqae vita *ἀποςασιας*. *Rufinus* librum hunc magnificentiſſime ſcriptum eſſe perhibet. 3) de Vnitate eccleſiæ, vulgo, de Simplicitate prælatorum. A. 251. Scriptus eſt hic liber contra *Novatum* & *Novatianum*, quod ſub prætextu ſingularis ſanctitatis, & quaſi diſciplina eccleſiaſtica diſſoluta eſſet, ſchiſma feciſſent. Monet igitur piiſſimus auctor, iungendam eſſe cum ſimplicitate prudentiam, & cavendum a fraudibus ſatanæ, quas ſtruit per hæreſes & ſchiſmata: probat, eccleſiam I. Chriſti eſſentialiter unam eſſe, & eos, qui inde receſſerunt, hortatur ad reditum. Librum hunc, ad ſtabiliendum Petri primatum, interpolatum & corruptum eſſe, obſervat *Gerb.* Patrol. p. 165. Io *Forbeſius* Iren. 265. G. *Calixtus* Introduct. in lection. huius libri 157. *Carpzov.* Iſag. 818. *Cave* in Prolegom. Hiſt. liter. 13. *Du Pin* H. D. E. 308. 314. & *Sandius* Nucl. hiſt. eccl. 40. Immo *Pearſonus* eum Cypriano abiudicat, & vel *Origeni*, vel *Gaudentio* brixiano, vel alii recentioris ævi, quo lis illa in occidente maxime fervebat, ſcriptori tribuit, in præfat. in Opera Cypriani. 4) de Oratione dominica A. 252. VII. ſunt partes huius ſermonis. Prima continet commendationem Orationis dominicæ ab autore & effectis: Secunda docet, qualiter ad Deum accedere debeamus, nimirum cum diſciplina, in ſecretis locis, ſpiritu, non clamore, & fiducia miſericordiæ divinæ: Tertia, quid oremus, atque h. l. explicatur Oratio dominica: Quarta de veritate precum: Quinta, quomodo mens hominis debeat eſſe compoſita inter orandum: Sexta de neceſſario precum adiuncto, nempe caritate: Septima de tempore orandi, quod quævis hora chriſtianis conveniens ſit ad orandum. 5) Ad Demetrianum, iudicem Africæ, A. 253. Reſpondet in hoc tractatu accuſationi gentilium, atque oſtendit, chriſtianis calamitates, quibus tunc mundus urgebatur, videlicet bella, peſtem, famem, non eſſe imputandas. 6) De idolorum vanitate. A. 247. Docet, idola non eſſe deos, unum autem eſſe omnium Dominum ac Deum, & ſalutem per I. C. datam eſſe, quem iudæi ſpreverint. 7) de Mortalitate. A. 252. In hoc ſermone docet, homini chriſtiano, invaleſcente peſte, nec mortem perimeſcendam, nec ſupra modum mortuos deflendos eſſe. 8) De Opere

pere

pere & eleemoſynis. A. 254. Intelligit vocabulo *Operis* opera iuſtitiæ & miſericordiæ, hortaturus chriſtianos ad eleemoſynam & miſericordiæ officia, eaque & neceſſaria & utilia eſſe probat. 9) De Bono patientiæ. A. 255. Oſtendit in hoc ſermone, chriſtianos, præ philoſophis patientiæ ſtudere debere, eiusque utilitates explicat. 10) de Zelo & livore. A. 256. In hoc ſermone dehortatur ab invidia, tanquam ſcaturigine omnis mali, & e contrario hortatur ad caritatem. 11) Ad *Fortunatum* de Exhortatione ad martyrium. A. 252. Agitur in hoc libello de nomine Ieſu Chriſti generoſe confitendo, & ſuſtinendis fortiter perſecutionibus. *Fortunatus* autem ille erat epiſcopus Africæ, juxta *Pamelii* notam p. 233. Et Marianus quidem *Victorius* eum Hilario tribuit. *Placc.* 210. 12) Teſtimoniorum libri III. ad Quirinum, contra iudæos. Sunt hi libri collectio quædam dictorum ſcripturæ, & potiſſimum quidem V.T. de diverſis materiis. Nam in primo libro afferuntur ſcripturæ dicta, quæ probant, legem iudæis ad tempus duntaxat datam fuiſſe, eamque debuiſſe aboleri, ac iudæos reiici, I. Chriſtum autem debuiſſe exſtruere novum templum, ac inſtituere nova ſacrificia, & novum ſacerdotium, & gentiles in ipſum debere credere, ac per ipſum impetrare remiſſionem peccatorum. In ſecundo agitur de myſterio incarnationis Chriſti. Vterque ſcriptus eſt A. 248. In tertio tractatur de diſciplina chriſtiana, ſeu moralis doctrina chriſtianorum deſcribitur. Atque hic liber poſt illos duos priores ſcriptus eſt, videl. A. 249. nec proprie ad eos ſpectat. *Du Pin* Tom. I. 167. 13) *Concilium carthaginienſe* de baptizanids hæreticis. Habitum A. 256. In quo proponitur erronea Cypriani ſententia de baptizandis denuo illis, qui ab hæretico erant baptizati.

Cypriano etiam ſequentia opera adſcribuntur, ſed falſo: De Spectaculis: de Diſciplina & bono pudicitiæ; (cuius auctor, ſi Eraſmo credendum, eſt CORNELIVS Papa. *Placc.* 210.) de laude martyrii: ad Novatianum, quod lapſis ſpes veniæ non ſit neganda: de Cardinalibus operibus Chriſti: (quod ſcriptum creditur eſſe *Arnoldi* abbatis Bonævallis *Placc.* 210.) de Aleatoribus: de montibus Sina & Sion, contra iudæos: Carmina tria, videlicet de Geneſi, Sodoma, & ad Senatorem apoſtatam: (quæ partim Tertulliano, partim *Victorio* pictavienſi tribuenda) Hymnus de paſcha Domini: Oratio pro martyribus: Oratio, quam dixit Cyprianus in die paſſionis

Digitized by Google

ſionis ſuæ: liber de Singularitate clericorum: (qui nec Origenis eſt, nec Rufini. *Placc.* l.c.) In Symbolum apoſtolicum expoſitio: (quæ eſt *Rufini*) de Iudaica incredulitate: adverſus iudæos, qui inſecuti ſunt Chriſtum: de Revelatione capitis B. Io. baptiſtæ: (ſcriptum eſt fabulis refertiſſimum. *Strauch* Amœn. iur. canon. 162.) de Duplici martyrio: (qui tractatus fruſtra imputatur Eraſmo. *Placc.* l.c.) de *XII.* abuſionibus ſeculi. (Eſt ſive *Errardi*, ſ. *Io. Climaci*, *Placc.* ib.) Diſpoſitio cœnæ. Quæ tamen, iudice *Caſaub.* Exercit. XVI. p. 454. & 469. non indigna Cypriano. Ceterum vid. *Bellarm.* de ſcriptor. eccleſ. p. 47. *Cocus* 139. *Rivetus* l. 2. c. 15. *Gerhard.* Patrol. 166. *Hülſemann.* Patrol. c. 3. §. 28. *Du Pin* 172. Immo Oratio pro martyribus, Oratio, quam, uti fama fert, Cyprianus dixit in die paſſionis ſuæ, nec non liber de Revelatione capitis S. Ioannis baptiſtæ, ac Diſpoſitio cœnæ, *epiſcopi oxoniensis* iudicio a bonarum litterarum finibus ableganda ſunt, nugarum refertiſſimæ ſarcinæ. Neque etiam omnia Cypriani ſcripta ad nos pervenerunt, quantum ex *Lactantii* l. 5. Inſtit. & *Hieronymi* epiſtola ad Paulinum conſtat. Pamelius primus fuit, qui epiſtolas Cypriani collocavit ſecundum ordinem temporis, diſtribuens eas in V. claſſes, ſed parum accuratus fuit in diſponendis cuiusque claſſis iuxta ordinem ſuum naturalem epiſtolis.

Octavius *Minucii Felicis* nomen ſuum habet ab altero collocutorum: eſt enim hoc ſcriptum dialogus inter chriſtianum Octavium, & ethnicum Cæcilium; quorum hic prætendit, non eſſe anxie inquirendum in religionem: antiquam retinendam, novam autem (ita vocat chriſtianam) repudiandam eſſe. Iſtum contubernalem ſuum refutat & inſtruit Octavius chriſtianus. Scriptum eſt perelegans, in quo auctor gentilium ſcripturarum, ut *Hieronymus* loquitur, nihil intactum reliquit. Genus dicendi, iudice Fran. *Balduino* in præfat. eſt argutum, acre, vehemens: eſt preſſum, denſum, nervoſum, crebris ſententiis compactum, omniumque antiquitatum atque hiſtoriarum memoria refertum. Olim hic liber habebatur pro octavo Arnobii, primus autem vero eum auctori ſuo vindicavit & reſtituit Fran. *Balduinus.* Octavio noſtro præmittitur *Rigaltii* præfat. de variis Octavii minuciani editionibus, veterum de præſenti auctore Teſtimonia, & Prolegomena *Balduini* de perſona & officio Minucii, deque libri contentis. Atque hæc noſtra cum variorum notis editio, fatente *Du Pin* p. 119. eſt omnium præſtantiſſima.

tiſſima. Poſtea prodiit Octavius ex iterata Io. *Daviſii* editione cum ipſius & Heraldi ac Rigaltii notis integris, nec non ſelectis aliorum, Cantabrigiæ 1712. 4. de qua vid. *Clerici* Biblioth. choiſ. T. XXIV. 121. *Acta erud.* A. 1713. 139. & T. IV. *Supplem.* Act. erud. 422. Cui daviſianæ editioni, eiusque a Clerico factæ recenſioni oppoſuit anonymus quidam, quem collectores Actor. erud. ſuſpicantur eſſe Iac. *Gronovium*, Ludibria maleuola Clerici. Vide *Acta* l. c. Idemque *Gronovius* edidit ipſe Minucium Lugduni Batauorum A. 1709. 8. mai. de quo vide T. IV. *Supplem.* Actor. dictor. p. 426. Eidem auctori antea Chriſtoph. etiam *Cellarius* operam impendit ſuam, emittens Octavium Minucii, nec non Cypriani de vanitate idolorum librum cum notis ſuis, Halæ Saxonum A. 1699. 8.

M. *Minucius* Felix, gente, ut videtur, afer, claruit ſub initium ſeculi III. nec ignobilem inter cauſidicos romanos locum tenuit, doctrina tamen & pietate chriſtiana longe nobilior. *Kœnig* 542. *Magirus* 595. *Blount* 189. *Olearius* P. I. 490. *Cave* P. I. 48. *Cren.* diſſert. I. de furib. librar. 82.

In *Arnobii* libris VII. adverſus gentes religio ethnicorum magna ſolertia oppugnatur, & hæc quidem oppugnatur felicius, quam chriſtiana defenditur: cuius rei hæc eſt cauſſa, quod auctor eo, quo ſcribebat, tempore non ſatis recte in dogmatibus chriſtianis erat confirmatus; unde non mirum, ſi quæ dogmata irrepſerunt non plane catholica, quæ tamen homini catechumeno, immo ne quidem adhuc catechumeno, condonanda ſunt. Stilus auctoris eſt quidem africanus & tumidus, non tamen prorſus reiiciendus, cum ei non deſit eloquentia & dictio florens, neque etiam libro concinna & bene ordinata methodus. Editio hæc noſtra laudatur a *Cave* P. I. 180. & *Morhofio* Polyh. l. 4. c. 14. n. 10. miratur autem *Labbeus*, cur neque hic, neque in alia Arnobii editione, additus ſit Io. *Meurſii* Criticus arnobianus cum Hypercritico minuciano. *Crenio* T. I. Method. 329. præ aliis placet editio lugdun. batava A. 1651. 4. ex qua hæc noſtra, quod notabis, formata eſt.

Arnobius, gente afer, claruit initio ſeculi IVti & rhetoricam docuit Siccæ, in mediterranea Africæ urbe, inter diſcipulos ſuos etiam habens *Lactantium*; ſomniis autem admonitus, ut religionem chriſtianam amplecteretur, baptiſmum ab epiſcopo impetrare nequivit, donec edito adverſus gentiles ſcripto, veluti certiſſimo pigno-

pignore, fidei ſuæ ſinceritatem teſtaretur. Hinc igitur ei nati ſunt VII. iſti libri, quibus quaſi gradibus in eccleſiam chriſtianam aſcendit, a *Clemente* alexandrino multa fere ad verbum mutuatus; quod factum circa annum Chriſti 303. Cumque ille nihil aliud ſcripſerit quam libros memoratos, ideo Commentarios breves in pſalmorum volumen non eius eſſe, ſed alterius (*Arnobii* videlicet *iunioris*, qui ſeculo vixit Vto) facile conſtare poteſt. Fuit Minucii diſcipulus & imitator. *König* 63. *Magirus* 83. *Blount* 213. *Olearius* P. I. 79. *Cave* P. I. 80. *Cren.* de ſingular. ſcriptor. 31. & T. I. Methodor. 533. *Cuiacius*, uti Patiniana memorant p. 130. didicebat, nullum ſe librum legiſſe, e quo non aliquid didicerit, præter Arnobium in pſalmos. Adeo ieiunus hic ei videbatur commentarius.

Iulius *Firmicus* Maternus in libro de Errore profanarum religionum CONSTANTIO & CONSTANTI Augg. nuncupato, erudite, (ut verbis utar *Cavei* P. I. 110.) gnaviter, & ingenti plane zelo cauſſam chriſtianam agit adverſus gentiles, quos ad fidem Chriſti amplectendam vehementer cohortatur, ipſisque Impp. ſtimulos admovet ad exſtirpanda prorſus gentilium ſacra. Scriptus eſt hic liber inter annum 340. & 350. nam CONSTANTIVS, fratrum natu maximus, obiit A. 340. & CONSTANS a Magnentio occiſus fuit A. 350. Eſtque valde elegans & plenus profundiſſima eruditione. *Du Pin* T. I. 212.

Iul. (aliis Villius) *Firmicus* Maternus, ſiculus, in codicibus *Vir clariſſimus* dictus, morum vir probatiſſimorum, relictis patrociniis forenſibus, in ſenectute fidem chriſtianam A. C. 336. vel huic proximo amplexus eſt. Non nunquam temere ab aliis diſſernit, & antiquorum ſcripta negligentius legiſſe deprehenditur. Et ſi titulum habuit *viri conſularis*, ille non niſi honorarius fuit; neque enim vel conſul fuit unquam, vel prouinciam adminiſtrauit. Eidem *Labbeus*, *Olearius*, *Königius* & *Cave* Aſtronomicorum libros IIX. diſſentientibus licet Baronio, Poſſevino, Simlero & Miræo, tribuunt, quos ille ſcripſerit adhuc gentilis. Ceterum de ipſomet Firmico videantur *Kœnig* 305. *Magirus* 351. *Cave* P. I. 110. & I. Alb. *Fabricius* Biblioth. lat. 562. Obſervat autem *Reineſius* in Epp. ad Boſium p. 176. Firmicum librum IIX. ſuæ matheſeos e quinto Manilii compilaſſe, etiam *αυτας* eius λεξεις adhibendo, illum tamen nusquam nominaſſe, contentum ſolum laudaſſe *Aratum*, huiusque interpretes *Cæſarem* & *Ciceronem*.

Commo-

Commodiani Inſtructiones aduerſus gentium deos, ſcriptæ ſunt tempore SYLVESTRI pontificis romani, ſub CONSTANTINO M. mediocri ſermone, quaſi verſu, ita ut ſingulæ lineæ ſint acroſtichæ. Stilus admodum barbarus & durus eſt. Poteſt liber diſtribui tres in partes, quarum prima gentiles, & ſecunda iudæi, oſtenſa falſitate & abſurditate religionis ipſorum, ad ſuſcipiendam religionem chriſtianam vocantur & admonentur, in tertia autem chriſtianis moralis doctrina traditur, & ſeculum illud malis moribus depravatum graviter taxatur. A *Sirmondo* liber hic e tenebris extractus, ac poſtea a *Rigaltio*, uti iam diximus, notis ornatus & illuſtratus eſt. Eundem edidere H. L. *Schurzfleiſchius* & Io. *Daviſius*; ſed hic illius Obſervationum non meminit, neque etiam Supplementorum, quæ ex bibliotheca illuſtris Spanhemii, & ingenio Maturini *Veiſſerii* la Croze ab eodem Schurzfleiſchio A. 1709. Wittebergæ ſunt edita; notas autem ipſe Daviſius rigaltianis in Commodianum pauculas inſeruit. *Acta erud* A. 1713. 139.

Commodianus, ortu & cultu ethnicus, poſtea chriſtianus, in Italia vixit, & ut videtur Romæ, ubi etiam fuerit natus, Conſtantini M. ætate, tempore Concilii nicæni, ac per multa ſæcula fuit ignotus. *Gazeum* ſe vocat, fortaſſe quod ex gaza ſtipem accepit, ut qui ſe etiam *mendicum Chriſti* appellat. *Cave* P. I. 105. *Olear*. P. I. 175. *Du Pin* T. I. 210.

Thaſcius Cæcilius *Cyprianus*, carthaginienſis, nobili genere ortus, Senator & rhetor, (diſtinguendus ab aliis cognominibus, ut Nicomedienſi, qui Nicomediæ cum Iuſtina paſſus eſt, Vnizitirenſi, qui in Africa antiſtes & martyr fuit, Pictauienſi, & Abbate Petragorio) maiorem vitæ partem in ethnica idololatria transegit, magnam ſibi gloriam, (quæ ipſius ſunt verba p. 2.) opes, honores acquirens, epularibus cœnis & largis dapibus aſſuetus, pretioſa veſte conſpicuus, auro atque purpura fulgens, faſcibus oblectatus & honoribus, ſtipatus clientium cuneis, frequentiore comitatu officioſi agminis cohoneſtatus, donec mediante *Cæcilio* presbytero carthaginienſi (cuius nomen, honoris & gratitudinis ergo, in locum Thaſcii aſſumſit) a ſeculari errore ad fidem Chriſti A. C. 246. tranſiit. Exeunte anno 247. factus eſt presbyter, annoque inſequente & iam adulto, plebe efflagitante ac pene rapiente, ipſomet vero humiliter renitente, epiſcopus, in qua dignitate duas coëgit ſynodos, unam-

unamque & alteram perſecutionem expertus, atque in exilium miſſus, donec inde revocaretur, & A. 258. 18. Kal. Octobr. in agro Sexti caput amitteret, proconſule *Galerio Maximo* decretum iſthoc ferale, *Thaſcium Cyprianum gladio animadverti placet*, ex tabella recitante. Neophytus factus bona ſua vendidit, & in pauperum uſus erogavit, *Tertulliani*, tanquam magiſtri ſui, (hunc enim intelligebat, quando eius librum ad legendum deſiderans, notario ſuo fere quotidie dixit, *Da magiſtrum*) & *Minucii* Felicis, e quo plurima ad verbum depromſit, æmulus; quanquam eum Tertulliani nimis ſtudioſum fuiſſe putet & ſcribat *Chemnitius* in Exam. concil. trid. de Tradition. p. 84. Primus fuit, uti *Lactantius* obſervat, inter patres latinos, qui vere fuerit eloquens: erat enim ingenio facili, copioſo, ſuavi, &, quæ ſermonis maxima eſt virtus, aperto, ut diſcernere nequeas, ornatiorne in eloquendo, an facilior in explicando, potentiorve in perſuadendo fuerit. *Neque alium video*, (inquit *Eraſmus* ep. 430. p. 446. idque repetit ep. 448. p. 479.) *inter eos, qui latine ſcripſerunt, qui ad apoſtolici pectoris vigorem propius accedat. Vbique ſentias loqui paſtorem, ac martyrio deſtinatum.* Hinc etiam dubitare incipit, an non eum B. Hieronymo debeat anteponere. Aliquid tamen, prout *Crenio* de Singular. ſcript. 103. videtur, de genio africano retinuit. Neque vero ante converſionem magicis præſtigiis, ut per errorem ei imputat *Gregorius nazianz.* confundens eum cum Nicomedienſi, ſed ſemper bonis artibus ac ſtudiis deditus fuit, eisque ad pietatem chriſtianam, cuius magiſter evaſit, gradum Deo fauente ſtruxit. *König* 231. *Magirus* 257. *Blount* 201. *Olearius* P. I. 186. *Cave* P. I. 63. *Du Pin* T. I. 152. *Clericus* in Vita Cypriani (Bibl. univ. T. XII. 209.) *Thomaſ.* in Cautel. c. h. e. 143. In hoc etiam patribus ceteris, *Spizelii* iudicio in Infel. liter. 968, felicior fuit, quod, cum horum voluminibus multa inſperſa ſint lectu prorſus indigna, ipſi nihil niſi doctum adſcriptum ſit, & a magnis viris profectum. Verba & vocabula Cypriano peculiaria collegit, & in editione ſua exhibuit *Eraſmus* Roterdamus. Talia ſunt: *Abſtinere* pro excommunicare: *apoſtatare* pro deficere a fide: *accerſitio* pro mors: *commeatus* pro liberatio ex carcere: *dedicare* pro incipere: *exambire* pro ita ambire, ut impetremus: *exceſſus* pro mors: *exponere* pro deponere, exuere: *iſthic* pro hic: *illic* pro iſthic: *remiſſa* pro remiſſio: *ſacrificati* pro ſacrificantes:

ſe & *ſui* pro ipſe & ipſius: *ſubitare* pro ſubito opprimere: *ſtudentes fabulæ* pro docta colloquia.

Magnus Felix *Ennodius*, ligur, illuſtri ac proconſulari familia ortus, diaconus primum ticinenſis, deinde romanus, denique A. 511. vel paulo poſt ad epiſcopatum ticinenſem evectus, ab HORMISDA papa ad ANASTASIVM Imp. orthodoxæ fidei defendendæ cauſa bis legatus, ſed ab hoc, quia nullis ſiue minis ſiue pollicitationibus ad ipſius nutum flecti poterat, ludibrio habitus, navigioque carioſo impoſitus, ad inſtar exulis domum remiſſus eſt, ubi vitam caducam finivit A. 1521. ær. 48. Reliquit Epiſtolarum libros IX. Panegyricum THEODORICO Oſtrogothorum regi dictum: libellum apologeticum pro Synodo palmari: Præceptum de Cellulanis epiſcoporum: Poëmata atque Epigrammata, & alia. Scripta eius Andr. *Schottus* emendavit, illuſtravit, & edidit Tornaci 1610. & Iac. *Sirmondus* cum notis, Pariſiis 1611. *Kœnig* 273. *Cave* P. I. 276. *Olearius* P. I. 222. Difficilis eſt ſcriptor, ſententiis denſus, exactæque mentis; unde propter intricatam obſcuritatem *Innodium* vocandum cenſet *Arnulphus* Lexov. Epiſt. p. 54. Bernardo *Sacco* autem Aennodius ſcribitur.

Agobardus, gente gallus, natiuitate hiſpanus, primum vicarius *Leidradi* archiepiſcopi lugdunenſis, deinde eiusdem ſucceſſor, *Felicis* urgelitani hoſtis ac refutator infenſiſſimus, acri vir ingenio, nec vulgari eruditione, quæſtionum theologicarum peritiſſimus, canonumque perpetuus & conſtans defenſor, ſed in hoc peccans, quod rebellibus LVDOVICI Imp. filiis Lothario & Pipino ſeſe adiungeret, eorumque cauſſam libro apologetico tutaretur, ſcripſit varia contra iudæos, item adverſus dogma *Felicis*: librum de picturis & imaginibus, quo eas adorandas eſſe negat; quam ſententiam, ſi Papirium *Maſſonum* & Steph. *Baluzium* audimus, omnes catholici probant: de diſpenſatione eccleſiaſtica ſeu collapſa eccleſiæ diſciplina: de correctione Antiphonarii: de divina pſalmodia, contra ſciolum quendam h. e. *Amalarium*, & alia, obiitque, Ludovicum, in cuius gratiam redierat, ad tuendum orientale Rheni littus profectum, ſecutus, apud Sanctones A. 840. ær. 61. *Kœnig* 16. *Olear.* P. I. 19. *Cave* P. I. 362. *Biblioth. Schrader.* P. I. Z. Opera eius edidit Papirius *Maſſonus* Pariſiis A. 1605. 8. & emendatius, cumque notis, ibid. A. 1666. 8. Steph. *Baluzius*.

Io. *de la Haye*, theologus & canonicus tornacenſis, claruit declinante ſeculo XVIto, ſuamque epiſtolam ſcripſit ad Viglium *Zuichemum*, præſidem.

Gebhardus ſive Geverhardus *Elmenhorſt*, hamburgenſis, præter commentarios in Minucium & Arnobium, edidit Epiſtolas *Gennadii* maſſilienſis & *Martialis* epiſcopi lemovicenſis: *Apuleium* cum notis: *Cebetis* tabulam cum notis Caſelii: *Theodulphi* epiſcopi aurelianenſis Parænesin ad iudices, & alia, atque ad plures abiit A. 1621. *Witte* Diar. biogr. R 3. *Pareus* apud Magirum p. 305. eum vocat philologum ſolertiſſimum, *Voetius* virum diligentiſſimum & diffuſiſſimæ lectionis, & G. Io. *Voſſius* in præfat. Reſponſ. ad Ravenſpergeri de libro Grotii Iudicium, virum ſine ambitione doctiſſimum, deque patribus antiquis optime merentem. Ioſ. *Scaliger* autem iras aduerſus eum gerit ob ſimultatem ipſum inter & Wowerium ortam. Vide *Cren* Animadverſ. P. I. 96.

Deſider. *Heraldus*, gallus, advocatus pariſienſis, reliquit præter notas in Minucium Felicem & Arnobium, Quæſtiones ex iure canonico quotidianas: Adverſaria iuris: Commentarium in Tertulliani Apologeticum: & Reſponſioni ad Salmaſii Obſervationes in Ius atticum & romanum immortuus eſt A. 1659. æt. 70. *Witte* Diar. biogr. Zz 4. Iudicio Guidonis *Patini*, quod extat apud *Magirum* p. 429. bonus erat tam philologus, quam ICtus, & in utroque facile eidem erat ſcribere, quidquid vellet. Vnde & criticis annumeratur a *Morhofio* in Polyh. l. 5. c. 1. n. 13. Vide etiam, ſi placet, *Crenii* diſſert. II. de furib. librar. 28.

Iac. *Ouzelius*, ſeu *Oiſelius*, belga, iuris naturalis profeſſor in acad. groningenſi, bibliotheca inſtructus adeo divite, ut in ea numerata fuerint 12000. volumina, publicauit præter notas in Minucium Felicem, A. *Gellium* cum commentario Ant. Thyſii & alior. Theſaurum ſelect. numiſmat. antiquorum, & alia, obiitque A. 1686. Notatur, ut plagiarius, a *Morhofio* Polyh. liter. l. 4. c. 14. n. 9. *Crenio* P. IX. Animadv. 218. & Iac. *Gronovio* in Supplem. Actor. erudit. T. IV. 426. Vincentius autem *Fabricius* virum laudat, eiusque annotationes ſe æſtimare ait. Citat hemiſtichium ex *Manilio* pro Dei unitate: ſed, ſi *Tolando* de Origin. iudaic. 166, credimus, illud gentilium continet atheiſmum.

Theodorus *Canterus*, ultraiectinus, Guilielmi frater, in patria ſe-

ſenator, græcæ linguæ, ut ille, peritiſſimus, ſcripſit etiam Varias lectiones, mundoque valedixit A. 1615. æt. 72. *Witte* Diar. biograph. M 4. *Kœnig* 161. Thom. *Hyde* Catal. biblioth. bodlei. P. I. 134. *Biblioth. Thuana* P. II. 325.

Godeſchalcus *Stevvechius*, heusdanus, elegantiorum literarum in academia muſſipontana profeſſor, claruit iam anno 1585. ediditque Commentarium in Vegetium & Frontinum de re militari, librum de Particulis linguæ latinæ, & Notas in *Apuleium*.

Fran. *Balduinus*, atrebas, ICtus & anteceſſor genevenſis ac heidelbergenſis, a pontificia ad Proteſtantium abiit religionem, & inde rurſus, G. *Caſſandri* conſilium ſecutus, ad pontificiam, a Reformatis ideo *alter Ezebolius* dictus, vini cibique parciſſimus, honoris quam opum magis appetens, nunquam otioſus, magnanimus, & in adverſis patiens, tamque theologiæ & hiſtoriarum quam iurium peritus, ſcripſit Commentarium in IV. libros Inſtitutionum: Iuſtinianum, ſeu de iure nouo: ad Leges Romuli & XII. tabularum: ad Leges de famoſis libellis: CONSTANTINVM M. ſiue Comment. de eius legibus eccleſiaſticis & civilibus: Hiſtoriam carthagin. collationis ſiue diſputationis de Eccleſia inter Catholicos & Donatiſtas: Reſponſionem ad *Calvinum* & *Bezam* de Scriptura & Traditione: de Hiſtoria univerſa, & eius cum Iurisprudentia coniunctione, (nam iurisprudentiam ſine hiſtoria coecam eſſe iudicabat) & alia, quæ videri poſſunt in *Hydes* Catalogo libror. Biblioth. bodlei. P. I. 60. obiitque A. 1573. æt. 53. Monumentum eius viſitur Lutetiæ Pariſiorum in æde Maturini, non vero apud Auguſtinianos, teſte G. *Richtero* in ipſius Vita p. 23. Scipio *Gentilis* vocat eum novæ & veteris prudentiæ principem, *Conringius* ICtum vere πολιτικον, atque, ut cognoſcas, quantum hoc ſit, addit: Quæ vera laus eſt. *Kœnig* 81. *Magirus* 101. *Blount* 708. *Caſſander* 814. 817. *Boecler.* Hiſt. uniuerſ. 157.

XLI.

L. Coelii LACTANTII Firmiani opera, cum commentariis Xyſti *Betuleii*, Baſileæ 1563. De variis huius patris editionibus vid. *Acta erudit.* A. 1685. 265. *Olearius* P. I. 429. *Du Pin* Tom. I. 209. *Cren.* Animadverſ. P. IX. *Cave* P. I. 82. Nic. *Le Nourry* Diſſert. ad L. Cæcilii librum de Mortib. perſecutor. c. 3. I. A. *Fabricius* B. lat. 730.

Digitized by Google

730. Io. Georg. *Walch* in præfat. ſuæ edit. lactant. & C. *Sandius* Nucl. hiſt. eccleſ. 45. Vetuſtiſſima inter omnes editiones eſt romana anni, non 1474. ſed 1461. *Cave* laudat genevenſem A. 1613. ut accuratiſſimam, & Servatii *Gallei* lugduno-batavam A. 1660. *Sandius* autem venetam A. 1509. roſtochienſem A. 1476. antverpienſem 1539. & baſileenſem 1521. præfert noſtræ baſil. & hanc rurſus editioni lugdunenſi 1567. omnium vero peſſimas & corruptiſſ. ducit editiones romanam A. 1475. & pariſienſem 1513. deque Mich. *Thomaſii* & Ant. *Thyſii* editionibus notat, eas eſſe corruptas & adulteratas. Enimvero *Thomaſius* omiſit ea loca, quæ Lactantii non eſſe iudicabat. At *Tyſius* tamen illa in marginem reiecit. *Sainjore* Biblioth. crit. T. II. 442. Pluribus iſtis variisque editionibus addendæ ſunt duæ, una Chriſtoph. *Cellarii* Lipſiæ 1698. 8. & altera Io. Georg. *Walchii*, ibidem A. 1715. cum ipſorum notis. In noſtræ editionis principio extat epiſtola dedicatoria Emmanuelis *Betuleii*, Sulzbergæ in Briſgovia V. D. miniſtri, qua agitur de vita & ſcriptis Lactantii. Eam excipit Præfatio, qua contra Lactantiomaſtigas (i. e. paſtores quosdam auguſtanos, ſicut in medio præfat. proditur) diſputatur, utrum in ſcholis lactantiana ſcripta iuventuti prælegi & enarrari conveniat. Porro ſequitur Vita Xyſti Betuleii per Io. *Nyſaum.*

Opera ipſa ſunt ſequentia: 1) Inſtitutionum divinarum libri VII. Quorum ſinguli peculiarem habent titulum, qui indicat rem ibi tractatam. Nempe primus liber inſcribitur de *falſa religione*, & ſecundus de *origine erroris*. In utroque auctor oſtendit falſitatem religionis ethnicæ: tertius *de falſa ſapientia*, oppoſitus quippe philoſophis gentilibus, & revelans falſitatem ipſorum philoſophiæ: quartus *de vera ſapientia*, quoniam in eo exponitur doctrina chriſtiana: quintus de *iuſtitia*, oſtendens, ethnicos non habere veram iuſtitiam, eam vero reperiri in religione chriſtiana; errantes non armis, ſed rationibus vincendos, neminemque ad religionem cogendum eſſe: ſextus de *vero cultu*, nam alium eſſe verum, alium falſum cultum divinum; duas etiam vias, alteram ad infernum, alteram in cœlum; ad virtutem contendendum eſſe per paupertatem, ignorantiam, & patientiam; miſericordiam non eſſe vitium, ſed virtutem; timorem & amorem, qui terrenis affixi vitiorum naturam induunt, eſſe virtutes, quando diriguntur verſus

ſus cœlum: ſeptimus denique de *divino præmio.* In eo tractatur de immortalitate animæ, fine mundi, ſignis eum præcedentibus, iudicio extremo, & retributione ſecundum cuiusque opera. Libri hi non fuerint exarati ante annum 321. *Tillemont* Hiſt. eccl. T. VI. 207. Merito autem *Inſtitutiones* vocavit, quia hi libri debebant eſſe elementa prima diſcendæ ſacræ ſeu chriſtianæ ſcientiæ. *Cren.* Animadverſ. P. IX: 26. 2) de Ira Dei. In eo probare laborat, Deum non minus iræ, quam miſericordiæ capacem eſſe, ſequens principia Ariſtotelis, quippe cui, ut C. *Thomaſius* in Ausübung der Sittenlehre c. VI. p. 157. 431. obſervat, valde erat deditus. 3) de Opificio Dei. Liber hic tractat de providentia divina, eiusque opere principali, quod eſt homo, cuius partes corporis & proprietates animæ eleganter deſcribuntur. 4) Epitome diu. Inſtitut. Sed eam non habemus integram: quæ enim ſupererat, non niſi a fine libri Vti incipit, reliqua autem inde ab Hieronymi ætate, uti credebatur, perierant; usque dum Chriſtoph. Matth. *Pfaffius* Lutetiæ Pariſiorum integram (de qua vide *Acta erudit.* A. 1713. p. 70. & *Cleric.* Biblioth. anc. & modern. T. III. 445.) cum orbe erudito communicavit, eamque ſuæ poſtea editioni inſeruit *Walchius*, quamvis dubitet, an auctorem habeat Lactantium. 5) Carmina duo, alterum de Phœnice, alterum de dominica reſurrectione: quibus aliæ editiones addunt tertium de paſchate. Sed hæc, ſi *Du Pinium* T. I. 208. audimus, non ſunt Lactantii: primi enim auctorem non eſſe chriſtianum aiunt, ſed ethnicum, qui diluvium profano & Moſis narrationi adverſante modo deſcripſerit; reliqua non reperiuntur in antiquis auctoris noſtri codicibus, neque accedunt ad puritatem dictionis, qua is uti conſueuit: ſuntque potius, ut *Riveto* Crit. S. lib. 2. c. 18. & *Tillemontio* T. VI. Hiſt. eccl. 203. videtur, *Venantii Fortunati. Placcius* de pſeudon. 410. carmen de phœnice Theodulpho aurelianenſi adſcribit; Nic. *Heinſius* autem, cumque eo *Lambecius*, & I. Alb. *Fabricius* Biblioth lat. 678. ipſi Lactantio, ſed adhuc iuveni, illud tribuere nulli dubitant. Librum de Perſecutione, aut potius de Mortibus perſecutorum, quia in eo probatur, omnes Principes, qui chriſtianos perſecuti ſunt, male periiſſe, in lucem protraxit Steph. *Baluzius* Lutetiæ pariſ. 1679. in Tomo II. Miſcellaneorum, eumque denuo edidit Paulus *Bauldri* in urbe ultraiectina A. 1692. cum notis non tantum ſuis, ſed etiam *Baluzii*,

Cuperi, *Columbi*, *Sparkii*, *Toinardi*, *Gravii*, *Galei*, *Boberelli*, aliorumque, H. *Dodvvelli* diſſ. de ripa ſtriga, & Theod. *Ruinarti* præfatione ad Acta martyrum, dodwellianæ de paucitate martyrum diſſertationi, (XImæ cyprianicæ) oppoſita. Nicolaus *le Nourry* quidem libri de mortibus perſecutorum parentem facit Lucium quendam Cæcilium; ſed nihil agit. *Acta erud.* A. 1693. 125. Variorum bonus Lactantius accuſatur errorum, eosque triplices ait fuiſſe *Scultetus* in Medulla patr. 344. theologicos, chronologicos, philoſophicos. *Cave* autem de primis illis moderate ſic ſentit, eos fuiſſe potius ſæculi, quam perſonæ ſeu hominis, plurimaque humanæ infirmitati & ſufficientis lucis defectui condonari debere. Nos aliquot duntaxat notabimus.

Lib. I. c. 11. p. 36. Iupiter quaſi *iuvans pater* dicitur: *quod nomen in Deum minime congruit*, quia iuvare hominis eſt, opis aliquid conferentis in eum, qui ſit alienus, & exigui beneficii. Nemo ſic Deum precatur, ut ſe adiuvet, ſed ut ſervet, ut vitam ſalutemque tribuat.

Immo hoc nomen *in Deum optime congruit*, & auxilii impetrandi gratia Deum orari, pſalmi davidici teſtantur. Gottl. *Stolle* Coroll. IV. diſput. de Virtute precib. impetranda ex ethnicorum quorund. ſententia.

Lib. IV. c. 2. p. 218. Soleo mirari, quod *Pythagoras* & poſtea *Plato*, amore indagandæ veritatis accenſi, *ad iudaeos non acceſſerint.*

Hoc ſi *de regione, quam Iudaei incoluerunt*, intelligendum eſſet tantummodo, excuſari fortaſſis poſſet; at ſi omnis cum iudæis converſatio, vel ſaltim inſtitutorum communio illis philoſophis abiudicatur, & quidem inprimis Pythagoræ, contrarium ex *Hermippo*, *Origene*, *Ioſepho* & *Ariſtobulo* probari poteſt. Io. Iac. *Syrbius* in Hiſtor. in phyſic. Pythagor. introduct. 19.

De Ira Dei I. 1. c. 18. p. 470. Nam (*ſicut* ait Plato) nemo prudens

Sic legendum: Nam *ſi*, *ut* ait Plato, nemo prudens punit &c.

C. *Rit-*

Digitized by Google

punit, quia peccatum eſt, ſed ne peccetur. | C. *Rittershuſ.* Sacr. lect. l. 7. c. 13.

Auctor noſter prænomen habuit *Cælii* dicam? an *Cæcilii*, in dubio enim id adhuc verſatur: *Firmianus* autem dictus fuerit a Firmo ſeu Firmio, agri piceni oppido; ſicut *Lactantius* non a lacteo, quo gaudebat, eloquentiæ flumine, ſed a familia, unde erat ortus, in iuventute autem ad fidem chriſtianam converſus, Rhetoricam, quam in Arnobii ſchola africana didicerat, docuit Nicomediæ, ſed frequentia diſcipulorum deſtitutus ad ſcribendum appulit animum; deinde a CONSTANTINO M. Criſpo Cæſari filio præfectus ad docendum litteras latinas, nihilominus paupertate, ut antehac, conflictabatur, eaque ei perpetua fuit comes, donec moreretur, id quod factum anno, niſi fallimur, 325. *Tillemont* 203. Vocatur *Cicero chriſtianorum*, quia Ciceronis ſtilum effigiavit, aut, uti quibusdam placet, ſupergreſſus eſt. Plus tamen elocutioni, quam eruditioni ſtuduiſſe, plusque operæ poſuiſſe in deſtruendo helleniſmo ſeu gentiliſmo, quam chriſtiana religione adſtruenda iudicatur. Stilus ſane illi eſt terſus, nitidus, facilis, & fonte quodam eloquentiæ nativo ſponte fluens. *Kœnig* 451. *Magirus* 499. *Blount* 216. *Olearius* P. I. 428. *Cave* P. I. 81. I. A. *Fabricius* Biblioth. lat. 730. *Crenius* Exercit. III. de libris ſcript. opt. 50. Conr. *Rittershuſ.* in Vita Salviani * c. 5. I. G. *Walch* in diatribe de Lactantio eiusque ſtilo (N. Büch. Saal T. IV. 437.) David *Chytræus* in Orat. de Studio theol. recte inchoando C 4. hoc de eo fert iudicium: *Lactantius omnib. fere in eccleſia lat. ſcriptorib. orat. purit. antecelluit, ſed doctrinam euangelii propriam de beneficiis Chriſti, & de fide, parum intellexit.* Et iuxta C. *Thomaſium* in Cautel. c. h. e. p. 155. *Commendandus* quidem *eſt propter ſtilum, ſed cavendus propter inepta ratiocinia.*

Xyſtus *Betuleius*, germanice *Bircken*, auguſtanus, recepta per Dei peculiarem gratiam audiendi facultate e textrina in ſcholam reverſus, feliciter quidem poſtea litterarum & theologiæ ſtudia tractavit, ſed paupertate perpetuo preſſus, pedelli ſeu miniſtri academici ſpartulam in ſe ſuſcipere coactus eſt, ubi & libros, qui eo in loco imprimebantur, correxit, immo & ludo præfuit, paulo poſt in numerum profeſſorum cooptatus, donec ad regimen ſcholæ patriæ & bibliothecarii munus vocaretur, in quo, ad alendam collegarum concordiam, & excitandam diſcipulorum ala-

critatem, collegis permiſit interdum, ut in ſua claſſe, dum ipſe eorum locum occupabat, docerent, primusque comœdias ſacras ſcripſiſſe atque introduxiſſe creditur: ſcripſit enim comœdias de Suſanna, Iuditha, & Ioſepho; reliquit etiam Symphoniam in N. T. græcum, Annotationes in carmina ſibyllina, & commentarios in libros Ciceronis de officiis, ſenectute, natura deorum, atque in paradoxa; ideoque *Thuanus* l. 13. p. 260. ait, eum rem litterariam, dum vixit, non mediocriter voce & ſcriptis adiuviſſe. Barthol. *Mayer* Philol. S. Part. II. 305. notas eius in Lactantium vocat doctiſſimas. Cum ad ſenium vergeret, variis afflictus fuit morbis, eam vero erga ſe inclyti Senatus ſenſit gratiam & benignitatem, ut rude donaretur. Sic ergo ſibi vivens, fatis conceſſit A. 1554. æt. 54. vir piiſſimus, atque in utraque lingua doctiſſimus, qui inter diſcipulos ſuos habuit Wolfg. *Muſculum*, & Guil. *Xylandrum*. Melch. *Adam.* in Vitis philoſ. 160.

HILARII, Pictavorum archiepiſcopi, Opera, ex editione *Eraſmi* Roterodami. Baſileæ apud Frobenium A. 1523. Ibidem recuſa ſunt, A. 1535. addito tractatu de Patris & Filii unitate, qui tamen non eſt Hilarii: item Lutetiæ pariſiorum A. 1544. 1550. 1572. 1605. &, quæ editio reliquis omnibus præſtat, A. 1693. per Monachos ordinis S. Benedicti e congregatione S. Mauri: qua de vide T. III. *Supplem.* Actor. erudit. p. 49. Noſtræ huic præmittitur epiſtola *Eraſmi* dedicatoria ad Ioann. Carondiletum, archiepiſcopum panormitanum, & Aulæ cæſareæ conſiliarium ſummum, (extans etiam T. III. Oper. Eraſmi n. DCXIII. p. 690.) in qua de Hilario eiusque ſcriptis, veteris eccleſiæ moderatione, & perverſis ſeculi, quo Eraſmus vivebat, moribus agitur.

Scripta eius ſunt ſequentia, & quidem in I. Tomo noſtræ editionis 1) de Trinitate libri XII. p. 1. Scripti ſunt contra varios hæreticos, in primis tamen Arianos, & ad finem perducti eo tempore, quo exilii minis territabatur. *Cave* autem P. I. 116. eorum compoſitionem in exilii quadriennium reiicit. Eſt hoc ſcriptum excellens, &, *Hieronymo* notante, ad imitationem ſtili & numeri librorum Quintiliani compoſitum. Sed *Perronius* in Perronian. 195. non multum ei tribuit. 2) adverſus CONSTANTIVM auguſtum liber I. p. 262. qui incipit: *Tempus eſt loquendi.* Scriptus anno 360. adhuc ante obitum CONSTANTII. *Scult.* 1257. *Du Pin*

80. Partes huius libri, imperfecti quidem, nec cum ſequente cohærentis, ſunt quinque: Prima animat epiſcopos, aliosque eccleſiæ doctores ad intrepidam veritatis confeſſionem, ſi vel cum exilio, vel cum morte ipſa ſit coniuncta: In ſecunda rationem reddit, cur CONSTANTIVM appellarit antichriſtum: tertia parte diſputat adverſus argumentum, quo CONSTANTIVS vocem ὁμοούσιος reprobarat, nimirum quia hæc vox in ſcriptura non reperiatur: quarta obiicit CONSTANTIO fidei inconſtantiam: quinta repetit confeſſionem, CONSTANTIO imperante de Filio Dei ſcriptam, & Filium ipſum de æterna ſua ex patre nativitate teſtimonia edidiſſe docet, videlicet patratione miraculorum. Aſperiorum, quæ in hoc libro exſtant, verborum cauſſam *Benedictini par. ſ.* congregat. S. Mauri non tam exilii impatientiæ, vel auſteriori mentis indoli, quam temporum neceſſitati tribuendam cenſent. 3) ad eundem liber I. p. 272. qui incipit: *Benignifica natura tua.* Itidem eſt imperfectus, ex iudicio *Eraſmi*. Eſt enim vero libellus ſupplex, quo precatur Imperatorem, ut ceſſare faciat perſecutiones, quibus Ariani vexare ſoleant orthodoxos, utque redire liceat epiſcopis expulſis ad ſuas eccleſias, & populo libere cum ipſis vivere. Eſt & alia ſupplicatio eiusdem auctoris (quæ tamen in noſtro volumine non comparet) qua eundem precatur auguſtum, ſibi, calumniis Arianorum in exilium eiecto, liceret colloqui cum Saturnino, epiſcopo, arelatenſi, eoque ariano, turbarum face & tuba; pariterque Imperatori oſtendit incommoditatem tot Formularum fidei. *Du Pinius* ita locat tria hæc ſcripta ad Conſtantium, ut ultimum hoc primo, primum autem ultimo loco ponat. p. 87. Sic etiam collocat *Scultetus* p. 1296. 4) *Ad eundem liber*, qui incipit: *Non ſum neſcius*. p. 278. Scriptus in exilio, in eoque ait ſe exulare non crimine, ſed factione, & falſis Synodi nuntiis apud auguſtum: conqueritur de multitudine formularum fidei, ſuumque tandem Symbolum recitat. Et hic eſt imperfectus. 5) Adverſus Auxentium mediolanenſem epiſcopum liber I. p. 282. *Auxentius* hic eccleſiæ orthodoxæ erat doctor arianus, & impetraverat a CONSTANTIO, ut ſub ſpecie unionis populus ad arianam fidem adigeretur. Hilarius eo profectus, impoſturas eius detexit, ſed urbe excedere iuſſus hunc ſcripſit librum, concedens, ſpecioſum quidem eſſe nomen pacis & concordiæ, ſed illam demum veram

 pa-

Digitized by Google

pacem, quæ Chriſti ſit, & veram fidem tueatur, talem autem non eſſe illam Arianorum: deinde conqueritur de temporibus ſuis, quibus patrocinari Deo humana credantur, & ad tuendam eccleſiam Chriſti ambitione ſeculari laboretur. Porro Auxentii quasdam impoſturas detegit, & chriſtianos monet, ſibi ab eo ut caveant. Subiuncta eſt etiam huic ſcripto epiſtola *Auxentii* ad auguſtos, p. 286, qua ſe purgare conatur ab hæreſi ariana, neque tamen in ea approbat vocem ομȣσιΘ-, nec Symbolum ariminenſe reiicit. 6) De Synodis diverſis adverſus Arianos habitis. p. 287. Scriptus eſt hic liber vel Seleuciæ in ſynodo, vel CPli, quo cum legatis Synodi profectus eſt Hilarius, vel in reformatione eccleſiarum italicarum, ad epiſcopos Galliarum, (*Cave* etiam hunc refert in exilii quadriennium, p. 117.) verſus de græco in latinum, ut tradit *Hieron.* in Catal. ſcriptor. Promittit quidem Hilarius, ſe omnes fides h. e. fidei confeſſiones, quæ poſt nicænam ſynodum diverſis temporibus & locis editæ ſint, cum interpretatione atque expoſitione ſua (utrumque enim hoc flagitaverant ab ipſo Galliarum epiſcopi) deſtinaturum: non tamen omnes habet, ſed tantum *Oſii* & *Potamii* fidem in concilio ſirmienſi editam, (quæ potius eſt ſecunda confeſſio ſynodi ſirmienſis, cui Oſius & Potamius ariani duntaxat ſubſcripſerant, non autem eam ipſimet ſcripſerunt. *Scult.* p. 1305.) et confeſſiones Semiarianorum, editas Ancyræ in Galatia, Antiochiæ tempore encæniorum, Sardicæ in confinio Illyrii, Myſiæ, Thracia, & illam, quæ Sirmii damnato Photino a *Marco Arethuſio* concepta eſt ſermone græco, in quibus Filius patri ομȣσιΘ- agnoſcitur: quod *Hilarius* æque, ac *Athanaſius*, ferendum & orthodoxum putavit, ſed uterque deceptus. *Scultet.* p. 1306. Porro cauſam aperit, cur tot Synodi coactæ, nimir. propter furorem hæreticor. & piam intelligentiam vocabulorum ομȣσιΘ- & ομοιȣσιΘ- exponit, Legatosque Synodi ancyranæ ad CONSTANTIVM rogat, ne illud ομȣσιΘ- improbent. 7) Ad Abram ſive Apram filiam epiſtola p. 322. Sed notha, ut videtur *Eraſmo* in dedicat. & ad titulum eiusdem epiſt. *Riveto* l. 3. c. 12. & *Du Pin* p. 81. Benedictini pariſienſes eam pro genuina venditant. 8) Ad eandem hymnus, p. 325. ſed nothus, qui incipit: *Lucis largitor optime.* 9) Commentarius in euangelium *Matthæi* p. 329. Etiam hoc opus eſt excellens, in quo complures ſunt obſervationes hiſtoricæ & morales magnæ utilitatis.

Digitized by Google

In Tomo II. Commentarii in pſalmos (non pleroſque, ut in noſtra legitur editione, ſed) aliquot, videlicet, in pſ. 1. 2. a 51. ſeu 52. usque ad 69. ſeu 70. & a 118. ſeu 119. usque ad 148. ſeu 149. Finis enim huius operis abeſt in noſtra editione, qui tamen reperitur in recentioribus. Confecit autem hunc Commentarium, nec non Homilias in Iobum, & Comment. in Matthæum ex *Origenis* græcis ſcriptis, diſſimulato eius nomine, eaque libertate, ut ſenſuum magis quam verborum curam habens, nonnulla etiam de ſuo addens, non interpres alieni, ſed ſui auctor operis haberi voluerit, eo fortaſſis conſilio, ut origeniani nominis invidiam evitaret. Quo pacto, ait Iac. *Thomaſius* de Plag. n. 466. excuſatum eum habere cum *Eraſmo* poſſumus. Ceterum ex libris eius perierunt Commentarii in Iob, & Canticum canticorum: Hiſtoria ariminenſis & ſeleucienſis Synodi adverſus Valentem & Vrſacium: liber adverſus *Saluſtium* præfectum & *Dioſcorum* medicum: liber Hymnorum: liber Myſteriorum: liber de Numero ſeptenario, & Epiſtolæ complures. Antequam recedamus a recenſione ſcriptorum Hilarii, hoc unicum adnotandum duximus, Petrum *Conſtantium* edidiſſe Vindicias MSS. codicum a Barthol. *Germone* impugnatorum, cum Appendice, in qua S. Hilarii quidam loci, ab anonymo obſcurati & depravati, illuſtrantur & explicantur. Vide *Clerici* Biblioth. choiſ. T. XX. 271. *Fragmenta* ex opere hiſtorico de Synodis ariminenſi & ſeleucienſi, rebusque poſt Synodos geſtis usque ad annum 366. libris duobus comprehenſa primus edidit, præfationemque addidit Nicol. *Faber*, Pariſiis 1598. Sed hic liber, iudice *Perronio* in Perronian. 195. non magnæ eſt fidei.

Hilarius, Pictavii, urbe Aquitaniæ ſecundæ, honeſtis, nec infimi apud ſuos nominis parentibus natus, ex pagana ſuperſtitione ad fidem chriſtianam converſus, provectiori ætate epiſcopus eccleſiæ patriæ A. C. 353. conſtitutus, atque in epiſcopatu coniugatus manens, Arianis ſe omni tempore ſtrenue oppoſuit, indeque factum, ut ab Imperatore, Saturnini epiſcopi arelatenſis dolis circumvento, in Phrygiam relegaretur. Liberatus ex iſto exilio A. 359. Concilio ſeleucienſi interfuit, ibique eccleſias gallicanas ab hæretica ſabellianiſmi nota vindicavit, legatos Synodi CPlin ſecutus eſt, & tribus ad CONSTANTIVM libris colloquium cum Arianis popoſcit, ſed fruſtra, quia illi conſentire recuſarunt. A. 368. vel

369.

369. Mediolanum ſe contulit, ut Auxentium coram Imperatore detegeret & refutaret: ſed operam ſe luſiſſe animadvertens, domum rediit, & vitæ pariter ac diſputationum finem fecit, vir non modo in Latinorum, verum etiam in Græcorum ſcriptis diu probeque, quamvis ad perfectam huius notitiam non pervenerit, verſatus. Stilus ei eſt turgidus & ſublimis, gallicano cothurno attollitur, longisque periodis involvitur, unde ab *Hieronymo* eloquentiæ Rhodanus appellatur, nempe quia huius fluuii rapidum & ſtrepitantem refert atque imitatur curſum. *Kœnig* 403. *Magirus* 441. *Blount* 231. *Du Pin* T. II. 281. *Olearius* T. I. 339. *Cave* T. I. 116. *Perroniana* 195. C. *Thomaſ.* in Cautel. circa hiſt. eccl. 153.

XLII.

AMBROSII mediolanenſis Opera omnia, tomis IV. emendata ab *Eraſmo* Roterodamo. Baſileæ apud Frobenium 1527. vol. II. Quæ editio, ut *Cave* narrat P. I. 65. tanto fuit in pretio, ut ſæpius diverſis locis recuſa, ac *Gelenii* aliorumque doctorum hominum ſtudio novis ſubinde tractatibus locupletata, omnium in ſe oculos converteret. Meliores tamen ſunt ſequentes, nempe Pariſienſis A. 1529, Coſteriana A. 1555, Gillotiana A. 1568. optimaque monachorum Benedictinorum pariſienſis A. 1686. quæ in *Actis erud.* A. 1688. 64. recenſetur. Cavendum autem ab *Amerbachiana* A. 1492. ex vitioſis codicibus depromta; item a *Romana* A. 1585. quippe in qua non nullæ librorum partes ordine ſuo avulſæ, & in alienum locum reiectæ, item tractatus quidam dubii legitimis admixti, cuiusque correctores ipſo in textu mutationes pro lubitu tentarunt; & denique a lugdunenſi A. 1559. corrupta a Franciſcanis, ſicut Fran. *Iunius* teſtatur apud *Rivetum* Crit. S. l. 3. c. 16. *Hottingerum* Bibliothecar. 72. & *Scherzerum* in Hülſem. Breviar. aucto p. 1306. quæ tamen, quia diligenter quæſitam ſe nullibi reperire potuiſſe aiunt *Patres benedictini pariſienſes*, poſtea ſuppreſſa fuerit.

Sed agedum audiamus contenta huius operis. Enim vero in I. Tomo, qui ethica ſcripta complectitur, poſt *Eraſmi* epiſtolam dedicatoriam, ſeu præfationem de Ambroſio eiusque ſcriptis, eiusdem Eraſmi *Cenſuram*, & *Ambroſii Vitam*, a quodam *Paulinum* ſe epiſcopum vocante (qui quis fuerit, non conſtat. *Gerhard.* Patrol. 291.) deſcriptam, continentur 1) Officiorum libri 3. ſcripti verſus annum

annum 390, aut 391. In quibus inſtruit omnes chriſtianos, in ſpecie autem miniſtros eccleſiæ ſeu diaconos, quid ipſis ſit agendum. Vnde in vetuſtis MSS. titulus iſtorum librorum ſic conceptus legitur: *De Officiis Miniſtrorum.* 2) De Virginibus libri 3. ad Marcellinam ſororem, ſcripti A. 377. In libro primo evolvitur, quantum uirginitatis munus ſit: in ſecundo id probatur exemplis B. *Mariæ* virginis, *Theclæ*, & cuiusdam virginis antiochenſis; in tertio convenientibus præceptis virgo inſtituitur. 3) Ad virgines exhortatio, ſcripta A. 393. Hæc exhortatio fuit ſermo, habitus a. S. Ambroſio in dedicatione eccleſiæ ad S. Vitalem in urbe florentina, exſtructæ, ad inſtigationem Ambroſiii, a Iuliana. Huius piæ viduæ exhortationem ad filium, & filias, ut ille videlicet ſtatum eccleſiaſticum hæ monachalem ſubeant, commemorat Ambroſius, ac pariter docet ſacras virgines, quo ipſas modo vivere deceat. 4) Inſtitutio virginis, ad Euſebium, ſcripta verſus annum 391. Legitur quoque hic eius titulus: *Diſcurſus de perpetua virginitate B. Mariæ.* Et ſane maxima huius libri pars directa eſt adverſus *Bonoſum*, qui negabat perpetuam Mariæ virginitatem. Occaſionem autem ſcribendi nactus eſt Ambroſius ex conſecratione, quam fecit, Ambroſiæ, filiæ *Euſebii*, civis bononienſis. Ex hoc igitur diſces cærimonias conſecrationis alicuius virginis: præterea ex præfatione, virgines etiam conſecratas manſiſſe in domo paterna, nec omnes fuiſſe incluſas monaſterio. 5) Ad virginem devotam. In quo docetur, virginem devotam nihil commercii habere debere cum ſecularibus hominibus, ſed orationi vacare, & exercitio virtutum, miſſis vitiis. Hoc ſcriptum *Eraſmo* non videtur eſſe Ambroſii. 6) Ad virginem lapſam exhortatio. Autor illi repræſentat enormitatem commiſſi criminis, eamque ad perpetuam pœnitentiam hortatur. Eſt & hoc ſcriptum ſpurium. *Gerh.* Patrol. 273. *Du Pin* T. II. 268. et pauciſſimis exceptis plane idem, quod *Hieronymi* illa epiſtola in Suſannam lapſam, T. IV. 139. *Placc.* 145. *Coteleria* in Not. in l. 2. Conſtit. apoſt. c. 57. p. 265. videtur eſſe *Niceæ*, aquil. epiſcopi. 7) De Viduis liber unus, ſcriptus brevi poſt tres illos de Virginibus tempore, occaſione alicuius viduæ, quæ ad ſecundas volebat nuptias tranſire. Iam quidem auctor eas non damnat, aut ſimpliciter improbat, viduitatem tamen, utpote proxime accedentem virginitati, iis præfert, & rationes denuo nubentium refutare ni-

nititur. 8) De Pœnitentia libri 2. ſcripti circa annum, ut videtur, 384. contra Novatianos, negantes, eccleſiam habere poteſtatem remittendi crimina. 9) Exhortatio ad pœnitentiam. Eſt, iuxta *Coſterium*, S. Auguſtini, iuxta *Rivetum* Victoris, Coſtennæ in Mauritania epiſcopi. *Placc.* de Pſeudon. p. 145. 10) De fuga ſeculi. 11) De bono mortis.

In Tomo II. qui polemica ſcripta exhibet, 1) de Vocatione gentium libri II. Vbi agitur de gratiæ divinæ cum hominis libero arbitrio concordia, contra Pelagianos. *Eraſmus* in præfat. libros hoſce aſſignat Eucherio lugdunenſi, *Rivetus* Gregorio naz. *Gerbardus* Proſpero aquitanico, *Queſnel* ap. *Du Pinium* T. 4. 195. cui & hoc ipſum probabile videtur p. 199. LEONI M. 2) De Fide ad GRATIANVM libri V. Quorum duos primos ſcripſit Ambroſius iuſſu Imp. Gratiani, qui in orientem abiturus A. 377. ad ſuppetias ferendum Imperatori VALENTI contra Gothos, deſiderabat habere tractatum aliquem contra arianiſmum, in plaga orientali tunc graſſantem. Itaque in duobus illis libris probat S. Ambroſius divinitatem filii Dei, atque ad obiectiones Arianorum reſpondet, ſed valde conciſe. Accuſatus autem ab Arianis ob nimium brevitatis ſtudium, adiecit A. 379. tres reliquos libros, in quibus extendit & confirmat principia, quæ poſuerat in prioribus. 3) De ſpiritu S. ad eundem libri III. Scripti A. 381. ante celebrationem concilii CPtani. In quibus probatur Spiritus S. divinitas. *Hieronymus* in præfat. in lib. Didymi de Sp. S. ait, diſſimulato Ambroſii nomine, eos ex græcis Didymi bonis factos non bonos; nihil ibi dialecticum, nihil virile atque diſtrictum inveniri. 4) De fide contra Arianos liber I. Eſt Gregorii nazianzeni, iuxta *Gerbardum* Patrol. p. 275. *Rivetus* autem Crit. S. l. 3. c. 19. & *Du Pin* 291. exiſtimant, eſſe alicuius epitomen, excerptam e primo Ambroſii libro de Fide ad Gratianum. 5) De Incarnationis dominicæ ſacramento liber unus. Eſt ſermo, recitatus ad refutandum obiectiones, a duobus Gratiani Officialibus arianis Ambroſio factas, ac poſtea a S. doctore in literas relatus verſus annum 382. 6) De myſterio paſchæ. Etiam hoc ſcriptum eſt concio quædam, quæ inepte dividitur in capita. Et ſtilus S. *Maximum* potius, quam Ambroſium ſapit. *Du Pin* 291.

In Tomo III. in quo extant orationes, epiſtolæ & conciones,

1)

1) Oratio funebris de obitu VALENTINIANI Imp. Recitata A. 392. in præſentia ſororum defuncti. Laudat in ea virtutes huius Cæſaris, neque dubitat de ipſius, quantumvis nondum baptizati, ſalute, quum fides & deſiderium ſacramenti actum ſacramentalem ſuppleant. 2) Oratio funebris de exceſſu fratris ſui Satyri. Cuius virtutes prædicantur. 3) Oratio de Fide reſurrectionis, habita ſeptimo poſt priorem die, quo ad ſepulcrum Satyri reditum eſt. In ea oſtendit, mortem fidelis non eſſe lugendam. 4) Oratio funebris de morte THEODOSII Imp. habita A. 395. coram illius filio, HONORIO. Laudatur in ea in primis clementia, miſericordia & humilitas defuncti, cum conſolatione Honorii. 5) Epiſtolæ ad diverſos. Argumenta earum recenſet *Du Pin* p. 277. & ſeqq. Suppoſititiæ autem ſunt, quæ ſcriptæ ſunt ad Demetriadem, (quippe quæ eſt Proſperi aquitanici. *Placc.* 144.) ad Florianum, narratoria de martyrio S. Agnetis, de Inventione reliquiarum S. Gervaſii & S. Protaſii, item de Inventione reliquiarum S. Vitalis & S. Agricolæ, quæ hiſce finitur verbis: *Regnante Chriſto Domino noſtro* &c. *Du Pin* 201. 6) Conciones ad populum breves. Sunt & hæ ſuppoſititiæ, iuxta *Eraſmum* in præfatiuncula, & *Du Pinium* 290. Et aliæ earum in Auguſtini, aliæ in Maximi taurinenſis Sermonibus leguntur. *Placc.* 144.

In Tomo IV. continente explanationes S. Scripturæ, 1) Hexaëmeron libri VI. concinnati A. 389. ex 9. Sermonibus de creatione mundi, in quadam ultimarum quadrageſimæ hebdomadum habitis. *Sixtus* ſenenſis Ambroſii Hexaëmeron nihil aliud eſſe ait, quam *Baſilii* Hexaëmeron latine verſum, parva immutatione facta, & digreſſiunculis ex *Origene* & *Hippolyto* portuenſi inſtitutis. *Thomaſ.* de Plag. lit. n. 355. 2) De Paradiſo liber I. In quo indulget explicationibus allegoricis ex Philone & aliis auctoribus petitis, ac refutat pariter Apellem & iudæos. 3) de *Cain* & *Abel* libri II. In quibus & allegorias ſectatur, & moralia interſpergit. 4) De *Noa* & arca. Hic liber non eſt integer: nam Auguſtinus ex eo affert locum aliquem, qui in illo, quem habemus, non reperitur. 5) De *Abraham* patriarcha II. In priore libro, & parte quadam poſterioris, deſcribit vitam & actiones huius patriarchæ, easque deinde applicat ad diverſos gradus vitæ ſpiritualis, & ita exemplo Abrahæ hortatur ad ſubmiſſionem & obedientiam

erga Deum. 6) De *Iſaac* & anima. In quo explicat unionem animæ cum Verbo, præfiguratam coniugio Iſaaci cum Rebecca, & hortatur ad ſanctitatem & patientiam. 7) De *Iacob* & beata vita II. Tractatur in iis de iuſtorum felicitate, & in priore quidem de mediis ad eam perveniendi, in poſteriore de vita Iacobi, item de Eleaſare & Maccabæis, qui mediis illis uſi, in maximis etiam calamitatibus fuere felices. 8) De *Ioſeph* patriarcha. Cuius caſtitas graphice depingitur & laudatur, atque ad Chriſtum applicatur. 9) De benedictionibus patriarcharum. Ordine naturæ ſequitur hic liber deſcriptionem vitæ Ioſephi. Ambroſius in eo myſtice explicat benedictiones, quas Iacob moriturus pronunciavit ſuper filios ſuos, easque ad Chriſtum applicat. Hic autem & præcedentes libri ſunt ſermones ab Ambroſio recitati in eccleſia mediolanenſi circa A. 387. redacti poſtea in formam tractatuum. 10) De *Nabutho* iizrehelita homilia. Scripta circa annum 386. Integer autem & uerus ſecundum antiquos codices titulus ſic habet: *De Naboth & pauperibus.* Eſt ſermo fervidus contra divites & potentes, qui opprimunt pauperes, ſicut Achab Nabothum. 11) de Elia & ieiunio. Qui continet aliquot conciones, habitas Mediolani, tempore quodam quadrageſimali, & commendat ieiunium ab antiquitate, & exemplis Noæ, Abrahæ, Moſis, Eliſæi, Danielis, & aliorum. Magna pars huius libri hauſta eſt ex *Baſilio*, ceu notat *Du Pin* p. 255. 12) De *Tobia* ſcriptus circa annum 386. Agitur in eo inprimis contra uſuram, quam damnat Ambroſius ſeveriſſime. *Eraſmus* dubitat, an hic liber ſit Ambroſiii; *Du Pinius* autem extra dubium eſſe ait, ob citationem Auguſtini, paritatemque ſtili & doctrinæ. p. 256. Cui etiam accedunt *Benedictini pariſ.* congregat. S. Mauri in ſua editione. 13) De Interpellatione libri IV. i. e. de querelis, quas *Iob* & *David* promunt coram Deo propter miſeriam & imbecillitatem humanam. In primo & tertio explicat querelas Iobi, contentas in capitibus prioribus libri ab illo ſcripti: in quarto querelas Davidis, expreſſas inprimis in pſ. 72. ſecundus autem hic deeſt. 14) Apologia *Davidis*. In qua ſalvat honorem huius regis, non eum iuſtificando a criminibus adulterii & homicidii, ſed oſtendendo, eum a lapſu ſe erexiſſe prompta & ſincera pœnitentia. In fine etiam explicat pſalmum 50. vel 51. Sermo hic & prædentes recitati fuerunt poſt mortem GRATIANI A. 385. uti quidem autumat

Digitized by Google

Du Pinius p.256. at *Eraſmus* librum de Interpellatione, alterumque de apologia Davidis arbitratur eius eſſe, qui ſcripſit libros de Vocatione gentium. A quo tamen diſſentiunt *Benedictini pariſienſes*. 15) De *Salomone*. Qui liber, ut *Eraſmo* videtur, argutus quidem & eruditus, ſed nonnihil diſſonans eſt a ſtilo ambroſiano. Et hoc Eraſmi iudicium probat *Rivetus* l.3.c.18. 19) De his, qui initiantur myſteriis. Eſt inſtructio recens baptizatorum, in qua iis explicat Ambroſius ſignificationes & virtutem ſacramentorum, dicta circa annum 387. Lege tamen *Du Pinium* 269. & *Caveum* 150. 17) De Sacramentis eccleſiæ libri VI. Hi ſunt totidem conciones circa materiam prioris libri, quæ tamen aut non ſunt Ambroſii, aut inſigniter ab alio interpolatæ. *Gerh.* 280. *Rivet*. l.3. c.18. *Du Pin*. 272. *Cave* 150. *Burnet* in Itinerar. 302. Interim ſub nomine Ambroſii citantur non tantum a Pontificiis multis, ſed etiam a *Chemnitio* in E. C. T. part. 2. p. 360. & Ioach. *Hildebrando* Theol. dogmat. p. 728. Petrus de *Marca* in diſſert. de ſacram. euchar. ſcribit, ſe non dubitare, quin libri iſti genuinus ſint huius auctoris fœtus. p. 25. 18) De dignitate ſacerdotali I. Anſhelmum potius redolet, quam Ambroſium, nihil tamen definio, ait Theoph. *Raynaudus* de Libb. apocr. p. 124. *Du Pinius* eum Gerberto tribuit p. 291. 19) Precationes præparantes (videlicet ſacerdotem) ad miſſam. Sunt & hæ ſuppoſititiæ, ita iudicante *Eraſmo*, *Gilloto* ap. Rivetum, & *Du Pinio* p. 291. 20) Commentarii in pſalmum 118. vel 119. Qui ſunt collectio XXII. concionum, in hunc habitarum pſalmum, in quibus auctor magis moralem, quam myſticum ſenſum aperit. Cumque ſive parum, ſive plane non intellexerit linguam ebræam, credendum eſt, eum ex veritate ebr. non accurate interpretari. Si quid autem boni habet, id ſine dubio petiit ex Etymologiis *Philonis* iudæi. 21) Scholiorum in euangelium Lucæ libri 10. ſcripti circa annum 386. ita, ut & aliorum euangliſtarum quædam loca inibi explicentur. 22. Commentarii in omnes epiſtolas Pauli, excepta ad Hebræos, Io. *Launoio* in Epp. p.88. *Placcio* p.144. & *Caveo* p.150. videntur potius eſſe Hilarii, diaconi romani. Sed *DuPin* T.II. p.239. de eo dubitat, aſſerens tamen, auctorem huius commentarii, tempore DAMASI papæ rom. vixiſſe. Et *Caveus*, quod adhuc memorandum eſt, *Commentarium in X. priora epiſtola ad Hebr.* capita Hilario iſti abiudicat, tribuitque falſario cuidam, qui partim ex Chryſoſtomo, partim ex Hieronymo exſcripſit. Suppoſititiis

 hacte-

hactenus recenſitis accenſenda quoque ſunt, quamvis in noſtra editione non compareant, ſermo de purificatione B. Mariæ virginis: liber de Filii divinitate & conſubſtantialitate adverſus Arianos: Comment. in Apocalypſin: de Vitiorum virtutumque conflictu: Expoſitio fidei ſecundum ſymbolum nicænum: libelli de Spiritu S. Fragmentum: Expoſitio in Cant. canticorum, a *Gulielmo*, abbate S. Theoderici, poſtea monacho ſigniacenſi, e ſcriptis S. Ambroſii collecta: & de Concordia Matthæi & Lucæ in genealogia Chriſti. *Cave* P. I. 150. & *Du Pin* p. 290. atque inter Hymnos is, qui incipit *Vexilla Regis*; item, *Te Deum laudamus*. *Placc*. 145. Epiſtola ad Illyrici præſules, Siricii eſt, uti *Launoio* videtur Epp. p. 34. *Miſſa ambroſiana*, prout hodie extat, mire aucta & interpolata eſt. *Cave* 151. Supplementum vero Ambroſii (h. e. Fidei eius ſymbolum, Expoſitio in Canticum canticorum, & Recapitulationes) exſtat in Supplemento Patrum Iobi *Hommey*. De quo vide *Acta erud.* A. 1685. p. 464.

Nullius patrum ſcripta latius inclaruerunt, aut minus obnoxia invidiæ fuerunt, quam Ambroſii, idque ob perpetuam quandam moderationem. *Eraſm.* l. c. Vnus *Hieronymus* iniquior fuit erga Ambroſium, nec frequenter de eo officioſe loquitur, ceu obſervant *Eraſmus* & *Cave*. Multa ex græcis patribus depromſit, ſiue, ut Guil. *Forbeſius* in Conſid. controv. p. 314. loquitur, exſcripſit Ambroſius, in primis ex *Origene*, *Didymo*, *Hippolyto*, *Baſilio*, atque ita orientales theſauros in plagas occidentales convexit, idque non male, ex iudicio *Eraſmi* & *Cavei*. De nævis Ambroſii vide *Cent.* 4. *Magd.* p. 1161. & 1162. *Gerb.* Patrol. p. 291. & *Meelführ.* in Corona C. Patr. eccl. p. 105. ſed probe diſtinguendum inter libros eius genuinos, & nothos, aut ſaltem dubios, ne quid ei ex alienis impingamus. Eorum etiam quosdam excuſant, atque in meliorem partem explicant *Benedictini pariſienſes* congregat. S. Mauri. Antequam de ipſo dicamus Ambroſio, placet unum atque alterum errorem indicare, quos alii hisce in ſcriptis notarunt.

Tomo II. lib. V. epiſt. 31. p. 148. *Conſtantius* auguſtæ memoriæ, nondum ſacris initiatus, myſteriis contaminari ſe putavit, ſi aram illam videret.	Legendum eſt *Conſtans*, ex Symmachi lib. X. epiſt. 61. Baſil. *Faber* in Theſ. erudit. ſcholaſt. v. Memoria. p. 1376.

Sicut

Tomo IV. lib. de Caino & Abele c. 2. p. 118. Ex quo cognoſcitur, nec illud otioſe ſcriptum eſſe, (1. Reg. 11, 43) Et *appoſitus eſt ad patres ſuos.* Intelligi enim datur, *quod patrum ſimilis fuerit fide.* Vnde claret, non ad ſepulturam corporis, ſed ad conſortium vitæ relatum. Sicut *Dormire*, ita & *Adponi ad patres ſuos*, æque *de impiis*, ac piis uſurpatur. Vid. 1. *Reg.* 14, 20. 31. c. 16, 6. *Dan.* 12, 2. *Rauppius* in Lexico theol. 295.

Ambroſius, re & nomine *αμβροσιος*, id eſt, immortalis, natus in Gallia, & fortaſſe Lugduni, patre Ambroſio, Prætorii Galliarum præfecto, omni ſecularium literarum genere perpolitus, cauſſas in auditorio Præfecturæ prætorii tanta eloquentia, tantoque ſucceſſu tractavit, ut magni ab Anitio Probo præfecto æſtimaretur, ab eoque conſiliarii dignitate, & inſignibus conſularibus ornaretur, atque ad gubernandas Inſubriæ prouincias, Liguriam atque Aemiliam mitteretur. Ita ſedem ſuam fixit Mediolani. Sed Auxentio, eius loci epiſcopo, e vivis ſublato, Ambroſius diſcordias circa novi epiſcopi electionem ortas compoſiturus, ipſe, præter opinionem, a populo unanimi conſenſu epiſcopus electus ac proclamatus, & quamvis invitus, nec dum baptizatus, a VALENTINIANO Imp. confirmatus eſt. Munus tamen hoc epiſcopale, quod catechumenus, priusque docens, quam diſcens, aggreſſus eſt, XXII. annos laudabiliter geſſit, in eoque vitam finiit A. 397. ætatis, iuxta *Labbeum* & *Olearium*, 64. iuxta *Du Pinium* vero 57. in baſilica ambroſiana magna funeris pompa ſepultus, vir ſumma pietate, omnique virtute venerabilis, invicti animi præſul, iudæorum, gentilium & hæreticorum ſtrenuus refutator, literarum tam græcarum, quam latinarum probe peritus. Stilo uſus eſt conciſo, arguto, teſſellato, chriſtiano, & qui Senecæ facundiam, molliori tamen vena imitatur. *Scaligerana* 17. *Cave* 149. *Cren.* de ſingular. ſcriptor. 18. *Olearius* P. I. 40. Magirus 37. *Blount* 247. Factum tamen eius, THEODOSIVM Imp. quamvis poenitentem admittere nolentis, quod ut heroicum vulgo extollitur, & commendatur, multis piis ac prudentibus viris modum exceſſiſſe videtur. Chriſtoph. *Wittich* Theol. pacif. c. 19. §. 323. *Stryck* ad Brunnemanni Ius eccleſ. 242. Chriſtian. *Thomaſius* in Cautel. circa hiſt.

hiſt. eccl. 154. ad Pufendorfii Monarch. ſpirit. 146. Beantwort. vom Abfall zur päbſtl. relig. 185. Et hoc videtur innuere *Scaliger* in Scaligeran. p. 17. quando de Ambroſio hoc noſtro ſcribit: *Il y avoit bien de l' ignorance en ſon fait, mais il avoit un bon ſens.*

XLIII.

B. HIERONYMI Opera, per *Eraſmum* roterod. Baſileæ ex officina epiſcopiana 1565. in IX. Tomos, qui IV. volumina faciunt, digeſta, ac tanta vigilantia, uti titulus præ ſe fert, poſtremum emendata, ut eruditus lector vix quidquam ultra poſſit deſiderare. Si ergo editionem baſil. anni 1553. nitidam plane & accuratam vocavit *Cave* P. I. 158. quanto magis hæc noſtra elogium iſthoc merebitur? Sed quid etiam in hac, & Mariani *Victorii* editione deſideretur, indicare ſuſtinet Ioh. *Martianay* in epiſt. de nova operum Hieronymi editione p. 2. de qua tamen legendus Rich. *Simon* Epp. ſelect. ep. XXXII. in Actis erud. A. 1701. 125. eaque etiam Martianæi ſtudio & labore ſecuta eſt Lutetiæ Pariſiorum A. 1693. 99. 1704. & 1706. quæ quidem partes recenſentur in *Actis erud.* A. 1695. 98. A. 1699. 529. & A. 1706. 417. Antea vero integra Hieronymi opera prodierant Francofurti ad Mœnum cum omnium notis & commentariis A. 1684. de qua editione, pariſina illa longe inferiore, vide *Acta erudit.* eiusd. anni p. 343. De ſeorſum editis inſtruet te *Olearius* P. I. 336. Sed ad contenta præſentis operis iam nobis accedendum eſt.

Primo Tomo, præter Indicem omnium operum S. Hieronymi cum Cenſuris in V. digeſtum ordines per Deſ. Eraſmum, *Eraſmi* præfationem, eiusdemque epiſtolam nuncupatoriam ad Guil. Varamum, archiepiſcopum cantuarienſem, (in qua agitur de honore olim habito libris & auctoribus, excellentia Hieronymi, eiusque operibus indigne tractatis, & quam difficile fuerit illa reſtituere, item de digeſtione epiſtolarum Hieronymi; quarum videlicet aliæ ſunt παραινετικαὶ καὶ παραδειγματικαὶ, aliæ ἐλεγκτικαὶ & ἀπολογητικαὶ, aliæ ἐξηγηματικαὶ, ac denique de laude archiepiſcopi illius) & vitam Hieronymi ex ipſius potiſſimum ſcriptis contextum per Eraſmum, continentur παραινετικὰ καὶ παραδειγματικά; videlicet 1) epiſtola Hieronymi de laude vitæ ſolitariæ, ad Heliodorum. 2) Inſtitutio clerici ad Nepotianum. 3) Epitaphium Nepotiani,

tiani, ad Heliodorum. 4) Inſtitutio monachi, ad Ruſticum Gallum. 5) Familiaris, ad Florentium. 6) Alia ſimilis, ad eund. 7) Inſtitutio infantulæ, ad Lætam. 8) de ſervanda virginitate, ad Demetriadem. 9) de ſervanda viduitate, ad Salvinam. 10) ead. de materia, ad Furiam. 11) De monogamia, ad Gerontiam. 12) de educatione infantulæ, ad Gaudentium. 13) Inſtitutio monachi, ad Paulinam. 14) Inſtitutio matris familias, ad Celantiam. Hæc epiſtola ad dubia Hieronymi ſcripta refertur ab *Eraſmo* a 5. *Du Pinio* autem Tom. 3. p. 109. videtur eſſe Paulini, epiſcopi nolani. 15) Laudes Aſellæ, ad Marcellam. 16) Marcellæ viduæ epitaphium, ad Principiam virginem. 17) Sub nomine Paulæ & Euſtochii, ad Marcellam. 18) de fugiendo ſeculum, ad Marcellam. 19) de xeniolis, ad Euſtochium. 20) ead. de re, ad Marcellam. 21) Laus familiaris ſenis, ad Paulum concordienſem. 22) Inſtitutio virginis ſacræ, ad Euſtochium. 23) de converſione Bleſillæ, ad Marcellam. 24) Conſolatio ſuper morte filiæ, ad Paulam. 26) Conſolatio ſuper morte uxoris, ad Pammachium. 27) Epitaphium Paulæ, ad Euſtochium. 28) Exhortatio ad piam vitam, ad Lucinum. 29) Epitaphium Lucini betici, ad Theodoram. 30) Epitaphium Fabiolæ, ad Oceanum. 31) Familiaris, ad Theophilum. 32) Conſolatio coecitatis, ad Abigaum. 33) Conſolatio coecitatis, ad Caſtrutium. 34) Conſolatio in adverſis, ad Iulianum. 35) Exhortatio ad Chriſti militiam, ad Exuperantium. 36) Reconciliatio offenſarum, ad Caſtorinam. 37) Familiaris & iocoſa, ad Iulianum. 38) Familiaris & pia, ad Theodoſium. 39) de obtrectatione, ad virgines hermonenſes. 40) Familiaris, ad Auguſtinum. Stilus huius epiſtolæ non eſt ſimilis hieronymiano, ſimilior autem, ex iudicio *Eraſmi*, auguſtiniano. Nihilque illa continet memoratu dignum. *Du Pin* 112. 41) Laus *Bonoſi*, ad Rufinum. 42) Familiaris, ad Nitiam. 43) Exhortatio ab exemplo *Bonoſi*, ad Chromatium. 44) Familiaris ad Chryſogonum. 45) de modeſtia, ad Antonium. 46) Caſtigatio relapſi, ad Ruſticum. 47) De vitando virgini ſuſpecto contubernio. 48) Obiurgatio diaconi impudici, ad Sabinianum. 49) de muliere ſepties icta, ad Innocentium. 50) Vita *Pauli* eremitæ. 51) Vita *Hilarionis*. 52) Vita *Malchi*, captivi monachi. 53) Catalogus ſcriptorum illuſtrium, ad Dextrum. Vide *Hülſem.* Patrol. c. 4. §. 54. 63. & *Boſii* Introd. in notit. ſcript. eccleſ. c. 3. §. 2. Sunt autem nu-

mero 135. a paſſione Chriſti usque ad annum 14. THEODOSII ſen. Ei laciniæ quædam ſunt aſſutæ: nam Hieronymus non recenſuit, niſi ſcriptores: at hic omnes apoſtoli commemorantur. Exhibetur etiam Catologi iſtius verſio græca *Sophronio* adſcripta, qui non eſt ille, cuius Hieronymus poſtremo capite meminit, neque etiam Eraſmus, aut alius iſtius ævi, ſed quidam * Suida vetuſtior. *Boſ.* l. c. §. 5. *Voßius* in annot. ad Ignatii epiſt. ad Smyrn. p. 35. putat, impoſtorem illum, qui Sophronium præ ſe fert, vixiſſe ſec. XIV. 54) Catalogus ſcriptorum illuſtrium per *Gennadium* maſſilienſem. Qui quidem eſt interpolatus: nam ea, quæ poſt caput 85. de Fauſti rhegienſis libris ſubiunguntur, a poſteriore aliquo ſcriptore fuerunt ſuperaddita. *Boſius* §. 7.

Tomo II. qui Defenſor fidei & orthodoxiæ inſcribi poteſt, continentur Polemica. Nimirum 1) de perpetua virginitate, adverſus *Helvidium*. 2) de excellentia virginitatis, adverſus *Iovinianum*. 3) Apologia pro libris adverſus Iovinianum, ad Pammachium. 4) adverſus calumniatores, ad Domnionem. 5) Adverſus eosdem, ad Pammachium. 6) Adverſus *Vigilantium* velitatio, ad Riparium. 7) De colendis martyrum reliquiis, adverſus *Vigilantium*. 8) De *Montani* erroribus, ad Marcellam. 9) Exhortatio adverſus hæreticos, ad Riparium. 10) Simile argumentum, ad Apronium. *Eraſmus* dubitat de hac epiſtola, ſit ne Hieronymi, nec ne, ob ſtili diverſitatem. 11) De hypoſtaſibus *Arianorum*, ad Damaſum. 12) Ead. de re, ad eund. 13) Adverſus *Luciferianos* Dialogus. 14) De *Origenis* erroribus, ad Avitum. 15) Adverſus *Origeniſtas*, ad Io. hieroſolymitanum. 16) Adverſus *Ioannem* hieroſ. ſuſpectum arianiſmi nomine. 17) Adverſus eundem, ad Theophilum. 18) Præfatio *Rufini* in libros περὶ ἀρχῶν. 19) *Pammachii* & *Oceani* excitatio ad defenſionem ſui, ad Hieronymum. 20) Adverſus *Origeniſtas*, ad Pammachium & Oceanum. 21) Expoſtulatio de figurata laude, ad Rufinum. 22) Adverſus *Rufini* calumnias, ad Pammachium. 23) Eadem de re, ad ipſum Rufinum. 24) Adverſus *Pelagianos*, ad Cteſiphontem. 25) Adverſus eosdem Dialogorum libri III. 26) *Theophilus*, epiſcopus alexandrinus, de damnandis & damnatis *Origeniſtis*. 27) Ead. de re, Hieronymus. Dubitat etiam de hisce Theophili & Hierony- mi

* Suida] Quem alii in IX. alii in X. alii in XImum referunt ſæculum.

Digitized by Google

mi epiſtolis *Eraſmus*, ita tamen, ut ſuum cuique iudicium relinquat. 28) Ead. de re *Epiphanius* ad Hieronymum. 29) Familiaris, ad Marcellam. 30) Hortatoria ad *Vigilantium*, ut reſipiſcat. 31) Quatenus legendus *Origenes*, ad Tranquillinum. 32) Fidei ſuæ declaratio, ad Marcum. 33) De opprimendis *Origeniſtis*, ad Pammachium. 34) De extincta *celeſtiana hereſi*, ad Auguſtinum. 35) Extimulatio adverſus hæreticos, ad eundem. 36) Ead. de re, ad eundem. 37) Familiaris, ad Marcellinum. 38) An, qui alteram uxorem a baptiſmo duxerit, poſſit fieri ſacerdos? ad Oceanum. 30) Quatenus utendum literis profanis, ad Magnum. 40) De gradu presbyteri & diaconi, ad Euagrium. 41) *Auguſtini* de mendacio in SS. literis, & translatione *Hieronymi* ex hebr. veritate epiſtolæ III. 42) De mendacio in SS. literis, ad Auguſtinum. 43) *Auguſtini* excuſatio. 44) Hieronymi ſatisfactio. 45) Familiaris, ad Auguſtinum. 46) *Auguſtini* adhortatio ad concordiam cum Rufino. 47) Familiaris, ad Auguſtinum. 48) Familiaris *Auguſtini* ad Præſidium. 49) Adhortatio ad concordiam, ad Auguſtinum. 50) *Auguſtinus* de mendacio. 51) Commendatio amici, ad Auguſtinum. 52) Purgatio a crimine amoris in Paulam, ad Aſellam. 53) In *Onaſum* obtrectatorem. 54) De optimo genere interpretandi, ad Pammachium. 55) Defenſio interpretationum, ad Marcellam.

Tomo III. *ἐξηγηματικα* ſiue Præfationes & Q qum explicationes, & quidem 1) de ſtudio divinæ ſcripturæ, ad Paulinum. 2) Præfatio in pentateuchum uerſum. 3) In Ioſuam verſum præfatio. 4) In libros regum verſos præfatio. 5) In Paralipomena verſa. 6) Altera in idem opus præfatio, ad Domnionem & Rogatianum. 7) In Eſdram & Nehemiam præfatio. 8) In Tobiam. 9) In Iudith. 10) In Heſter. 11) In Iob ex hebræo verſum. 12) In Iob e LXX. verſum. 13) in Proverbia Salomonis. 14) In Eccleſiaſten verſum. 15) In Eſaiam ex hebræo verſum. 16) In Ieremiam verſum. 17) In Ezechielem verſum. 18) In Danielem verſum. 19) In XII. Prophetas verſos. 20) In Ioëlem. 21) In 4. euangeliſtas caſtigata præfatio. 22) *Damaſi* Qq. 3. veteris legis, videl. 1. quid ſibi velit, quod ſcriptum eſt Gen. 4, 23. *Omnis, qui occiderit Cain, VII vindictas exolvet.* 2. Cur deus loquatur ad Abraham, filios Iſraël quarta generatione de Ægypto reuerſuros, & poſtea Moſes ſcribat: *Quinta autem progenie aſcenderunt filii Iſraëlis de terra Ægypti.* 3. Cur Iſaac, vir iuſtus & Deo carus, non illi

illi, cui voluit, ſed cui noluit, benedixerit. 23) Ad ſuperiores Qq. reſponſio. Equidem & duas alias Qq. propoſuerat, nimirum, ſi omnia, quæ Deus fecerat, bona fuerunt, cur diſtinctio ſit facta inter animalia pura & impura? & cur Abraham ſuſceperit circumciſionem in ſignum fidei ſuæ? Sed Hieronymus ad hasce non reſpondit, quia nervoſe iam tractatæ fuerunt a Tertulliano, Novatiano, Origene, & Didymo. *Du Pin* T. III. 126. 24) de *Melchiſedech*, ad Euagrium. 25) de 40. manſionibus Iſraëlitarum, ad Fabiolam. 26) De veſtibus ſacerdotalibus, ad eand. 27) De terra promiſſionis, ad Dardanum. 28) De Ephod & Teraphim, ad Marcellam. 29) De iudicio Salomonis pueri, ad Rufinum. 30) De *Salomone* & *Achaz* ante tempus patribus, ad Vitalem. 31) De Tharſis, ad Marcellam. 32) De ordine & titulis pſalmorum, ad Sophronium. 33) Emendatio pſalterii in certis locis, ad Sunniam & Fretelam. 34) De X. myſticis nominibus Dei, ad Marcellam. 35) Quid Ebræis ſit *Halleluia?* ad eand. 36) de Selah, ad eandem. 37) Expoſitio pſalmi 89. vel 90. ad Cyprianum. 38) Expoſitio pſalmi 44. vel 45. ad Principiam. 39) Expoſitio pſalmi 126. vel 127. ad Marcellam. 40) Expoſitio primæ viſionis Eſaiæ c. 6. ad Damaſum. 41) De Seraphim & calculo ardente, c. eod. 42) *Damaſi* quæſtio de Hoſianna, Matth. 21, 9. 43) Reſponſio ſuper ead. quæſtione ad Damaſum. 44) De frugi & luxurioſo. Luc. 15, 11. & ſeqq. ad eundem. 45) de 3. quæſtionibus, ad Amandum, videlicet ſuper Matth. 6, 24. *Ne ſitis ſoliciti de craſtino.* 1. Cor. 6, 18. *Qui fornicatur, in proprium corpus peccat.* & 1. Cor. 15, 28. *Ipſe filius ſubiicietur ei, qui ipſi ſubiecit omnia.* 46) de V. Qq. ad Marcellam, quæ eas propoſuerat. Prima earum concernit conciliationem duorum Pauli locorum, in quorum altero dicitur, *ſpiritum hominis non comprehendere, quæ Deus præparavit ipſum amantibus*; in altero: *Deum revelaſſe id nobis per Sp. S. ſuum.* Secunda de explicatione *collocationis caprorum & ovium*, qua Hieronymus per illos intellexerat iudæos, per hasce gentiles. Tertia de transportatione vivorum per aërem in die iudicii extremi, 1. Cor. 15, 51. Quarta de verbis Chriſti ad Magdalenam Matth. 20, 16. *Ne me tangito, nondum enim aſcendi ad Patrem meum.* Quinta, An Chriſtus, dum erat poſt aſcenſionem in terra, fuerit eodem etiam tempore in cœlo? 47) de blaſphemia in Sp. S. Matth. 12, 31. ad eand. 48) de XII. Qq. ad Hedibiam. 1. Quomodo perfectus quis eſſe poſſit, & quomodo vivere

Digitized by Google

vere debeat vidua, quæ ſine liberis derelicta eſt? 2. Quomodo accipiendum illud Matth. 26, 29. *Dico vobis: non bibam ab hoc tempore ex hoc fructu vitis.* 3. Cur de reſurrectione Domini & apparitione euangeliſtæ diuerſa narraverint? 4. Quomodo ſecundum Matthæum c. 28, 1. *Veſpere ſabbati* Maria Magdalena viderit Dominum reſurgentem, & Ioannes euangeliſta c. 20, 1. 11. referat, eam *mane una ſabbati* iuxta ſepulcrum fleviſſe? 5. Quomodo teſte Matthæo c. 28, 1. 9. Maria Magdalena veſpere ſabbati cum altera Maria advoluta ſit pedibus Salvatoris, cum ſecundum Ioannem c. 20, 17. audierit a Domino: *Noli me tangere, nec dum enim aſcendi?* 6. Quomodo cuſtodiente militum turba, Petrus & Ioannes libere ingreſſi ſint ſepulcrum, nullo prohibente cuſtodum? 7. Quomodo *Matthaus* c. 28, 7. & *Marcus* c. 16, 7. ſcribant, apoſtolis mandatum per mulieres, ut irent in Galilæam Dominum reviſuri, cum *Lucas* c. 24, 36. & *Iohannes* c. 20, 19. Hieroſolymis ab illis viſum eſſe perhibeant. 8. Quid ſignificet, quod in euangelio *Matthai* c. 27, 50 - 53. ſcriptum eſt. 9. Quomodo Salvator ſecundum *Iohannem* c. 20, 22. inſufflaverit Spiritum S. in SS. apſtolos, & ſecundum Lucam c. 24, 49. poſt aſcenſionem ſe miſſurum promittat. 10. Quid ſignificet illud, quod Paulus ſcribit in epiſt. ad *Rom* c. 9, 14 - 33. 11. de ſenſu verborum 2. ad Corinth. 2, 16. 12. de ſenſu verb. 1. ad *Theſſ.* 5, 23. 49) De XI. Quæſtionibus ad Algaſiam, quarum 1. eſt: Cur Iohannes *Matth.* 11, 3. diſcipulos ſuos mittat ad Dominum, ut interrogent eum: *An tu es, qui venturus eſt?* cum prius ipſe de eodem dixerit c. 1, 29. *Ecce agnus Dei.* 2. De ſenſu verborum apud *Matth.* 12, 20. *Arundinem quaſſatam non confringet.* 3. De ſenſu verborum apud *Matth.* 16, 24. *Si quis vult venire poſt me.* 4. De ſenſu verborum *Matth.* 24, 18. 19. 5. De ſenſu verborum apud *Luc.* 9, 53. *Et non receperunt eum, quoniam facies eius erat obfirmata vadens in Ieruſalem.* 6. Quis ſit *villicus iniquitatis*, qui Domini voce laudatus eſt, *Luc.* 16, 8. 7. De ſenſu verborum in epiſt. ad *Rom.* 5, 7. *Vix enim pro iuſto quis moritur.* 8. De ſenſu verborum c. 7, 8. 9. De ſenſu verborum c. 9, 3. 4. 10. De ſenſu verborum ep. ad *Col.* c. 2, 18. *Nemo vos ſuperet volens in religione angelorum.* 11. De ſenſu verborum 2. ad *Theſſ.* 2, 3. & ſeqq. de *antichriſto.* 50) Homiliæ II. *Origenis* ab Hieronymo verſæ, in Canticum canticorum. 51) Expoſitio loci in ep. 1. ad *Corinth* 15, 51. *Non omnes quidem obdormiemus, omnes tamen mutabimur.* 52) De II. quæſti-

unculis, ad Paulinum, quarum prior eſt: Quare ſit a Deo *induratum cor Pharaonis Ex.* 10. & apoſtolus dixerit: *Non volentis, neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei. Rom.* 9, 16. poſterior: Quomodo *ſancti* ſint, qui de fidelibus i. e. baptizatis naſcuntur? 1. *Cor.* 7, 14. 53) Epiſtola familiaris, ad Deſiderium. 54) Interpretatio alphabeti hebraici, ad Paulam Vrbicam. 55) Traditiones ſ. Qq. hebraicæ (ſeu expoſitiones iudæorum) in *Geneſin.* Quibus quandoque inſertæ deprehenduntur exegeſes heterodoxæ, auctoribus earum non indicatis. Rich. *Simon* Hiſt. crit. Commentator. N. T. c. 2. *Clericus* in Qq. Hieronym. qu. XIII. nihil aliud in iis ait contineri, quam collationem non admodum accuratam verſionis latinæ cum textu hebr. & verſionibus græcis. *Acta erud.* A. 1701. 35. 56) Traditiones ſ. Qq. hebr. *in libros Regum* (videl. duos Sam. & duos Regum.) Quanquam hoc opus *Eraſmo* non videtur eſſe Hieronymi, eruditum licet & ad cognitionem S. Scripturæ oppido conducibile. *Du Pin* 131. 57) Traditiones ſiue Qq. hebr. *in Paralipomenon.* Idem de hiſce, quod de prioribus, iudicat *Eraſmus.* 58) Loca hebraica. Io. Henr. *Heidegger* in Hiſt. patriarch. p. 96. ſcriptum hoc aſſignat *Euſebio Pamphili.* Vide & *Cren.* P. III. Animadverſ. philol. 75. *Maſius* in Ioſ. 8, 30. p. 1615. Hieronymum libelli huius interpretem, non auctorem fuiſſe contendit. 59.) Loca *Actorum*, ſiue explicatio regionum & urbium, quarum mentio fit in Actis. Hoc opus, ait *Eraſmus*, ob eruditionem mihi plane Hieronymi videretur, niſi quodam in loco citaret Hieronymum. *DuPin* T. III. p. 131. fere Bedæ tribuit, quia inter opera eius reperitur. Vide etiam *Kortholt* Exercit. ad Baronii Annal. 10. 60) Nomina hebraica, ſiue interpretationes nominum hebraicorum. Mirum autem, quod Hieronymus, aut quiſquis eſt auctor, etiam nomina græca (ut æthiopia &c.) interpretari voluerit iuxta ſermonem hebraicum. Vide *Eraſmum* in Cenſura, & *Cren.* l. c. Immo plane falſis ac violentis etymologiis ſcatet hic tractatus. *Cleric.* Qq. Hieron. qu. XI. idemque ibid. de Hieronymo in genere pronuntiat, eum quidem in Commentariis frequentius & pluribus, quam alii plerique veteres ſolent, grammaticum ſenſum explicare & illuſtrare, ex antiquis præſertim verſionibus, interim eos meram fere alienarum interpretationum continere hiſtoriam, dictatos ſumma feſtinatione, neque tam accuratos eſſe, ut *Grotii*, *Druſii*, & aliorum, qui eorum legunt veſtigia.

Digitized by Google

Tomo IV. ſuppoſititia & aliena, videl. 1) epiſtola de virginitate, ad Demetriadem. *Cæleſtii* pelagiani eſſe creditur. *Placc.* de Pſeudon. 351. 2) Superioris epiſtolæ caſtigatio, ad Iulianam. 3) De contemnenda hereditate, ad Geruntii filias. Etiam hæc auctorem habet pelagianum. 4) Conſolatio in aduerſis, ad Marcellam. 5) Conſolatio exilii, ad virginem aliquam. 6) Conſolatio ad amicum ægrotum. 7) De viro perfecto, ad amicum ægrotum. 8) De cognitione diuinæ legis. 9) de tribus virtutibus (Dei videlicet, fortitudine, ſapientia, ac prudentia.) 10) De aſſumtione *B. Mariæ* ſermo. Eſt latini cuiusdam, viventis eo tempore, quo oriens infectus erat eutychianiſmo. Et quamvis excurrat in laudes B. Virginis, non tamen dicit, eam eſſe reſuſcitatam, & corpus elevatum in cœlum. *Du Pin* 133. Sophronio minus recte tribuitur. *Placc.* 209. 11) Eadem de re Sermo. 12) epiſtola de honorandis parentibus. 13) De 7. gradibus ſiue ordinibus eccleſiæ. 14) De laude virginis. 15) De membris Dei. 16) DAMASI Symbolum. 17) Symboli explanatio, ad Damaſum. Eſt *Pelagii. Placc* 355. 18) Explanatio fidei, ad Cyrillum. 19) Symbolum *Rufini.* 20) De cereo paſchali, ad Præſidium. 21) De vera circumciſione. 22) De celebratione paſchæ. 23) In Suſannam lapſam. Vide, quæ notavimus ad ſextum ſcriptum Tomi I. opp. Ambroſii. 24) Obiurgatio, ad Euagrium. 25) de militando Chriſto. 26) De X. tentationibus Iſraëlitarum. 27) Expoſitio *pſalmi* 41. *vel* 42. 28) Expoſitio *pſalmi* 117. *vel* 118. 29) De muſicis organis, ad Dardanum. 30) De reſurrectione Domini, ſermo. 31) De nativitate Domini, ſermo. 32) De epiphania Domini, ſermo. 33) De Quadrageſima, ſermo. 34) De eſu agni. 35) De reſurrectione Domini. 36) De vinculis Petri, ad Euſtochium. 37) De obſervatione vigiliarum. 38) Exhortatio, ad Pammachium & Oceanum. 39) De pœnitentia. 40) De generibus leprarum. 41) De filio prodigo. 42. *Paulini* ad Sebaſtianum eremitam epiſtola. 43) Apologia *Pamphili* pro Origene. 44) *Rufinus* de adulteratione libror. Origenis, ad Macarium. 45) Eadem de re, ex *Origenis* epiſtolis. 46) Libri *περὶ ἀρχῶν Origenis*, Rufino interprete, ad Macarium. 47) *Rufini* epiſtola pro fide ſua, ad Anaſtaſium. 48) *Anaſtaſii* epiſtola de Rufino, ad Hieroſolymorum epiſcopum. 49) Invectivarum *Rufini* in Hieronymum libri II. 50) *Auguſtini* quæſtio ex epiſtola Iacobi c. 2, 10. *Qui totam legem ſervaverit* &c. 51) Eiusdem de ratione animæ. 52) Eiusd. de *origine animæ,*

Digitized by Google

nima, ad Optatum. 53) Eiusd. de *paſtoribus* homilia. 54) *Valerius* de non ducenda uxore, ad Rufinum. 55) Regula monachorum ex Hieronymi (& aliorum) ſcriptis conſarcinata, per *Lupum* quendam olivetanum, cum approbatione MARTINI pontificis. *Du Pin* 134. 56) Dialogus *Hieronymi* & *Auguſtini* per ineptum quempiam ex ipſorum ſcriptis collectus. 57) Homilia de corpore & ſanguine Chriſti, incerto auctore. 58) Homilia ſuper euangelium *Lucæ* c. 11, 5. 59) Laudatio Hieronymi per Petrum *Vergerium*. 60) Conſolatio ſuper morte filiæ, ad Tyraſium. 61) De ferendis opprobriis, ad Oceanum. 62) De vita clericor. ad Oceanum. 63) ad Hieronymum, titulo DAMASI. 64) ad Damaſum, titulo Hieronymi. 65) Catalogus ſcriptorum eccleſiaſticorum, ad Deſiderium. 66) De virtute pſalmorum, ad Paulam & Euſtochium. 67) de Oblationibus altaris, ad Damaſum. 68) Regula monacharum. 69) De nativitate *B. Mariæ*. Eſt *Seleuci*, Manichæorum apoſtoli, qui & *Leucius* dictus eſt, ac *Leontius*. *Placc.* 208. Scriptum nugarum & impietatum plenum. *Caſaubon* Exercit. p. 90. 70) De morte Hieronymi, ad Damaſum. 71) de tranſitu & laudibus Hieronymi, ad Cyrillum. 72) De mirandis Hieronymi, ad Auguſtinum. 73) Vita D. Hieronymi, incerto auctore. Atque hos 4. primos Tomos debemus *Eraſmo*, quippe qui eos recenſuit, & cenſuris, argumentis ac ſcholiis ornavit; reliquos Brunoni & Baſilio *Amorbachiis*, Ioannis, doctiſſimi typographi, filiis.

V. Tomo continentur Commentaria in 4. *Prophetas maiores*, ac *lamentationes Ieremiæ*. Quanquam poſtremum hoc ſcriptum potius eſt *Rabani*, qui obſervationes diverſorum Patrum, & in primis *Gregorii* in unum collegit librum. *Du Pin* p. 131. & *Eraſm.* in Cenſura. Ceterum Commentaria illa in 4. prophetas maiores ſummopere commmendantur ab *Amorbachiis*, dicentibus: Hieronymum in ceteris viciſſe omnes, in his Prophetarum commentariis ſe ipſum. Multa tamen in comment. in Ieſaiam ex falſa auditione, ſi *Caſaubono* credimus in Exercit. p. 51. falſa tradit. De B. autem Hieronymi commentario MS. in Iobum, qui Traiecti Batavorum in bibliotheca Marci Meibomii exſtat, & pro quo Comes *d' Avaux*, legatus R. Gall. decem M. florenor. hollandicorum illi adhuc vivo obtulit, vide *Acta erud.* A. 1711. 269. 513.

VI.

VI. Tomo Commentaria *in XII. Prophetas minores*, cum prophetarum vaticiniis, ex hebræo pariter & græco idiomate translatis in latinum.

VII. Tomo Comment. 1) *in Parabolas Salomonis. Eraſmo* videtur eſſe a *Beda* e diverſis collectum opus. 2) In *Eccleſiaſten*. 3) Quatuor homiliæ in *Canticum canticorum*, nomine *Origenis*. 4) Commentarii in *Iob*, ad Vecterium, incerto auctore. Fortaſſis collecti ſunt a Beda, ait *Eraſmus* in Cenſura. Cui ſubſcribit *Du Pin* 132.

VIII. Tomo 1) Commentarii in *Pſalterium*. Sunt & hi ſuppoſiititii, iuxta *Eraſmum* & *Du Pin* 131. 2) *Pſalterium* iuxta hebraicam veritatem.

IX. Tomo 1) Canones euangeliorum *Euſebii*. 2) Commentarii in *Matthaeum*. 3) in *Marcum*. Hoc opus plane indignum eſt Hieronymo,quia auctor eius nec hebraice, nec græce doctus fuit,ceu iudicat *Eraſmus*, & *Du Pin* l. c. 4) Euangelium iuxta *Lucam*. 5) Euangelium iuxta *Ioannem*. 6) Comment. in *epiſtolam ad Galatas*. 7) in epiſtolam *ad Epheſios*. Etiam hisce Commentariis insertæ ſunt interdum exegeſes heterodoxæ, auctoribus earum non indicatis. Vide *Acta erudit*. ad A. 1693. p. 107. 8) in epiſt. *ad Titum*. 9) in epiſt. *ad Philemonem*. 10) in omnes *paulinas epiſtolas*, incerto auctore. Hic Commentarius *Eraſmo* collectus videtur a ſtudioſo quopiam non indocto, ſed admixtis quibusdam alterius parum eruditi. Alii eum tribuunt *Pelagio*, aut certe *pelagiano* homini. *Du Pin* 132. *Acta erud*. A. 1693. 108. 11) *Didymi* de Spiritu S. liber, ab Hieronymo verſus. 12) *Index* in hosce IX. Tomos, qui obſervante *Clerico* T. XVII. de la Biblioth. choiſ. p. 16. melior eſt indicibus aliarum editionum, isque quintuplex: quorum primus continet in genere, quæ in toto opere notabilia proponuntur; ſecundus, quæ in epiſtolarum ſcholiis Deſ. *Eraſmus* tradidit; tertius voces græcas explicat; quartus hebraicas dictiones exponit; ultimus ſcripturarum locos ſparſim explicatos oſtendit.

Iam obſervanda & corrigenda, ut aliis videtur, quædam notabimus.

Tomo I. in Gennadii Catal. illuſtr. viror. p. 317. Niceas *Romana* civitatis epiſcopus.	Lege: *Romaciana* civitatis: id eſt, Aquileiæ. *Cave* P. I. 219.

Tomo III. in epiſt. ad Sophronium p. 79. Quorum (prædeceſſorum meorum) translationem (libri pſalmorum) diligentiſſime emendatam, olim *mea lingua hominibus* dederim. — Per *ſuam linguam* intelligit latinam. *Colomeſ.* 664.

Ibidem: Hieronymus *Sunia* & Fretelæ. — Lege: *Sunnia.* Sunnia autem & Fretela non erant feminæ, ſed viri. Io. *Martianay* in epiſt. gall. ad Cuetios fratres.

Ibid. in præfat. in librum Regum, p. 16. Certumque eſt, *Esdram* ſcribam legisque doctorem poſt captam Hieroſolymam, & inſtaurationem templi ſub Zorobabel, *alias literas* (*hebraicas*) *reperiſſe*, quibus nunc utimur: cum ad illud usque tempus iidem Samaritanorum & Hebræorum characteres fuerint. — Negat *Calovius* in Critico ſacro p. 90.

Hieronymus, Stridonii, urbe Hiſtriæ, (quæ prouincia vulgo Iſtria vocatur) natus, (de quo vide *Comenium* de Eccleſ. Slauon. p. 4. *Brovvn* Itinerar. 219. & *Extracta* menſtrua A. 1700. 275.) in grammaticis *Donati*, in rhetoricis *Victorini*, in hebraicis *Bar Hanina*, in ſacris litteris *Paulini* antiocheni, *Didymi* alexandrini, & *Gregorii* theologi diſcipulus, adulta iam ætate Romæ baptizatus, per Italiam, Galliam, Dalmatiam, Thraciam, & Aſiam peregrinatus, A. 378. presbyter a Paulino antiocheno ordinatus, eremi bethlehemitici propter facinora incola factus, antea vero apud DAMASVM papam ſcribendarum epiſtolarum munere functus, Bethlehemi obiit A. 420. æt. 91. Erat contra hæreticos leo rugiens (hinc & cum leone pingitur, *Olear.* P. I. 334.) ac ſupra ceteros omnes Patres ornatus dotibus, ad eruendas origines ſacras, & ſcripturam S. rite interpretandam neceſſariis; (Ioſ. *Scaliger* Prolegom. in Theſaur. * * iiii.) non tamen ſemper accuratus, ſubinde ſequens *Theodotionem*, *Symmachum* & *Aquilam*, nec ſatis doctus hebraice & græce, plerumque ſcribis ſuis tantum dictabat, ut ipſe refert, quæ in

alio-

Digitized by Google

aliorum commentariis legerat, aut quæ a iudæis acceperat. *Eraſmus* in præfat. & epiſt. nuncupator. Operum Hieronymi, & in eius Vita, item in Epp. T. III. p. 399. *Launoius* in Epp. p. 149. & *Clericus* in Actis erudit. A. 1701. 32. Hinc caute procedendum eſt in impingendis ei erratis, qualia collecta ſunt in *Centur.* IV. Magdeburg. p. 124. & in Patrol. *Gerhardi* 324. Ætate prouectior reuocavit, quæ de baptiſmo hæreticorum in Dial. contra Luciferianos ſcripſerat iunior. *Launoius* 825. Nec poteſt negari, eum præferuidi & impotentis animi fuiſſe, & ſemel laceſſitum aduerſarios aſperrime tractaviſſe, ceu experti ſunt *Ioannes* ieruſalemitanus, *Iovinianus*, *Vigilantius*, (quem ob ſpretas vigilias *Dormitantium* per contumeliam appellat) aliique. Vide *Spanhem.* Orat. de emendat. ſtud. (Introduct. ad hiſt. S.) p. 576. Et quod ad nuptias attinet, de iis minus honeſte ac verecunde ſenſit. *Blount* 254. *Du Pin* 135. Stilus eius meretur laudem puritatis & viuacitatis. *Du Pin* 134. Plura de Hieronymo dabunt *König* 402. *Magirus* 439. *Olearius* P. I. 334. *Cave* P. I. 153. *Launoius* 791. 798. *Horn.* Hiſt. eccl. 110. *Crenius* de furib. librar. 63. G. *Arnold* P. I. lib. V. cap. 3. Cauendum autem ab eius fabulis de ipſius flagellatione in viſione facta ob lectionem ſcriptorum ethnicorum, ac præcipue Ciceronis, de muliere ſepties icta, deque vitis eremitarum, *Pauli*, *Hilarionis*, *Malchi*, & rel. C. *Thomaſius* in Cautelis circa hiſt. eccl. 161.

XLIV.

Aurelii AVGVSTINI Opera omnia, Tomis X. Pariſiis 1555. ſecundum editionem *Eraſmi*, & cum eiusdem cenſuris. volum. V. Ex bibliotheca Io. Sauberti, antiſtitis noribergenſis, qui & ſua manu nomen adſcripſit ſuum. Hæc editio, ut bona commendatur a *Mareſio* in diſp. de Immacul. concept. B. Mariæ virginis, quem allegat F. V. *Calixtus* in lib. eodem de argumento p. 42. Et ſane eſt correctiſſima atque integra, nullamque caſtrationem paſſa. Omnes autem priores editiones antecellit pariſienſis *monachorum Benedictinorum* A. 1681. recuſa Antverpiæ A. 1700. cum appendice, eaque recenſetur in *Actis erudit.* A. 1683. p. 3. contra quam tamen prodiit *Defenſe* de l' edition des Oevres de St. Auguſtin par les PP. Benedictins. 8. De aliis editionibus videantur *Gerhardus* Patrol. 361. *Hülſemann*, Patrol. c. 5. §. 3. *Cave* P. I. 174. *Acta erud.* A. 1683. 1. *Du Pin* T. III, 257.

In noſtra Auguſtini operum editione, & quidem primo in volumine, quædam præmittuntur, videlicet 1. Index, isque quintuplex, nimirum Operum Auguſtini, quæ extant, ordine litterario excerptus & digeſtus: Locorum ſcripturæ pugnantium, ſed ab Auguſtino conciliatorum: Dictorum ſcripturæ, ab Auguſtino expoſitorum: Rerum & verborum: denique Commentarii Lud. *Vivis* in libros de Civit. Dei, Tomum V. abſolventes. 2. *Eraſmi* epiſtola dedicatoria ad Alphonſum *Fonſecam*, archiepiſcopum toletanum, extans etiam Tomo II. operum p. 1243. in qua virtutes Auguſtini & Fonſecæ laudantur, & quantum laboris emendando Auguſtino impenſum, quique ordo in digerendis voluminibus obſervatus fuerit, indicatur. 3. Vita Auguſtini a *Poßidonio*, qui aliis *Poßidius* dicitur, calamenſi epiſcopo, deſcripta; ubi tamen indiculus operum Auguſtini non eſt adiunctus. Iam ſequuntur contenta ſingulorum. Et quidem

In Tomo I. continentur ea, ex quibus tota Auguſtini vita, mores, ingenium, & affectus perſpiciuntur, videlicet 1) Retractationum libri II. paucis ante mortem annis ſcripti, a morti vicino autem recogniti. In iis Auguſtinus ſua recenſet & recognoſcit ſcripta, (non tamen omnia; non nulla enim poſt illos libros ſcripſit) & quædam in iis emendat. Non igitur credendum, præcipuum Auguſtini ſcopum hiſce in libris fuiſſe correctionem, emendationem, & confeſſionem atque abdicationem commiſſorum in libris ſuis errorum. Iuuat hac de re audire *Eraſmum*, qui ep. 676. p. 1389. Tomi II. ſic ſcribit: *Retractatio* (Auguſtino) nihil aliud eſt quam recognitio. Neque enim eo titulo profitetur, ſe caſtigationem errorum ſuorum, ſed *catalogum & recenſionem operum ſuorum* texere, ac ſingulorum velut argumenta, & eo ſpectare, *ne quid lucubrationum ipſius intercideret, aut alteri tribueretur, quod ipſius eſſet, aut ipſi tribueretur, quod eſſet alterius.* Verum obiter quædam reprehendit, fateor, ſed levicula: veluti, quod alicubi uſus ſit *vocabulo* fortunæ, *quod lapſus ſit in nomine* Medici. *At plura defendit, interdum non ſine tergiverſatione.* 2) Confeſſionum libri XIII. ſcripti circa annum 400. Suntque illi delineatio vitæ anteactæ, qua auctor & vitia & virtutes ſuas in apertum producit, immo & ſecreta cordis ſui. In *Scaligeranis* p. 40. vocantur miſelli libri. 3) De Grammatica liber I. 4) Principia Dialecticæ. 5) Categoriæ X. 6) Principia Rheto-

rices.

rices. Hic & tres proxime præcedentes libri, iudice *Du Pinio* T.III. 171. ſuppoſititii ſunt. 7) de Muſica libri VI. finiti A. 389. 8) Contra Academicos libri III. ſcripti A. 386. ad imitationem Ciceronis in forma Dialogi, & directi ad Romanianum ſuum conterraneum, quem invitat & hortatur ad veram philoſophiam. 9) De Ordine libri II. In quibus agitur de providentia divina, ac oſtenditur, omnia, & bona & mala, cadere ſub ordinem providentiæ divinæ. 10) De vita beata. Quam ait conſiſtere in cognitione Dei. 11) Soliloquiorum libri II. A. 387. Quorum poſterior tamen non eſt ad finem perductus. Scopus auctoris in libris hiſce eſt, magis ſe magisque perficere in cognitione Dei & animæ ſuæ. 12) de Magiſtro. In quo ſcripto A. 389. oſtendit, non eſſe verba hominum, quæ nos inſtruant, ſed æternam veritatem, h. e. Ieſum Chriſtum, Verbum Dei, qui interius nos doceat omnem veritatem. 13) De immortalitate animæ. Liber hic eſt potius memoriale, quam completus liber. 14) De quantitate animæ. Hoc libro, qui ſcriptus fuit A. 388. probatur, animam humanam non eſſe extenſam. Eſtque dialogus inter Euodium & Auguſtinum, iuxta vetuſtos quidem codices. 15) De Libero arbitrio libri III. Quorum primus Romæ fuit ſcriptus A. 387. duo reliqui in Africa circa annum 395. Docet in iis, originem mali proficiſci a libero arbitrio. 16) De vera religione liber I. Scriptus circa annum 390. Oſtenditque auctor excellentiam & requiſita veræ religionis, nec aliam eſſe quam chriſtianam, pariterque refutat errores aliarum religionum, & in primis manichææ. 17) De Moribus eccleſiæ catholicæ & Manichæorum libri II. Scripti circa A. 387. Opponit nimirum horum mores illorum moribus, ac monſtrat, quantum diſtent falſæ Manichæorum virtutes a veris virtutibus diſcipulorum Chriſti. 18) De Geneſi contra Manichæos, libri II. Scripti circa A. 389. In quibus refutat vanas difficultates, quas Manichæi fecerant ſuper tribus primis Geneſeos capitibus. Hoc opus ſupra vires eius fuiſſe videtur, ait Rich. *Simon* in Hiſt. crit. V. T. l. 3. c. 9. 19) Regulæ tres. Ex hiſce tantum poſtrema eſt Auguſtini, ſed ſcripta feminis, non viris, iudicibus *Riveto* Crit. S. I. 4. c. 11. *Cave* P. I. 170. & *Du Pin* 170. Et hæc ab *Holſtenio* tribuitur Adelreido, abbati anglicano, qui floruit ſec. XII. eiusque pars aliqua reperitur in operibus Anshelmi. *Du Pin* 121. Secunda abiudicatur Auguſtino etiam a I. *Bona* Cardinale Opp. P. 3. 197. 20)

De vita eremitica liber I. Qui an ſit Auguſtini, ambiguum eſt. *Rivet.* l. c. *Gerb.* in Patrol. 363. & *Præfatiuncula* Indicis Operum horum.

Tomo II. Epiſtolæ, cum præfatione *Eraſmi.* Inter quas ſpuriæ ſunt epiſtola Auguſtini ad Cyrillum hieroſol. & *Cyrilli* ad Auguſtinum: porro XVI. epiſtolæ Auguſtini ad Bonifacium & *Bonifacii* ad Auguſtinum, videlicet a 182. usque ad 197. incluſive: epiſtola 142. ad Demetriadem: epiſtola ad Iulianum (vel, ſecundum alios, Bonifacium) comitem: & una de viginti, quæ ducentis ac quadraginta duabus adiectæ ſunt a Theologis lovanienſibus. *Gerhard*, Patrol. 364. *Rivet.* l. c. *Cave* 170. In noviſſima editione operum Auguſtini diſtinctæ ſunt eius Epiſtolæ in 4. claſſes, quarum prima continet epiſtolas ante epiſcopatum ſcriptas, ab anno videl. 386. ad annum 395. ſecunda eas, quas ſcripſit ab anno 396. ad annum 410. tertia eas, quas ſcripſit ab anno 411. usque ad finem vitæ ſuæ h. e. ad annum 430. & quarta eas, quarum tempus eſt ignotum, quamvis certum ſit, ſcriptas eſſe a S. patre iam epiſcopo.

Tomo III. Dogmatica 1) de Doctrina chriſt. libri IV. qui ſunt inſtar præfationis ad commentarios Auguſtini in Scripturam S. ſiquidem regulas continent & præcepta neceſſaria ad illius intelligentiam & explicationem. Cœpti ſunt A. 397. & continuati A. 426. 2) Locutionum libri VII. Scripti A. 419. Sunt hi libri tractatus criticus, in quo certæ quædam locutiones, quæ occurrunt in VII. primis V. Tti libris h. e. in libro Geneſeos, Exodi, Levit. Num. Deuteron. Ioſuæ & Iudicum, nec facile in aliis etiam deprehenduntur libris, explicantur. 3) de Fide & Symbolo liber I. Eſt oratio, habita in Concilio A. 393. In qua explicatur Symbolum apoſtolicum. 4) Enchiridion ad Laurentium. Scriptum poſt A. 420. In quo breviter oſtenditur, quid credendum, quid ſperandum, & quid amandum h. e. quomodo colendus ſit Deus. *Laurentius* ille erat vir illuſtris romanus. 5) De Eccleſiaſticis dogmatibus. Liber hic, iuxta *Elmenhorſtium*, qui eum edidit cum notis A. 1614. eſt *Gennadii* maſſilienſis: at capita, quæ ſequuntur 21.um usque ad 52. in MStis non extant, ſed deprompta ſunt ex epiſt. COELESTII pontif. ad Galliæ epiſcopos, & ex conciliis milevitano, africano & arauſicano II. Continet epitomen principalium dogmatum religionis. Sed auctor in doctrina de gratia & libero arbitrio adverſatur Augu-

Digitized by Google

Auguſtino. *Rivet.* Crit. S. I. 4. c. 12. *Du Pin* 242. 6) de Fide ad Petrum (diaconum.) Eſt Fulgentii ruſpenſis. *Rivet.* l. c. *Aff.* P. II, Apol. pro Mar. p. 368. *Du Pin* 230. 7) De Trinitate libri XV. finiti A. 416. In quibus auctor ſubtiliter ratiocinatur de modis explicandi illud myſterium. 8) De Geneſi ad literam liber imperfectus. Scriptus A. 393. Eſt explicatio textus Geneſeos a principio usque ad creationem hominis. Movet plures difficultates ſuper ſingulis verbis, ſibique facit obiectiones; ſed ſæpe non reſpondet, aut ſi reſpondet, non tamen ſatis accurate id agit. Scriptus eſt hic liber contra Manichæos ab Auguſtino nondum epiſcopo, quo oſtenderet, hiſtoriam Geneſeos, literaliter intellectam non eſſe abſurdam & ridiculam, ut hæretici illi imaginabantur. *Du Pin* 214. 4) De Geneſi ad literam libri XII. Cœpti A. 401. & finiti A. 415. Explicat in iis hiſtoriam Geneſeos, ab initio usque ad illa verba, ubi dicitur, quod homo fuerit eiectus e paradiſo. Multas & hic movet quæſtiones, nec tamen ad omnes reſpondet. Sæpe etiam myſticum aut moralem affert ſenſum, qui non ſatis cum litterali convenit. 10) De Mirabilibus Scripturæ S. libri III. Quorum primus continet mirabilia, quæ recenſentur in libris hiſtoricis V. T. ſecundus ea, quæ narrantur in libris Prophetarum; tertius ea, quæ memorantur in libris N. T. Sunt male ſcripti, & parvi uſus. Auctor eorum non eſt Auguſtinus hipponenſis, ſed alius eiusdem nominis, & quidem cambrenſis hibernus, qui, ut ex calculis eius patet, anno ſcripſit 657. *Cave* 172. *Du Pin* 217. 11) De agone chriſtiano. Hic liber eundem habet ſcopum, ac Enchiridion ad Laurentium. Docetur in eo, pugnandum eſſe cum diabolo, & hunc vinci poſſe refrenatione affectuum & obedientia erga Deum, in primis autem fide, & merito Chriſti. Deinde percurrit articulos Symboli, & hæreſes oppoſitas reiicit. 12) De Opere monachorum. Hic liber eſt egregia ſatyra contra monachos nonnullos, qui ſub prætextu dicti Chriſti, *Non oportere nos eſſe ſolicitos de craſtino*, putabant, ſe eſſe exemptos ab omni labore, adeoque nihil aliud agebant, quam ut orarent, legerent, cantarent. Scriptus eſt circa annum 400. 13) De Spiritu & litera ad Marcellinum. Rationem denominationis huius libri, ſcripti A. 413. petiit Auguſtinus ex dicto Pauli 2. *Cor.* 3, 6. *Litera occidit, ſpiritus autem vivificat.* Occaſio autem ſcribendi fuit quæſtio Marcellini comitis, ex libris de Meritis & remiſſione peccatorum

catorum deprompta hæc, Quomodo dixerit Auguſtinus, hominem auxilio gratiæ poſſe vivere ſine peccato, cum tamen non extet exemplum ullius talis hominis? 14) De divinatione dæmonum. Oſtenditur in hoc libro, quomodo nonnulla poſſint prædicere, quamvis ſæpe fallant: & contra religionem chriſtianam peccare, qui eos conſulunt. Supponit autem, demones ſubtiliſſima habere corpora. Scriptus eſt hic liber inter annum 406. & 411. 15) De Spiritu & anima liber I. Eſt collectio locorum, ex pluribus auctoribus excerptorum, & tribuitur ab aliis Hugoni de S. Victore, ab aliis Algero leodienſi, monacho ciſtercienſi. *Cave* 173. *Du Pin* 231. 16) Speculum Scripturæ S. Non eſt commentarius aut opus peculiare in Biblia, ſed ſimplex collectio locorum Scripturæ S. utriusque Teſtamenti, qui præcepta de moribus continent. Auguſtinus quidem ſcripſit eiusmodi librum; ſed an hic ipſe ſit ille, non liquet, maxime cum loca Scripturæ citentur ex verſione Hieronymi: dubium autem non eſt, quin Auguſtinus uſus fuerit antiqua. 17) Quæſtiunculæ de Trinitate. Sunt a quodam excerptæ ex Auguſtini de Trinitate libris. *Gerb* Patrol. 369. 18) De Benedictionibus Iacobi patriarchæ. Eſt fragmentum quæſtionum *Alcuini* ſuper Geneſin, & reperitur etiam in tertio libro commentarii in Geneſin, *Eucherio* lugdunenſi tributi. *Du Pin* 217. 19) Sententiæ CCCLXXXIIX. Collectæ ſunt a *Proſpero* aquitanico ex Auguſtino. Idem Proſper etiam carmine hunc librum compoſuit. *Rivet.* l. 4. c. 12.

Tomo IV. Reliqua τῶν διδακτικῶν, ut 1) De mendacio, ad Conſentium, liber I. Scriptus A. 395. In quo negat, licitum eſſe aliquod mendacium, ſupponens, omne mendacium eſſe malum. 2) Contra mendacium, ad eund. Liber hic ſcriptus eſt A. 420. ad quæſtionem Conſentii, Annon liceat uti mendacio ad detegendum Priſcillianiſtas, qui errorem ſuum mendacio & horribilibus exſecrationibus obtegebant. Auguſtinus autem utrumque improbat, videlicet nefariam Priſcillianiſtarum praxin, & improbum Catholicorum nonnullorum, homines illius ſectæ illicito medio detegere ſtudentium, zelum. Interim in Retractationum libris fatetur S. Auguſtinus, libros iſtos de Mendacio eſſe difficiles ac intricatos, ſeque illos voluiſſe ſupprimere. 9) De fide & operibus liber I. Scriptus A. 413. In quo profligat nonnullos errores, (vide *Acta erudit.* A.

1688.

1688. p. 620.) deprehenſos in libris ſibi transmiſſis, videl. 1. Quosvis ad baptiſmum, ſine examine, admittendos eſſe, qui eum deſiderent. 2. Iisdem proponenda tantum eſſe dogmata fidei, non vero præcepta morum. 3. Fidelem baptizatum, in quocunque moriatur ſtatu, & quantumcunque crimen perpetraverit, ſalvatum iri, dummodo per ignem tranſeat. 4) Quæſtionum (in Pentateuchum) libri VII. Scripti eodem tempore, quo Locutionum libri VII. Ideo autem illos appellavit *Quæſtionum libros*, quoniam ea, quæ ibi diſputantur, magis quærenda propoſuit, quam quæſita diſſolvit: quamvis multo plura in eis ita ſint pertractata, ut poſſint etiam ſoluta & expoſita non immerito iudicari. 5) Quæſtionum euangelicarum libri II. Sunt quædam expoſitiones locorum euangelii ſecundum Matthæum & Lucam, ad interrogationes non neminis ex tempore datæ, circa A. 400. 9) Quæſtionum euangelicarum ſecundum Matthæum liber I. Qua occaſione, ait *Eraſmus* in Cenſura, fragmentum hoc revulſum ſit a ceteris, non ſatis liquet. Stilus tamen & res congruunt Auguſtino, licet in libris Retractationum eius non meminerit. 7) De Conſenſu euangeliſtarum libri IV. Opus hoc magna cura & multo labore ſcriptum fuit circa A. 400. 8) LXXXIII. Quæſtionum liber I. Natales ſuos debet anno 388. 9) XXI. Sententiarum liber I. A ſtudioſo quodam ex variis auctoribus, in primis autem Auguſtino, temere, nulloque ordine congeſtus. Ac ſententiæ ſiue materiæ maximam partem ſunt philoſophicæ. 10) De diverſis Qq. ad Simplicianum libri II. Sunt hi omnium primi, quos ſcripſit Auguſtinus epiſcopus. *Simplicianus* autem erat epiſcopus mediolanenſis, Ambroſii ſucceſſor. 11) De VIII. *Dulcitii* Qq. liber I. Scriptus inter annum 421. & 427. *Dulcitius* hic erat Tribunus in Africa. 12) Quæſtionum LXV. Dialogus. Qq. hæ, propoſitæ ab Oroſio, concinniorem habent ordinem, quam XXI. illæ n. 9. magisque theologicam materiam. Ex variis autem locis ſunt deprompta, primæ XII. e tractatu de Dei trinitate & unitate, qui auctori noſtro falſo tribuitur, nonnullæ e libro Auguſtini ſuper Geneſin, maxima pars ex *Eucherio.* 13) Quæſtionum V. & N. T. liber I. Qui vulgo tribuitur *Hilario* diacono. Vide *Caveum* p. 173. & *Rivetum* Crit. S. l. 4. c. 13. Sed *Du Pinius* exiſtimat, eas non eſſe unius auctoris. p. 218. 14) De cura pro mortuis gerenda, ad Paulinum, liber I. Scriptus

ptus eſt ad reſpondendum quæſtioni *Paulini*, epiſcopi nolani, propoſitæ A. 421. An iuvet mortuum, ſepultum eſſe in eccleſia alicuius martyris? 15) De catechizandis rudibus. Liber hic, ſcriptus ad inſtantiam *Deogratias*, diaconi carthaginienſis, anno præter propter 400. monſtrat, difficilius eſſe, quam vulgo creditur, bene docere religionem: et modum, quo olim docebatur, nobiliorem fuiſſe & ampliorem eo, qui Auguſtini tempore obtinebat. Nimirum docet Auguſtinus: 1. inſtructionem perfectam initium debere ducere a creatione mundi, & ſubſiſtere in tempore præſentis eccleſiæ. 2. Omnia transferenda eſſe ad caritatem, & annitendum, ut is, qui docetur, credat, quod ipſi dicitur, ut ſperet, quod credit, et amet, quod ſperat. 3. Aliter agendum eſſe cum eruditis, aliter cum idiotis. 4. Patefacit ea, quæ ſolent creare faſtidium auditoribus, & remedia contra id mali ſuppeditat. 5. Proponit, exemplorum loco, duos ſermones eiusmodi informationis, alterum longiorem, breviorem alterum. 16) De incarnatione Verbi libri II. Extracti hi ſunt ut plurimum ex libris *Origenis* de Principiis, & auctor ipſum allegat Auguſtinum. *Cave* 173. *Du Pin* 242. 17) De trinitate & unitate Dei. Hic liber excerptus eſt ex ſcriptis Auguſtini tam genuinis, quam ſuppoſititiis. 18) De eſſentia divinitatis. Neque hic liber eſt Auguſtini, tribuitur autem modo *Ambroſio*, modo *Hieronymo*, modo *Anshelmo*, modo *Bonaventura*, & nonnulla ex libro quodam *Eucherii* petita ſunt. 19) De fide rerum inviſibilium. Libellus hic ab aliis inter genuinos Auguſtini libros habetur, atque ita poſt annum 399. ſcriptus fuerit; ab aliis, & quidem *Eraſmo* & *Lovanienſibus*, inter ſuppoſititios numeratur. *Du Pin* 223. Docetur autem in eo, credere nos multas res, quas non videmus, e. g. benevolentiam & amicitiam alterius: atque inde ſequi, quod, qui tollit fidem, quæ nos credere facit res inviſibiles, plane evertat ſocietatem humanam. 20) De ſubſtantia dilectionis. Liber hic compoſitus eſt e duobus parvis tractatibus, qui reperiuntur inter opera *Hugonis* de S. Victore. *Du Pin* 231. 21) De continentia liber I. Eſt ſermo in Pſ. 141, 3. 4. *Compone, Iehova, obſerva os meum.* Quo docetur, veram continentiam conſiſtere in dominio affectuum, & ad vincendum eos neceſſariam eſſe gratiam. Taxantur & ſuperbi, qui ſua excuſant peccata, & in primis Manichæi, qui culpam peccati attribuunt malæ, quæ in ipſis ſit, naturæ. *Eraſmus* quidem ab-

abiudicat hunc librum Auguſtino, ſed *Bellarminus*, Patres *benedictini pariſ.* & *Du Pinius* p. 224. adiudicant. Et iuxta hosce habitus eſt ſermo ille anno præter propter 395. 22) De patientia liber I. Etiam hic eſt tractatus, habitus, ſi Auguſtini eſt, (ceu credunt prædicti ſcriptores, reclamante rurſus *Eraſmo*) circa annum 418. *Du Pin* 229. 23) De bono viduitatis, ad Iulianam. Si & hæc epiſtola Auguſtini eſt, uti contra Eraſmum cum *Bellarm.* & *Benedictinis* pariſ. contendit *Du Pin* p. 226. ſcripta fuit A. 414. atque in ea docetur, ſtatum virginitatis præferendum eſſe maritali; neque tamen condemnantur nuptiæ vel ſecundæ, vel tertiæ. Statuit quidem auctor, magnum crimen eſſe, ſi quis poſt votum virginitatis animum applicet ad nuptias, & ſponſalia ineat, hæc tamen bona eſſe aſſerit & valide contracta, nec habenda pro adulteriis. 24) De vera & falſa pœnitentia. Liber hic non eſt Auguſtini, quamvis ſub eius nomine transſcriptus ſit in Decreta & Sententias, & allegatus a *Petro* bleſenſi. *Du Pin* 232. Nat. *Alexander* (in Veielii Diſſert. iſag. 151.) 25) De ſalutaribus documentis Exhortatio. Neque hic liber eſt Auguſtini, ſed, ex *Cavei* ſententia p. 173. Paulini aquileienſis. 26) De amicitia. Et hic eſt ſuppoſititius, nihilque aliud, quam epitome trium *Aelredi* abbatis rievallenſis eodem de argumento librorum, ab otioſo quodam facta. *Hulſemann.* Patrol. c. 5. p. 1060. *Cave* 173. 27) De ſermone Domini in monte libri II. Scripti circa annum 393. & continentes præcepta & conſiderationes morales, quæ extant in ſermone Domini, relato apud *Matth.* c. 5. 6. & 7. Et in ſecundo libro explicatur Oratio dominica. *Du Pin* 216. 28) Expoſitionis epiſtolæ Pauli ad Rom. inchoatæ liber I. Scriptus circa annum 394. Atque hic liber verſatur in expoſitione ſalutis, quæ exſtat ſub initium epiſtolæ ad Rom. Vnde colligere licet, quam amplus evaſiſſet hic commentarius, ſi fuiſſet continuatus: at vero operis difficultas & amplitudo effecit, ut Auguſtinus manum inde retraheret. 29) Expoſitionis quarundam propoſitionum ex epiſt. ad Rom. liber. I. Scriptus eodem, quo prior, tempore, ad quæſtiones a non nemine propoſitas. Quod ſi incautius interdum loquitur, quaſi videlicet initium fidei ſit ab homine, & non a gratia Chriſti, ſciendum eſt, ipſum Auguſtinum talia poſtea retractaſſe. 30) Expoſitionis epiſtolæ Pauli ad Galatas liber I. Scriptus circa idem ferre tempus. Atque in eo explicatur textus, ſine longis digreſſio-

greſſionibus. 31) Annotationum in Iob liber I. Eſt explicatio literalis textus Iobi, ſed opus valde imperfectum: nam Auguſtinus notas illas adſcripſit margini textus, alii autem inde excerpſerunt; & quidem nonnunquam minus accurate, dum notas quasdam iunxerunt illis textus, verbis, ad quæ plane non pertinent.

Tomo V. XXII. libri de Civitate Dei, cum comment. Io. Ludov. *Vivis*. Quibus præmittitur Vivis epiſtola dedicatoria ad HENRICVM VIII. Angliæ Regem, cum eiusdem reſponſoria. In qua non dicitur, uti quidem referunt Ephemerides quædam ad d. 15. Martii anni 1666. ipſum accipere Commentarios iſtos ut gratiſſimum munus omnium, quæ ſibi offerri poſſent, ſed gratos ſibi illos effeciſſe, ut prorſus dubitet, cui potiſſimum gratulari debeat, Vivi ne, cuius tam erudito labore tam egregium opus abſolutum ſit, an Auguſtino, qui diu mutilus & obſcurus ex denſiſſimis tandem tenebris luci datus, & priſtinæ reſtitutus ſit integritati, an toti poſteritati, cui hæ commentationes ingenti futuræ eſſent fructui. 2) Præfatio, in qua Vives operis huius, ſibi ab Eraſmo demandati, recenſet difficultatem & utilitatem. 3) Aliæ Præfationes duæ, quarum una agit de veteribus interpretibus huius operis, altera de Gothis, quid hominum fuerint, & quo Romam ceperint modo. 4) *Auguſtini* in libros de Civitate Dei ex ipſius Retractationum libro II. argumentum. Nimirum ſcripſit hos libros Auguſtinus contra paganos, qui capta ab ALARICO Gothorum rege Roma, culpam calamitatis in chriſtianam religionem transferebant, adeoque V. primis libb. refellit eos, qui deorum cultum ad felicitatem terrenam neceſſarium, V. ſequentibus eos, qui deorum cultum propter vitam poſt mortem futuram utilem ſtatuebant: reliquis XII. autem veritatem religionis chriſtianæ aſſerit, ita ut in iis utramque civitatem, mundi videlicet & Dei, iuxta earum ortum, progreſſum & finem deſcribat. Ipſum autem opus titulum a meliore accepit parte, Monarchisque CAROLO M. CAROLO V. & HENRICO VIII. in deliciis fuit, & unum ex operibus Auguſtini, ſi *Vivem* audire volumus, legendum eſt philologo. De eodem vid. Oct. *Ferrarius* Oper. var. T. I. 261. *Du Pin* 237. *Cren.* Exercit. I. de libr. ſcriptor. opt. 4. & Methodor. T. III. 376. Quædam tamen in eo ſunt aſſuta, quæ aliena videntur. *Rivet.* Crit. S. l. 4. c. 13. *Hülſem.* Patrol. c. 5. §. 3. p. 1061. Prodiit hoc opus Auguſtini ſeorſum cum Vivis Commentariis

tariis Baſileæ 1522. Pariſiis 1555. & Hamburgi 1661. 4. ſed hæc ultima editio vitiis ſcatet typographicis; & in editione Auguſtini, quam curarunt Lovanienſes, Vivis commentarii, ut fertur, a Cenſoribus romanis caſtrati ſunt, plurimique illorum loci, rigidis Pontificiis minus grati, inclemente manu abſciſſi: nec mirum, quia Index expurgatorius Annotationes iſtas, niſi expurgentur, legi prohibuit. *Cren.* Animadverſ. P. XVII. 79. & T. II. Methodor. 206. *Wharton* in append. ad Caveum 130. Vide tamen etiam *Sainjore* Biblioth. crit. T. I. 261. Scripſit etiam Caſp. *Barthius*, notante *Zeiſoldo* ad Schraderi Biblioth. P. I. Z 3. Commentarios, eosque prolixos, in Auguſtinum de C. D. & Leon. *Coquaus* Notas, ſed illi lucem non adſpexerunt.

Tomo VI. Polemica, videl. 1) De Hæreſibus, ad Quodvultdeum diaconum, liber I. Scriptus A. 428. In quo initium fit a Simonianis, & finis in Pelagianis, adeoque recenſentur 88. Hæreſes. Altera pars huius libri debebat agere de eo, quid ſit hæreſis; ſed ob magnam difficultatem auctor tractationem iſtam, quæ potius recenſionem hæreſium antecedere debebat, omiſit. Duæ ultimæ hæreſes, Neſtoriana & Eutychiana, ab aliquo adiectæ ſunt. *Rivet.* l. 4. c. 14. 2) De V. hæreſibus Oratio. Eſt ſermo contra V. ſpecies hoſtium chriſtiani nominis, nempe Paganos, Iudæos, Manichæos, Sabellianos & Arianos, tempore habitus illo, quo arianiſmus dominio gaudebat in Africa, ceu patet ex cap. 6. & 7. adeoque Auguſtinum non habet auctorem. *Du Pin* 241. 3) Concio ad catechumenos contra Iudæos, Paganos & Arianos. Hæc ipſa quoque eiusdem & temporis eſt & auctoris. *Du Pin* 242. 4) Oratio adverſus iudæos. In qua probat Auguſtinus ex prophetiis, legem iudæorum debuiſſe habere finem, & mutari in legem novam, ac iudæos reiici, inque ipſorum locum vocari & aſſumi gentes. 5). De altercatione eccleſiæ & ſynagogæ Dialogus. Eſt opus alicuius iuris ſtudioſi, qui ſe voluit exercere per proceſſum, quem faciat Eccleſia contra Synagogam. 6) De utilitate credendi, ad *Honoratum*, liber I. Scriptus A. 391. eum in finem, ut Honoratum, amicum ſuum, ab errore Manichæorum liberaret & retraheret, qui ei ſpem fecerant monſtrandi veritatem, ſine auctoritate, per rationis lumen, atque adeo ſolo hoc medio eum deducendi ad Dei notitiam, liberandique ab omni errorum ſorte. Docet igitur Augu-

ſtinus, neceſſarium eſſe, ut quis credat, antequam rem ſcientia complectatur. *Du Pin* 237. 7) Contra epiſtolam manichæi, quam vocant Fundamenti, liber I. Scriptus circa annum 397. In quo oſtendit, manichæum, promittendo veritatem absque auctoritate, non proferre niſi falſa & abſurda. 8) De duabus animabus, contra Manichæos. Hic liber ſcriptus eſt poſt priorem illum de Vtilitate credendi, & quidem contra aliquem errorem principalem iſtorum hæreticorum, qui erat, duas eſſe in homine animas, bonam videlicet, quæ ſit a Deo, & a qua omne bonum proveniat, ac malam, quæ ſit a natura tenebrarum, carnique propria: & quæ ſit cauſa omnium errorum & malorum, quæ homo committit. 9) Contra *Fortunatum* quendam, Manichæorum presbyterum. Scriptum hoc eſt diſputatio, habita Hippone Auguſtinum inter & Fortunatum A. 392. d. 26. Auguſti & ſeq. de natura & origine mali: in qua Auguſtinus contra manichæum illum aſſerit, malum provenire ex abuſu liberi arbitrii. Primo die manichæus ſatis bene ſe defendit, ſed altero non potuit reſpondere ad obiectiones Auguſtini, prætendens, ſeſe circa illas collaturum cum viris ſectæ ſuæ primariis: ſed ita confuſus, mox urbe exceſſit. 10) Contra *Adimantum*, manichæi diſcipulum. In hoc libro, ſcripto A. 394. reſpondet obiectionibus Adimanti, eius libris comprehenſis, de contradictionibus, quæ reperiantur in libris V. & N. T. atque ita conciliat apparentes illas contradictiones. 11) Contra *Fauſtum* manichæum libri 33. Huic operi, quod inter omnia alia contra Manichæos eminet, manum admovit Auguſtinus A. 400. idque diviſum eſt in 33. Diſputationes, in quibus proferuntur verba iſtius manichæi contra V. &. N. T. cum ſolida eorum refutatione. 12) De actis cum *Felice* manichæo libri II. Diſputatio hæc habita fuit Hippone per triduum menſe Decembri A. 404. ſed non niſi ſecundi & tertii diei Acta exſtant. Ac tandem manichæus ille ſe convertit, & anathematizavit, ut eccleſiaſtico utar verbo, ſectæ ſuæ principem. Neque hoc opus tam ſcriptum fuit ab Auguſtino ipſo, quam exceptum a notariis. *Gerhard.* Patrol. 379. 13) Contra *Secundinum* manichæum liber I. In quo Auguſtinus reſpondet ad epiſtolam Secundini, quæ & hic præmittitur, adhortantis eum, ne amplius aggrederetur Manichæos, cum ipſe eorum fuerit ſectæ, ſeque ad eam pertraxerit. Auguſtinus igitur rationem reddit ſuæ conver-

ſio-

ſionis,& non nullos Manichæorum errores Secundino detegit. 14) De natura boni, contra Manichæos, liber I. Scriptus A. 404. In quo monſtrat, Deum eſſe immutabilem, & creaſſe omnes eſſentias ſpirituales & corporales, quæ ſua natura ſunt bonæ: nec malum aliunde naſci, quam ex abuſu liberi arbitrii; Manichæos autem malum reputare, quod bonum, & bonum, quod malum eſt. 15) De fide, contra Manichæos. Hic liber non eſt Auguſtini, *Gerhard.* Patrol. p. 379. ſed *Euodii*, uzalenſis in Africa epiſcopi, teſtibus *Du Pinio* p. 242. & *Caveo* 173. 16) Contra adverſarium Legis & Prophetarum libri II. h. e. contra aliquem hæreticum Manichæis peiorem, qui in ſcripto quodam haud dubitabat negare, Deum feciſſe mundum, & dediſſe legem. 17) Contra Priſcillianiſtas & Origeniſtas, ad Oroſium liber I. Scriptus A. 415. Quo *Oroſius* conſulebat Auguſtinum de impietatibus Priſcillianiſtarum, & non nullis diſcipulorum *Origenis* erroribus. Auguſtinus igitur hoc in libello reiicit ſequentes errores: 1. animam humanam eſſe diuinæ naturæ. 2. cruciatus dæmonum & hominum damnatorum habituros finem. 3. regnum Chriſti non fore æternum: 4. animas & angelos purificari in hoc mundo. 5. aſtra eſſe animata, 6. angelos peccare. 18) Contra ſermonem Arianorum liber I. Scriptus A. 418. Nimirum in illo Ariani ſermone, qui huic Auguſtini ſcripto præmiſſus eſt, continebantur multæ obiectiones contra diuinitatem Filii & Spiritus S. 19) Contra *Maximinum*, Arianorum epiſcopum, libri III. Quorum primus exhibet colloquium ſ. diſputationem Maximinum inter & Auguſtinum, habitam Hippone A. 428. reliqui duo ſolutionem poſteriorum Maximini argumentorum, de quibus gloriabatur hæreticus, quod os obturaſſet Auguſtino, quippe quo in diſputatione fuerat loquentior. 20) Contra *Felicianum*, arianum, de unitate Trinitatis, ad Optatum, liber I. Hunc librum, ſiue dialogum inter Felicianum & Auguſtinum, Auguſtini eſſe, negant *Eraſmus*, & *Du Pin* 242. affirmante *Bellarmino.* 21) De bono coniugali, contra *Iouinianum* liber I. In quo oſtendit, coniunctionem maris & feminæ eſſe omnium antiquiſſimam & maxime naturalem, & quatuor coniugii bona ſiue commoda dari, 1. ſocietatem duorum ſexuum. 2. procreationem ſobolis. 3. moderatum veneris uſum, ex conſideratione infantum, qui ſunt naſcituri. 4. mutuam inter coniuges fidem. Concludit tandem, coniugium eſſe in ſe bonum, ſed u-

num

num ex illis bonis, quæ non debent expeti, quam maioris boni obtinendi, & magni mali evitandi cauſſa. 22) De ſancta virginitate liber I. Hic & præcedens ſcripti ſunt A. 401. Et in hoc quidem probare conatur Auguſtinus, virginitatem eſſe unum ex donis Dei excellentiſſimis; & humilitatem ad eius conſervationem eſſe neceſſariam. Excellentiam virginum Deo conſecratarum extollit exemplo B. *Mariæ* virginis; & tam eos refutat, qui condemnant nuptias, quam alios, qui eas æquiparant cœlibatui, quem tamen non præcepti, ſed conſilii eſſe affirmat. 23. De adulterinis coniugiis, ad Pollentium, libri II. *Pollentius*, ad quem hi libri A. 419. fuere ſcripti, credebat, licitum eſſe marito, non modo dimittere adulteram, ſed & loco eius ducere aliam. Sed Auguſtinus, ex *Matth.* 19, 9. ac 1. Cor. 7, 39. contrarium probare laborat, videlicet poſt divortium non magis viro aliam licere ducere in uxorem, quam adulteræ, nubere alii. Libros hoſce notis illuſtravit Io. *Schilterus.* 24) De Epicureis & Stoicis tractatus. 25. De eo, quod dictum eſt Moſi Ex. 3, 14. *Ego ſum, qui ſum*, tractatus. Hic & præcedens tractatus ſiue ſermones ſunt ſuppoſititii, vel ſaltem dubii. *Hül. ſem.* Patrol. c. 5. p. 1061. *Rivet.* p. 429.

Tomo VII. reliqua Polemicorum, utpote 1) Contra partem *Donati*, Pſalmus, ſeu Oratio ſoluta, quam Auguſtinus fecit verbis & terminis popularibus, ut ſtatum controverſiæ Catholicos inter & Donatiſtas rudibus proponeret: ac ſub finem Donatiſtas inuitat ad pacem cum Catholicis. Alii negant hoc ſcriptum ab Auguſtino profectum eſſe. *Hülſem.* Patrol. c. 5. p. 1062. 2) Contra epiſtolam *Parmeniani* libri III. compoſiti A. 400. In quibus refutatur epiſtola Parmeniani, ſucceſſoris Donati in ſede carthaginienſi, ad Tychonium ſcripta, qua eum reprehendit, quod prædicaret, eccleſiam toto orbe eſſe diffuſam, cum hæc, ex ſchiſmatici Parmeniani ſententia, contaminata eſſet per communionem cum lapſis. 3) Contra litteras *Petiliani*, cirthenſis epiſcopi, donatiſtæ, libri III. Primus liber potius eſt epiſtola ad Eccleſiam, ſcripta circa A. 400. in qua refutatur prima pars epiſtolæ Petiliani: in ſecundo articulatim refutatur integra Petiliani epiſtola: tertius oppoſitus eſt reſponſioni Petiliani ad Auguſtini epiſtolam illam, quæ primus huius operis liber dicitur. Duo autem hi poſteriores libri ſcripti ſunt A. 402. 4) Contra *Creſconium* grammaticum

libri 4. Exarati circa annum 406. Grammaticus ille ſtabat a partibus Donatiſtarum, & defenderat Petilianum, contra primum Auguſtini ſcriptum. Eum igitur refutat Auguſtinus tribus libris, retorquendo contra ipſum omnia, quæ attulerat, argumenta, & in quarto eidem opponit negotium Maximinianiſtarum. 5) Contra *Gaudentii*, Donatiſtarum epiſcopi, epiſtolam libri II. Scripti A. 420. In primo reſpondet Auguſtinus ad binas Gaudentii epiſtolas ad Dulcitium perſcriptas, ac defendit rigorem contra Donatiſtas exercitum: in ſecundo ad Gaudentii eiusdem ſcriptum, quod vulgaverat contra primum illum Auguſtini librum. 6) De baptiſmo contra Donatiſtas libri VII. Scripti circa annum 400. In quibus refutat Donatiſtas, qui errorem ſuum de rebaptizandis iis, qui eſſent ab hæretico baptizati, palliabant auctoritate S. Cypriani. Auguſtinus igitur oſtendit, ſanctum illum patrem, ſi favet illorum errori, vita tamen & doctrina ſua ipſorum ſchiſma condemnare. Immo etiam rationes proſternit, quibus Cyprianus eiusque Collegæ utebantur ad probandam iterandi hæreticorum baptiſmi neceſſitatem. De unico baptiſmo contra *Petilianum* liber I. Scriptus poſt Diſputationem carthaginienſem. Primaria, quæ in hoc libro tractatur, quæſtio, eſt de valore baptiſmi ab hæretico collati. 8) De unitate eccleſiæ contra *Petiliani* donatiſtæ epiſtolam liber I. Liber hic eſt epiſtola, ſcripta ab Auguſtino [uti contra Patres benedictinos pariſienſes, de eo dubitantes, ſtatuit *Du Pin* p. 243] ad fratres ſuæ diſpenſationis, ſeu Catholicos A. 402. contra Petilianum, conſtantinenſem Donatiſtarum epiſcopum, in qua oſtendit, veram Eccleſiam a ſuis ſtare partibus, eiusque notas & indicat, & Catholicorum, non vero Donatiſtarum cœtui convenire docet. 9) Breviculus collationum cum Donatiſtis. Scriptus A. 412. de eo, quod dictum eſt in Collatione carthaginienſi trium dierum. 10) Poſt Collationem contra Donatiſtas liber I. In quo Donatiſtis oſtendere laborat, ipſos ab epiſcopis ſuis deluſos eſſe & ſeductos, reſpondetque ad effugia, quibus utebantur adverſus Marcellini ſententiam. Scriptus eſt A. 413. 11) Super geſtis cum *Emerito* Donatiſtarum epiſcopo Sermo. Habitus Cæſareæ in Mauritania, ut Emeritum, in quem ibi inciderat, reduceret ad communionem Eccleſiæ. 12) De geſtis cum *Emerito* liber I. Cum Auguſtinus nihil apud Emeritum efficeret ſermone ſuo, iniit cum eo in prædicta

Digitized by Google

Cæſarea d. 20. Septembr. A. 413. aut 418. [nam MSS. hic diſſentiunt] collationem ſ. colloquium de eo, quod tractatum eſt in Collatione carthaginienſi, eumque per conſequens valde urſit querelis Maximinianiſtarum, ita ut nihil amplius poſſet reſpondere. 13) Contra *Fulgentium* donatiſtam liber I. Falſo tribuitur Auguſtino, prout demonſtrat *Du Pin* p. 248. 14) De peccatorum meritis & remiſſione, ad *Marcellinum*, libri 3. Scripti A. 412. ut reſponderet ad quæſtiones & controverſias Pelagianorum, ipſi a Marcellino comite transmiſſas. In primis docet, neceſſarium eſſe baptiſmum infantum ad remittendum peccatum originis, & neceſſariam gratiam Chriſti, qui nos iuſtificet, quamvis non ita perfecte poſſimus implere legem Dei, ut non habeamus neceſſe dicere: *Remitte nobis debita noſtra.* 15) De natura & gratia contra Pelagianos liber I. In quo, ſcripto A. 414. reſpondet ad librum Pelagii, a duobus religioſis, *Timaſio* & *Iacobo*, ſecum communicatum, ac defendit neceſſitatem gratiæ Chriſti, ita tamen, ut naturæ, quæ per gratiam liberatur, atque ab ea dirigitur, nulla fiat iniuria. Parcit autem adhuc dum nomini Pelagii æque, ut in priore ſcripto. 16) De gratia Chriſti contra *Pelagium* & *Celeſtium* libri II. Scripti A. 418. In quibus oſtenditur, *Pelagium* coram Albino, Piniano, & Melania, *Celeſtiumque* coram ZOSIMO Pont. rom. neceſſitatem gratiæ Chriſti confitentes, ſimulatores fiuſſe. 17) De nuptiis & concupiſcentia ad *Valerium* comitem libri II. Quorum prior ſcriptus eſt A. 418. poſterior A. 419. In priore reſpondet Auguſtinus ad hanc Pelagianorum obiectionem: Si concupiſcentia eſt malum aliquod & effectum peccati, & omnes infantes naſcuntur in peccato, quomodo probari poteſt coniugium, quod eſt effectus & ſcaturigo huius peccati? In poſteriore refutat *Iulianum*, epiſcopum italicum, qui quatuor libros ſcripſerat contra priorem illum Auguſtini librum; quorum excerpta aliqua ad manus hipponenſis epiſcopi pervenerunt. 18) Contra duas epiſtolas Pelagianorum ad Bonifacium libri IV. Eas BONIFACIVS R. P. transmiſit Auguſtino, & altera quidem ſcripta erat a *Iuliano* pelagiano ad Bonifacium, altera ab 18. eiusd. ſectæ epiſcopis Theſſalonicam. 19) Contra *Iulianum* pelagianum libri VI. Scripti circa annum 424. poſtquam Auguſtinus integros quatuor Iuliani accepit, & animadvertit, excerpta eorum, quæ antea ad ipſum pervenerant, non ſatis fideliter facta eſſe.

Oppo-

Opponit ibi teſtimonia SS. Patrum, in communione eccleſiæ demortuorum, calumniis Iuliani, & in ſpecie agit de peccato originis, de concupiſcentia, de falſitate virtutum ethnicorum, de neceſſitate baptiſmi & gratiæ. 20) De anima & eius origine libri IV. Scripti A. 419. contra *Victoris*, alias dicti *Vincentii*, presbyteri cæſarienſis mauritani, libros II. Auguſtino oppoſitos, in quibus ſtatuebat, nihil facilius eſſe, quam animæ originem determinare, videlicet, creari illam a Deo. 21) De Prædeſtinatione & gratia liber I. Non eſt Auguſtini, ut præter alios probant *Bellarm.* de Scriptor. eccleſ. p. 104. *Voſſius* Hiſt. pelag. l. 1. c. 16. & *Gerhard.* Patrol. p. 382. neque etiam Fulgentii, ut contra Raynaudum probat *Du Pin* Tomo V. p. 31. 22) *Proſperi* epiſtola (alias in Tomo Epiſtolarum 255. vel 277.) ad Auguſtinum de reliquiis pelagianæ hæreſeos. 23) *Hilarii* [non arelatenſis, ſed ſyracuſani, cum Proſpero facientis, qui e Galliis ad Auguſtinum ſcripſit. *Acta erud.* A. 1713. 245.] epiſtola [numero 226. vel 278.] ad eundem eadem de materia. Duæ iſtæ epiſtolæ ſcriptæ ſunt A. 429. poſt promotionem Hilarii ad epiſcopatum arelatenſem. 24) De prædeſtinatione ſanctorum, & dono [non bono] perſeverantiæ libri II. *Acta erud.* l. c. Sunt epiſtolæ ſcriptæ anno eodem ad Proſperum illum & Hilarium: in quibus docet Auguſtinus, fidem ac perſeverantiam eſſe donum Dei, ac fidei perſeverantis intuitu prædeſtinationem eſſe factam. 25) De prædeſtinatione Dei. Liber hic nec ſtilo, nec doctrina conformis eſt Auguſtino. *Bellarm.* p. 104. *Voſſius* l. c. 26) De gratia & libero arbitrio ad *Valentinum* liber I. Scriptus A. 427. occaſione controverſiæ ortæ apud monachos adrumetinos, quorum aliqui ſic gratiam defendebant, ut negarent hominis liberum arbitrium; alii autem defendendo liberum arbitrium, gratiæ vim inferebant, ſupponentes, dari gratiam iuxta merita. Hunc errorem itaque evertere laborat Auguſtinus, docens, initium fidei & bonæ voluntatis eſſe effectum gratiæ. 27) Ad eundem de correptione & gratia liber. In quo reſpondet Auguſtinus ad obiectionem hanc quorundam ex illis monachis: Si quis non poteſt facere bonum ſine divina gratia, nemo erit reprehendendus aut corrigendus, quoniam non eſt in ipſius viribus, ut faciat bonum, cum gratia ipſum deficiat, neque eam poſſit mereri. Nimirum oſtendit, 1. fieri poſſe, ut Deus illius, qui reprehenditur, cor tangat: 2. eos, qui peccant,

ſponte ſua peccare, nec coacte; neque etiam conqueri poſſe de gratia ſibi non collata, cum Deus eam debeat nemini. 28) Ad articulos ſibi falſo impoſitos reſponſio. *Fulgentio* & *Bellarmino* teſtibus hæc reſponſio Proſperi eſt; Martinus *Chemnitius* autem P. I. Loc. c. 8. de cauſa peccati p. 157. putat, Auguſtinum capita reſponſionum conſignaſſe. 29) Contra Pelagianos Hypognoſticon (i. e. Subnotationum) libri VI. Neque hi ſunt Auguſtini, utiles tamen, & eruditi, ac vetuſti auctoris, ait poſt *Eraſmum Bellarminus* p. 104. *Du Pinius* cum quodam Patrum benedictinorum, qui editionem curarunt Auguſtini, & Seraphino *Piccinardo*, ordinis Prædicatorum, eos tribuit *Mario* Mercatori. p. 256. *Voſſius* l. c. notat, eccleſiam lugdunenſem eos non vocare Hypognoſticon, ſed *ὑπομνηστικον*, hoc eſt, Memoriale, eo quod paucis in memoriam revocent, quæcunque apud Auguſtinum fuſe adverſus Pelagium & Celeſtium differuntur. Et quidem de V. Qq. inibi diſputatur, negaturque contra illos, I. Adamum, ſive peccaſſet, ſiue non peccaſſet, moriturum fuiſſe. 2. Peccatum eius nemini, niſi ſoli nocuiſſe ipſi. 3. Poſſe hominem per liberum arbitrium, tanquam per ſe, ſibi ſufficienter implere, quod velit: vel etiam meritis operum a Deo gratiam unicuique dari. 4. Libidinem naturale eſſe bonum, nec in ea eſſe, quod pudeat. 5. Parvulos baptizatorum filios non trahere originale peccatum, neque perdituros vitam æternam, ſi ſine ſacramento baptiſmi ex hac vita migraverint. Liber ſextus a reliquo corpore ſeiungendus eſt, utpote nec auctoris, nec commatis eiusdem. 30) De perfectione iuſtitiæ contra *Celeſtium* liber I. Scriptus circa A. 418. in eoque reſpondet ad obiectiones Celeſtii, propoſitas ſub nomine Definitionum contra opinionem Catholicorum, defendentium, quod nec fuerit, nec futurus ſit homo, qui pervenerit ad tantam perfectionem, ut nunquam offenderit Deum. Auguſtinus igitur demonſtrat, tantam perfectionem ne quidem ſanctis Dei hominibus competiiſſe; multo igitur minus ſolis liberi arbitrii viribus homines eo aſcendere poſſe.

Tomo IIX. Enarrationes in *pſalmos myſticos*. Dicendum potius, *myſtica*, quippe quæ non literalem, ſed myſticum & moralem pſalmorum expoſitionem tradunt. Auguſtinus non ordine continuo eos tractavit, ſed diverſis temporibus, quibus vel presbyter erat, vel epiſcopus, & diverſo modo. Quaſdam enarrationes in muſeo

Digitized by Google

muſeo ſuo concepit & ſcripſit, quasdam prædicavit. Et in hoc dictionis genere, ait *Eraſmus* in præfatione, multa dantur auribus imperitæ promiſcuæque multitudinis. Enarrationibus hisce in noſtra editione præmittitur Præfatio alicuius recentioris, quam excipit Auguſtini in librum Pſalmorum prologus. Apud *Blount* p. 272. legitur, Auguſtinum noſtrum nunquam infelicius in ſcripturis S. verſatum eſſe, quam in Pſalmorum enarratione: & *Sixtus* ſen. Bibl. S. l. 4. p. 257. notat, *Hieronymum* in epp. ad Auguſtinum deſideraſſe in hisce enarrationibus explicationem iuxta hebraicæ veritatis puritatem, & græcorum expoſitorum, ſuamque ipſius ſententiam: nam genus expoſitionis ubique allegoricum duntaxat eſſe, & morale. Videantur etiam *Du Pin* 218. *Cave* 171. *Gerhard.* Patrol. 384. & *Sainjore* Biblioth. crit. T. III. 467.

Tomo IX. farrago quædam rerum, videlicet tractatus in N. T. opuſcula quædam inflammantia affectum pietatis, & concionalia de variis argumentis. Sunt autem 1) In euangelium *Ioannis* Tractatus 124. dicti, ut videtur, A. 416. & 417. Sed præfatio incerti eſt auctoris. *Cocus* in Cenſura 361. 2) In epiſtolam (primam) *Ioannis* expoſitio, ſive Tractatus X. Quibus, poſt feſtum paſchale habitis, interrupit conciones illas in eiusdem Ioannis euangelium. 3) In *Apocalypſin Ioannis* Homiliæ XIIX. Sunt epitome notarum in Apocalypſin, excerptarum ex Commentariis non *Tichonii* donatiſtæ, ſed *Victorini*, *Primaſii*, & *Bedæ*, & diſpoſitarum in forma Tractatuum ſeu ſermonum. *Du Pin* 218. 4) Meditationum liber I. Complures earum tribuuntur S. Anshelmo, tribuendæ potius, ex *Du Pinii* ſententia p. 231. *Ioanni* abbati feſcampenſi, qui vixit ſæc. XI. tempore HENRICI III. Imp. 5) Meditationum liber alius, ſeu de diligendo Deo. Liber eſt pius & eruditus, iudicio *Eraſmi*: quanquam phraſis plurimum diſcrepet ab auguſtiniana. At Patres *benedictini* pariſienſes utrumque Meditationum librum Bernhardo recentiorem eſſe volunt. 6) Soliloquiorum animæ ad Deum liber I. Compoſitus ex locis Soliloquiorum & Meditationum S. Auguſtini, nec non ex libris *Hugonis* de S. Victore. In eodem reperies caput I. Concilii IV. lateranenſis, habiti A. 1198. *Du Pin* 231. 7) Manuale. Confectum eſt ex operibus *Anshelmi*, *Bernhardi*, *Hugonis* de S. Victore, & *Alcuini*, nec non *Auguſtini*, *Cypriani*, *Gregorii*, & *Iſidori* hiſpalenſis. *Du Pin* ibid. 8) De triplici habitaculo. Videli-

cet ſummo, imo, & medio: quorum ſummum Regnum Dei vel cœlorum dicitur, imum Infernus, medium Mundus præſens, vel orbis terrarum. Et hunc librum pius & otioſus quidam, non tamen Auguſtinus conſarcinavit. 9) Scala paradiſi. Conſtans 4. gradibus, qui ſunt: Lectio, Meditatio, Oratio, Contemplatio. Sub finem quoque oſtenditur, 4. eſſe cauſſas retrahentes nos ab his 4. gradibus. Neque hic liber eſt vel Auguſtini, vel Bernhardi, quamvis in huius etiam operibus reperiatur, ſed *Guidonis* carmelitæ, qui vixit ſec. XIV. *Du Pin* 231. 10) De XII. abuſionum gradibus. Quorum primus eſt, ſi ſine bonis operibus ſapiens & prædicator fuerit: ſecundus, ſi ſenêx ſine religione: tertius, ſi adoleſcens ſine obedientia: quartus, ſi dives ſine eleemoſyna: quintus, ſi femina ſine pudicitia: ſextus, ſi dominus ſine virtute, h. e. animi interiore fortitudine: ſeptimus, ſi chriſtianus contentioſus: octavus, ſi pauper ſuperbus: nonus, ſi rex iniquus: decimus, ſi epiſcopus negligens: undecimus, ſi plebs ſine diſciplina: duodecimus, ſi populus ſine lege. Non magis autem hic liber ab Auguſtino profectus eſt, quam a Cypriano. Pamelius in codice quodam MSto præfixum reperit *Eberhardi* nomen: in aliis codicibus *Patricio* adſcribitur. *Eraſmo* videtur eſſe boni cuiuspiam laici. Certe antiquior eſt *Iona*, aurelianenſi epiſcopo, qui eum excitat, vixitque ſeculo IX. 11) De contritione cordis. Liber hic excerptus eſt ex Meditationibus, quæ tribuuntur *Anshelmo*. 12) De cognitione veræ vitæ. Neque hic liber eſt Auguſtini, ſed, *Eraſmi* iudicio, alicuius monachi, tironis theologiæ, qui, quantum in philoſophia ſcholaſtica profeciſſet, voluit eo dare ſpecimen. *Du Pinius* p. 231. & *Benedictini* pariſ. eum tribuunt *Honorio*, auguſtodunenſi presbytero, qui vixit ſec. XII. 13) Speculum. In quo tractatur de Dei ſpiritualitate ac indiviſibilitate, omnipræſentia, creatione, cultu, magnitudine & latitudine, immutabilitate, ac trinitate perſonarum. Citatur in eo *Boëthius*, florens ſeculo VI. Pars huius libri eſt confeſſio fidei, quam Chifletius edidit ſub nomine *Alcuini*. 14) De vita chriſtiana. In quo docetur, quis ſit chriſtianus, & quomodo eum vivere deceat erga Deum & proximum, & quod fides ſine bonis operibus non iuvet. Auctorem hic liber habet, *Holſtenii* iudicio, qui & ſingularem eius editionem dedit, *Faſtidium*, natione anglum. Idem placet *Du Pinio* 231. 15) De aſſumptione B. Mariæ virginis. Eſt ſer-

mo

Digitized by Google

mo auctoris alicuius ſeculi circiter XII. qui docet, Mariam virginem eſſe in cœlo tam corpore, quam anima. Confer *Riveti* Crit. ſac. l. 4. c. 15. 16) De diſciplina chriſtiana. Docetur hoc libro 1. quid ſit bene vivere. 2. quæ ſit merces bonæ vitæ. 3. qui ſint veri chriſtiani. 17) De X. chordis liber. Eſt ſermo, in quo agitur de præceptis decalogi. 18) De cantico novo. Eſt & hæc concio, ſed notha, in qua urgetur novitas vitæ, ac perſtringitur error Manichæorum, Arianorum, & Pelagianorum. 19) De contemptu mundi. Eſt ſermo, ſed non Auguſtini, ut *Eraſmus* iudicat, in eoque dicitur de duplici mandatorum genere, de raſione clericorum, de capitibus clericorum diuino cultui aſſiſtentium non velandis, quid mundanis contemptis ſit quærendum & amandum, ac de paupertatis voluntariæ felicitate. 20) De vanitate ſeculi. Hic ſermo inſertus eſt alteri de Vita chriſtiana. 21) De obedientia & humilitate. Neque hic ſermo eſt Auguſtini, immo ne pilum quidem habet docti hominis. 22) De bono diſciplinæ ſermo. Et ipſe nothus. *Du Pin* 230. A nonnullis tribuitur *Valeriano*, epiſcopo cemelenſi, ſeu cemelienſi, qui vixit tempore Hilarii arelatenſis ſec. V. *Rivet*. l. 4. c. 15. *Cave* 174. 23) De viſitatione infirmorum libri ſeu Sermones II. Continent præcepta ſive inſtructiones, quomodo paſtores erga infirmos ſe gerere debeant: ſed ſunt recentioris ætatis, quam qua vixit Auguſtinus. 24) De conſolatione mortuorum, ſeu ſuper mortuis, libri ſiue ſermones II. Sunt eiusd. farinæ, & fortaſſis eiusdem auctoris. 25) De quarta feria ſiue cultura agri dominici ſermo, ad *Matth.* XIII, 3-8. Dubitant *Patres benedictini*, an Auguſtini ſit: *Eraſmus* putat, eſſe locutuleii cuiuſpiam. 26) De cataclyſmo (ſeu de diluvio) ſermo. Habitus eſt ad catechumenos, atque in eo agitur de myſteriis baptiſmi, item de myſteriis paſchalibus in baptiſmo complendis. Sed dubius videtur prædictis *Patribus*, & *Eraſmus* pronunciat, nihil habere Auguſtini. 27) De tempore barbarico (ſeu de perſecutione, quam contra fideles tunc exercebant barbari) ſermo. Idem de hoc iudicant prædicti auctores. 28) De ſobrietate & virginitate Sermo. *Du Pinio* dicitur ſatis bonus, & ſatis antiqui auctoris; *Eraſmus* vero auctorem non agnoſcit pro erudito. 29) Speculum peccatoris. Neque hic ſermo eſt Auguſtini. *Du Pin* 231. 30) De pœnitentiæ medicina lib. unus. Hic non omnino ineptus eſt, ſed plurimum diſcrepans ab Augu-

ſtino

ſtino, quemadmodum & ſequens. 31) De utilitate pœnitentiæ. Eſt idem cum ſermone 27. Homiliarum L. *Cocus* in Cenſura p. 361. 32) De conflictu vitiorum & virtutum liber I. Eſt Ambroſii Autperti ſive *Ansberti*, monachi benedictini, qui vixit ſec. IIX. *Cave* 174. *Olear.* P. I. 97. 33) De 4. virtutibus caritatis tractatus. Quod nempe caritas omnia toleret, omnia credat, omnia ſperet, omnia ſuſtineat. Idque probat auctor exemplis ſcripturæ S. ſed non eſt Auguſtinus. 34) De laudibus caritatis tractatus. Neque vero hic, iuxta *Eraſmum*, eſt Auguſtini: dubitat etiam de eo *Bellarminus*. 35) De honeſtate mulierum liber I. In quo agitur de periculo tentationibus ſe exponentium, chriſtianorum communibus martyriis, & peccatorum periculoſiſſimo ſtatu. A *Riveto* accenſetur libris ſuppoſititiis. 36) De paſtoribus liber I. 37) De ovibus liber, ſeu Homilia. In illo de paſtorum, in hac de ovium officio agit Auguſtinus: uterque autem liber eſt commentatio in *Ezech.* caput XXXIV. 38) De Symbolo fidei ad Catechumenos, libri ſeu Sermones IV. *Eraſmus* omnes hos 4. Sermones Auguſtino tribuit, *Du Pinius* vero cum *Benedictinis* duntaxat primum, reliquos tres diſcipulo alicui ſancti patris. Quamquam & de primo non plane certi ſunt, quia in eo eſt articulus de vita æterna, qui tamen non reperitur in libro de Fide & Symbolo, qui extra controverſiam eſt Auguſtini. 39) De convenientia X. præceptorum & X. plagarum liber I. ſeu Sermo. Iuxta *Eraſmum* & *Caveum* p. 171. Auguſtini eſt; ſed *Rivetus* ſuppoſititiis annumerat. 40) De rectitudine catholicæ converſationis tractatus. Non eſt Auguſtini, neque de eo certi quid habet *Bellarminus*. *Coc.* 360. 41) De utilitate ieiunii. 41) De urbis (Romæ) excidio. Auctor eius vocatur in dubium. 43) De creatione primi hominis. 44) De arbore ſcientiæ boni & mali. 45) De pugna animæ. Nullus trium horum tractatuum genuinus eſt Auguſtini fœtus. *Du Pin* 230. *Rivet.* l. 4. c. 15. 46) De antichriſto liber ſeu epiſtola. Spuriis accenſetur a *Cave* p. 174. & in codice MS. archiepiſcopi cantuar. auctor vocatur *ſapiens quidam*. Fit in eo mentio Imperii a Græcis ad Francos delati. 47) Pſalterium, quod matri ſuæ compoſuit. Eſt oratio, aut potius imprecatio e pſalterio congeſta. In MSto aliquo Regis Galliæ tribuitur *Ioanni* Papæ, (at cui?) *Du Pin* 232. 48) Super *Magnificat* expoſitio. Eſt fragmentum tractatus *Hugonis* de S. Victore ſuper hoc Canticum. *Du Pin* ibid.

Tomo

Digitized by Google

Tomo X. reliqua tractata apud populum, videlicet 1. de verbis Domini apud IV. euangeliſtas Sermones LXIV. e quibus ſpurii ſunt tertius, 14. 18. 19. 20. 22. 25. 28. 29. 30. 37. 38. 41. 47. 49. 50. 52. 54. 56. 57. 58. & quidem 14. eſt *Eradii* presbyteri, 19. *Maximi* taurinenſis, & 28. *Ambroſii* mediolanenſis. *Hülſeman.* Patrol. c. 5. p. 1062. *Cave* 171. 2) de verbis apoſtoli Homiliæ XXXV. in quibus textus apoſtolici explicantur. Spuriæ in iis ſunt 1. 10. 15. 24. 25. (quæ eſt *Maximi* inter Ambroſianas novas) 26. 27. 32. 33. 34. 35. 3) Homiliæ L. E quibus tantum ſeptem a *Poſidonio* agnoſcuntur pro auguſtinianis, nimirum 10. 11. 28. 32. 44. 45. 50. 4) Homiliæ de tempore CCLVI. Inter quas 11. 37. & 128. ſunt *Maximi*, 15. *Seueriani* vel *Fulgentii* 33. & 63. *Leonis* I. 48. *Hilarii*, *Ambroſii* & *Auguſtini*, 68. 77. 117. 226. 228. 229. 242. *Ambroſii*, 118. *Maximini*, 120. 136. 138. 156. 176. *Euſebii*, 125ta Damaſi Symbolo apud Hieronymum congruit, 130. *Chryſoſtomi*, 137. *Gregorii* I. & 191. *Pelagii.* 5) Homiliæ de ſanctis LI. Quarum 1. & 18. ſunt *Fulgentii*, 22. *Petri* rauennatenſis, 26. 31. 33. *Ambroſii*, 27. *Maximi*, 35. *Fulberti*, 36. *Euſebii* vercellenſis, 37. *Alcuini* presbyteri, 47. *Leonis* I. Quicunque autem Sermones Auguſtinum habent auctorem, ii non ſunt ſcripti artificioſe & methodice, ſed ad modum familiarium, adeoque eloquentiæ Patrum græcorum neutiquam æquiparandi. *Du Pin* 219. 6) Sermones LXXVI. ad fratres in eremo. Hi ſunt, iuxta *Caveum*, inſulſi alicuius impoſtoris; 52. tamen & 53. de diſquiſitione Clericorum Auguſtino accenſendi. Atque impoſtor ille hoc agit, ut ordinem, qui Auguſtinenſium dicitur, orbi commendet, orationem conſarcinans ex B. *Auguſtino*, ut *Eraſmus* in Cenſura iudicat.

Iam hic apponenda ſunt, quæ alii obſervarunt.

T. V. in Comment. *Vivis* ad l. 1. c. 2. p. 2. b. Hoc palladium vulgo conſpectum eſt *Heliogabalo* Imperatore incenſa æde Veſtæ. *Herodianus.*	Non Heliogabalo, neque etiam Herodianus hoc dicit, ſed COMMODO Imperatore. *Crenius* Animadv. P. V. 236.
Lib. X. c. 12. p. 84. b. Sicut in omnibus ſanctis ſuis *eius quæ* temporaliter fiunt iuſſa, æterna eius lege inſpecta.	P. *Dionyſius* werlenſis Philanth. vind. 111. legi vult, *eiusque.*

Lib.XV. c.16. p.128. b. Primorum hominum filii viri ſorores ſuas coniuges acceperunt: quod profecto quanto eſt *antiquius, compellente neceſſitate*, tanto poſtea *factum eſt damnabilius*, religione prohibente.

Eget explicatione illud Auguſtini dictum: an eſt enim aliquod neceſſitatis genus, quo *res per ſe & ſimpliciter nefaria licere incipiant?* minime profecto. quum enim iuberet Dominus propagari genus humanum, nec plures ſimul feminas condidiſſet, ſatis intelligitur, hanc *fuiſſe ipſius voluntatem*, ut fratri ex ſorore ſobolem tollere fas eſſet. Theod. *Beza* tract. de Repud.& divort. p.38. *Brunnemanus* Iur. eccleſ. l. 2. c. 16. p. 625.

Lib. XXI. c. 5. p. 198. b. *In Cappadocia* perhibent *vento equas concipere*, eosdemque fœtus non amplius triennio vivere.

Hoc ipſum etiam de Hiſpania tradunt veteres, quamvis omnino fabuloſe, ut a *Iuſtino* agnitum l. 44. c. 3. Sed *viro ſancto Solinus impoſuit*, qui in cap. de Cappadocia equabus id ipſum tribuit, ſuppreſſo loci nomine hoc miraculo celebrati. *Bochart*. Hierozoici l. 2. c. 9. p. 160. Adde notam *Berneccerі* in citatum Iuſtini locum.

Vives in Annot. ad præcedentem Auguſtini locum p. 199. a. *Sic Solinus in deſcriptione Cappadocia.*

At Solinus equarum ſic concipientium regionem non nominat. *Bochart.* l. c.

Tomo X. in Sermone LIII. in euang. ſecund. Ioannem p. 45. *Pene* quidem ſacramentum omnes corpus eius *dicunt*.

Legendum iuxta *Pelliſon*, dans les Reflex. ſur le differ. de la Religion P. IV. 107. hoc modo: *Penes* quidem ſacramentum omnes corpus eius *dicuntur*.

Aure-

Digitized by Google

Aurelius *Auguſtinus*, Patricio patre, matre *Monica* natus Tagaſtæ in Numidia A. 354. Romam venit A. 383. & anno inſequente Mediolanum, ubi cum *Ambroſii* verba captaret, res invenit: nam manichæiſmo relicto baptizatus eſt ab Ambroſio A. 387. Poſt matris Monicæ obitum in Africam rediit, & a *Valerio* epiſcopo hipponenſi creatus eſt presbyter A. 391. factus tandem, ſed invitus & repugnans, ex coëpiſcopo eiusdem ſucceſſor in munere epiſcopali: idque factum A. 395. Cum eccleſiam diu rexiſſet inuſitata vigilantia & prudentia, tandem, irrumpentibus in Africam Gothis & Vandalis, atque ipſum Hipponem regium, ubi epiſcopus ſedebat, obſidentibus, inter lacrymas & ſuſpiria, 76. annorum ſenex, ad meliorem vitam migrauit A. 430. Vide *Vitam* huius patris, quæ eius operum editioni pariſienſi ſubiungitur, & in *Actu erud.* A. 1701. 251. recenſetur; itemque eiusdem *Vitam* a *Godauio* epiſcopo graſſenſi conſcriptam, & Lugduni editam A. 1685. 8. Ingenio erat admodum vaſto, polito, & acuto. In pleraque myſteria magis ratiocinatus eſt, quam ullus auctor ante ipſum; plures quæſtiones prius non motas agitavit, longeque ſæpius abiuit ab eorum ſententia, qui ipſum anteceſſerant, & plurimas opiniones, quæ meram habebant probabilitatem, attulit, inde fortaſſis, ut *Cicero* circa philoſophiam, *magnus opinator* dicendus. Opiniones tamen ſuas modeſte protulit, aliisque liberum diſſentiendi arbitrium permiſit. Melior erat diſputator, quam interpres ſcripturarum: diſputavit autem contra Manichæos, Donatiſtas, Arianos, & Pelagianos. Multo facilius & terſius, quam polite & eleganter ſcribebat: multum enim africitatis habet in contextu dictionis. Ebrææ linguæ plane rudis erat, græcæ autem, ut ipſe fatetur l. 2. contra lit. Petiliani c. 38, perparum aſſecutus, & prope nihil. Interim maximam fere auctoritatem nactus eſt non tantum apud Romano-catholicos, ſed etiam apud Proteſtantes; cuius rationem oſtendit C. *Thomaſius* in Cautelis p. 162. Epitomen Auguſtini edidit Io. Piſcatorius. Ceterum de eo vide *Eraſmum* in ep. dedicat. *Gerhardum* Patrol. 359. *König* 72. *Magirum* 92. *Blount* 270. G. *Arnold.* P. I. lib. V. c. 3. C. *Thomaſ.* diſp. de hæreſi p. 4. *Biblioth. ſchrader.* P. I. A a 5. *Kortholt* Aufmunterung 75. G. *Calixtum* in prooem. ad libb. Auguſtini de D. C. p. 17. *Cren.* de Singular. ſcriptor. 38. *Burnet.* de Prædeſtinat. n. 12. & *Launovium* in Epp.

Digitized by Google

Io. Lud. *Viuɯ*, valentinus hiſpanus, latinas & græcas litteras, quas Lovanii didicerat, ibidem docuit. In Britanniam ſecedens, Oxonii Doctor iurium creatus, & in Collegio corporis Chriſti commoratus eſt. Poſtea HENRICI IIX. Regis filiam Mariam in bonis litteris ac ſapientiæ ſtudiis, & præcipue in pietate informauit, multamque ſibi laudem acquiſivit, donec Regis iram, propter improbatum eius divortium, aduerſus ſe concitaret, qua factum, ut VI. menſes cuſtodiæ fuerit liberæ mancipatus. Inde autem liberatus Brugas ſe contulit, ibique uxore ducta proli procreandæ librisque ſcribendis operam dedit, ærumnoſa hac vita defunctus A. 1536. vel. 1537. æt. 48. variæ vir doctrinæ, & ſapientiæ prope incomparabilis, ſtili autem duriuſculi. Hinc vulgo tribuebant *Budæo* ingenium, *Eraſmo* dicendi copiam, & *Vivi* iudicium. In critica tamen ſæpiſſime lapſus eſt. Opera eius prodierunt Brugis A. 1553. & Baſileæ 1560. eaque repræſentat *Wharton* in Append. ad Caveum p. 129. inter quæ hæc ſunt theologica: (non enim melior erat philologus, philoſophus & ICtus, quam theologus) Genethliacon I. Chriſti, Clypeus I. Chriſti, eiusdem Triumphus, Virginis deiparæ oratio, Meditationes in pſalmos VII. poenitentiales, de Paſſione Chriſti in pſalmum 37, Exercitationes animi in Deum, Comment. in orationem dominicam, Precationes & meditationes quotidianæ ac generales, de ſudore I. Chriſti Sacrum diurnum, Concio de noſtro & Chriſti ſudore, de Officio mariti, de Inſtitutione feminæ chriſtianæ, de Concordia & diſcordia in humano genere, de Purificatione, de Subventione pauperum, de Communione rerum, &, quos ultimo omnium ſcripſit, de Veritate fidei chriſtianæ libri V. Ceterum de Vive legi poſſunt *König* 850. *Magirus* 799. *Blount* 519. *Acta erudit.* A. 1703. 256. *Olear.* P. II. 231. Io. *Gerhard.* Conf. cathol. II. Mart. *Beer* von Anruff. der Heiligen 152. Val. *Alberti* Defenſ. aug. conf. 594. *Eraſmus* paſſim in Epp. ſuis, & Io. Thom. *Freigius* in præfat. ad Dialogos ſeu Colloquia Viuis, eundem commendat a pietate & eruditione. Quod autem ſpeciatim ad Commentarium in Auguſtini de C. D. libros attinet, multum ille ab eruditis & ſapientibus viris ſemper laudatus fuit, atque adhuc laudatur. Nicol. *Antonius* in Biblioth. hiſpan. vocat doctum: *Sixtus* ſen. Biblioth. S. l. 4. p. 334. nobiliſſimas lucubrationes, docte prorſus & accurate perſcriptas, in quibus ſummam eloquentiam

cum

cum abſolutiſſima eruditione & chriſtianiſſima pietate coniunxerit: *Scaliger* in Scaligeran. 411. optimum, ſi ſpectemus illud ſæculum: *Neander* P.. I Geograph. eruditiſſimum: *Hulſemannus* Patrol. 1061. egregium: *Crenius* Animadv. P. IV. 213. diffuſum eruditionis viveſinæ campum: *aliique*, teſte Philippo *Caroli* Animadv. in Agell. 5. tam bonum, quam vinum poteſt eſſe dominicum & conſulare. Et nihilo minus hic liber initio, ob invidorum technas & calumnias, ut hodieque fieri ſolet, vix reperit emptorem, ſicut *Eraſmus* ex ipſo audivit Frobenio, idque teſtatum reliquit in ep. 721. p. 842. hoc addens, videri hinc, etiam in Muſarum rebus fortunam regnare.

XLV.

LEO M. MAXIMVS taurinenſis, PETRVS chryſologus, FVLGENTIVS ruſpenſis, VALERIANVS cemelienſis, AMADEVS lauſannenſis, ASTERIVS amaſenus, ex editione Theoph. *Raynaudi*, qui varia addidit, nec non PROSPERI aquitanici opera omnia. Cum *Raynaudi* Cenſura inofficioſæ cenſuræ contra Dd. lovanienſes, librum de prædeſtinatione & gratia Fulgentio abiudicantes. Lugduni 1672. Iam ſingulorum ſcripta ordine ſunt nobis recenſenda.

LEONIS magni 1) Sermones p. 1. videlicet in anniverſario die aſſumtionis ſuæ ad pontificatum III. de collectis & eleemoſynis V. de ieiunio Xmi menſis & collectis ac eleemoſynis VIII. in feſtum nativitatis Chriſti X. in epiphaniam IIX. de quadrageſima XII. de paſſione Domini XIX. de reſurrectione Domini II. de aſcenſione Domini II. de pentecoſte III. in ieiunio pentecoſtes IV. in nativitate apoſtolorum Petri & Pauli II. (ſed horum poſterior depromtus eſt ex tertio aſſumtionis ad pontificatum. *Du Pin* T. IV. 162.) in octavam apoſtolorum Petri & Pauli. Ita quidem habet titulus; ſed ipſa Sermonis materia videtur indicare, habitum fuiſſe, poſtquam Roma a Vandalis fuit liberata: in natiuitatem ſanctorum VII. fratrum maccabæorum: in feſtivitatem S. *Laurentii*: de ieiunio ſeptimi menſis IX. contra hæreſin *Eutychis*: de transfiguratione Domini: in feſtum omnium ſanctorum: in natalem S. *Vincentii*. Hic autem ſermo eſt ſuppoſititius, iudice *Du Pin* 163. de martyribus, *auctoris incerti*. 2) Epiſtolæ decretales CX. p. 97. Vbi de Sermonibus antea memoratis & Epiſto-

lis decretalibus notandum, auctorem eorum non eſſe Proſperum, ut ſibi perſuadet *Antelmus*, ſed ipſum Leonem. *Du Pin* 120. 156. In Epiſtolis multa ſunt ſiue Pontificis, fimbrias ſuas extendentis, ſiue aliorum Pontifici adulantium; interim illæ legi merentur, modo diſtinguas inter ea, quæ pertinent ad fidem, & alia, quæ politiam ſpectant eccleſiaſticam; in illis fuit Leo orthodoxus, in hisce autem perhibetur fuiſſe ambitioſior. *R vet.* 462.

LEO I. romanus, non tuſcus, primum eccleſiæ romanæ acoluthus, deinde diaconus, electus, dum concordiæ Aëtium inter & Albinum reſarciendæ cauſſa A. 440. in Gallia verſabatur, epiſcopus ſeu papa romanus, *magnus* ob excellentem eruditionem & vigilantiſſimum contra hæreticos ſtudium dictus, ceterum gloriæ & dominationis avidus; unde & lites habuit cum ANATOLIO patriarcha CPtano, & *Hilario* arelatenſi: a VALENTINIANO auguſto ad Attilam miſſus fuit, ut irruptionem in Italiam deprecaretur. Nec iſta Leonis diſſuaſio fuit vana, ſed tantum effecit, ut ferociſſimus princeps exercitum trans Danubium duceret. Fatis autem conceſſit A. 461. Stilus eius politus eſt pariter atque affectatus; dictio compoſita ex periodis probe diſtinctis & menſuratis, ſed nihil ad Ciceronem. Opera huius Pontificis impreſſa ſunt cum alibi, tum Coloniæ A. 1561. & Antuerpiæ 1583. Sed omnibus editionibus palmam præripit pariſina, quam curavit Paſchal. *Queſnel*, presbyter Oratorii, A. 1676. 4. cum notis ac diſſertationibus. *König* 466. *Magirus* 511. *Cave* P. I. 243. *Olear.* P. I. 437. Io. *Frickius* in Inclem. CLEMENTIS 45.

In epiſt Leonis LXXXVII. p. 158.	Iac. *Cappellus* in 1. Tim. 3, 2. ſic
Tam ſacra ſemper habita eſt iſta (de ordinando epiſcopo, quem unius uxoris virum fuiſſe, aut eſſe conſtiterit) præceptio, ut etiam de muliere ſacerdotis *eligendi* eadem intelligatur ſervanda conditio.	legendum eſſe cenſet: Vt etiam de muliere ſacerdotis *eligenda* eadem intelligatur ſeruanda conditio.

MAXIMI taurinenſis Homiliæ de tempore, de ſanctis, & de diverſis, p. 193. Speciatim, de adventu Domini II. in vigiliis natalis Domini: in natali Domini VI: in circumciſione Domini: in epiphania Domini VIII: in die cinerum: de ieiunio Quadrageſimæ IV.

IV: in dominica palmarum: de accuſatione Domini ap. Pilatum II: de Iuda traditore: de paſſione, cruce, & ſepultura Domini IV: de S. latrone, Petro apoſtolo & ancilla oſtiaria IV: in ſolemnitate paſchali V: in litaniis ac Ninivitarum ieiuniis: in ſolemnitate Pentecoſtes III: In natali D. Stephani: in natali D. Agnetis: in nativitate Io. baptiſtæ III: in natali SS. Petri & Pauli IV: in natali Laurentii martyris III: in natali Euſebii, vercellenſis epiſcopi, II: in natali D. Cypriani II: in feriis D. Michäelis: in natali SS. tauricorum martyrum, *Octavii* nimirum, *Adventitii*, & *Salvatoris*: in communi martyrum: de expoſitione Symboli: de non metuendis carnalibus hoſtibus, & gratiis poſt cibum agendis II: de avaritia vitanda II: de eleemoſynis largiendis II: de hoſpitalitate: de defectu lunæ: & ſuper illud Eſaiæ c. 1. *Caupones tui miſcent vinum aqua.* Multæ homiliæ, quæ Maximo tribuuntur, reperiuntur inter Auguſtinianas & Ambroſianas. Et quæ ab ipſo profectæ ſunt, breves ſunt & leves, ornamento ac pulchritudine deſtitutæ. Stilus eſt humilis, & inventiones communes, nec raræ. Extant etiam in Bibliotheca Patrum.

Maximus, cuius natales ignoti, taurinenſis in Subalpinis epiſcopus, diſtinguendus a Maximo confeſſore & Maximo Planude, floruit (ſic enim eſt legendum in *Gennadii* Catalogo viror. illuſtrium loco verbi *moritur*) ſub HONORIO & THEODOSIO iuniore, & vixit usque ad A. 466. quippe qui interfuit concilio romano in natali HILARII papæ A. 465. celebrato, ſicut antea videtur interfuiſſe Synodo arauſicanæ A. 441. & mediolanenſi A. 451. In romana illa primo poſt ſummum Pontificem loco ſubſcripſit, ob prærogativam, ut *Baronio* videtur, ætatis in gerendo epiſcopatu. In docendo ac declamando tam fuit promptus, ut ex tempore ſuſtineret habere concionem, vir, ut *Gennadii* verbis utar, in divinis ſcripturis ſatis intentus. *Olear.* P. I. 480. *Cave* 222.

PETRI CHRYSOLOGI 1) Sermones CLXXVI. p. 247. Sunt valde breves, in quibus paucis verbis, ſed ſuaviter explicat textum ſcripturæ, & breves facit reflexiones morales. 2) Epiſtola ad Eutychen, archimandritam CPtanum, a Flaviano condemnatum, p. 400. In qua docet, etiamſi Chriſtum non cognoſcamus ſecundum carnem, tamen nos eum cognoſcere: neque noſtrum eſſe, movere quæſtiones curioſas: ac debere nos honorare & exſpectare noſtrum

Digitized by Google

ſtrum iudicem, non vero diſputare ſuper ipſius qualitate. Gerhardus Io. *Voſſius* epiſtolam hanc vulgavit græce & latine, Moguntiæ A. 1604.

Petrus hic noſter, in Foro Cornelii, quod hodie Imola vocatur, honeſtis parentibus natus, nec confundendus cum Petro, qui vixit ſub THEODORICO, a *Cornelio* epiſcopo urbis patriæ tam bonis litteris, quam moribus informatus, & epiſcopus, aut potius archiepiſcopus ravennatenſis anno circiter 433. factus, *Chryſologi*que cognomine ob facundiam potius, quam ob eloquentiam ornatus, e vita hac diſceſſit A. 449. aut 450. *Hulſem.* Patrol. c. 5. §. 72. *Olear.* P. II. 76. *Cave* P. I. 237. *DuPin* T. IV. 177. *Stilus* eius compoſitus eſt ex ſententiis & phraſibus truncatis, quæ tamen habent naturalem quandam connexionem: voces ſelectæ ſunt, cogitationes ſimplices & naturales, nihil coacti & affectati. In ſumma, ſtilus eſt floridus, atque auctor in chriſtianis, ſi a *Lactantio* & Severo *Sulpicio* diſceſſeris, ſatis elegans eſt, eiusque divini divinis de rebus ſermones in pretio habentur bonis omnibus. *Cren.* Methodor. T. II. 206.

FVLGENTII cuius operibus præmittitur *ipſius Vita*, a quodam eius diſcipulo conſcripta, ad Felicianum epiſcopum, Fulgentii ſucceſſorem, 1) ad Monimum libri III. p. 418. in quorum primo agitur de duplici prædeſtinatione Dei, una bonorum ad gloriam, altera malorum ad pœnam; in ſecundo de 3. quæſtionibus, ſacrificii oblationem, Spiritus S. miſſionem, & ſupererogationem S. Pauli concernentibus; in tertio de vera expoſitione dicti apoſtolici *Ioh.* 1, 1. *Et Verbum erat apud Deum.* 2) Contra Arianos liber I. p. 440. In quo ad X. obiectiones Arianorum reſpondetur. 3) Ad TRASIMVNDVM Regem libri III. p. 448. In quibus agitur de myſterio duarum in una Chriſti perſona naturarum, immenſitate divinitatis filii Dei, & ſignificatione dominicæ paſſionis. 4) Ad Donatum liber I. de fide orthodoxa, & diverſis erroribus hæreticorum. p. 480. De quo Io. Lud. *Fabricius* Opp. p. 439. 5) De fide ad *Petrum* diaconum liber. p. 485. In quo exponit, quid illi Hieroſolymam profecturo ſit credendum. *Eraſmus* putat, hunc librum collectum eſſe ex Auguſtini lucubrationibus. Vnde & in eius operibus extat. 6) Epiſtolæ VII. p. 499. Quarum prima agit de coniugali debito, & voto continentiæ a coniugibus emiſſo; ſecunda ad

Gallam

Digitized by Google

Gallam, de conſolatione ſuper morte mariti, deque viduitate; tertia ad *Probam*, de virginitate ſimul atque humilitate; quarta ad eandem, de oratione ad Deum & compunctione cordis; quinta ad *Eugypium* abbatem, de caritate, & eius dilectione; ſexta ad *Theodorum* ſenatorem, de converſione a ſeculo; ſeptima ad *Venantiam*, de recta pœnitentia & futura retributione. 7) Sermones X. p. 522. videl. 1. de confeſſoribus & diſpenſatoribus Domini 2. De duplici nativitate Chriſti, æterna & temporali. 3. De laudibus *Mariæ* ex partu Salvatoris. 4. De S. *Stephano* protomartyre, & converſione S. *Pauli* 5. De epiphania, deque innocentium nece, & muneribus magorum. 6. De caritate Dei ac proximi. 7. Super euangel. Matth. 14, 1. *Audivit Herodes tetrarcha.* 8. De S. *Cypriano* martyre. 9. De natali apoſtolorum. 10. De martyribus. Accedunt Sermones novi LXXX. Quibus præmittitur Præfatio, ſed quæ non eſt Fulgentii, nec tam præfatio eſt, quam principium homiliæ cuiuspiam, immo principium genuinum. Quin & hosce Sermones Fulgentii eſſe negat *Du Pin* T. V. 31. 8) Ad *Felicem* notarium liber I. de Trinitate p. 590. 9) Ad *Victorem* liber I. contra Sermonem *Faſtidioſi* ariani, qui Sermo huic libro præmiſſus cernitur p. 596. 10) Ad *Ferrandum* diaconum (cuius epiſtola præmiſſa eſt) Epiſtola de baptiſmo æthiopis moribundi, qui baptizatus fuit, etiamſi non potuerit ipſe reſpondere, utpote ratione, loquela, motu & ſenſu iam deſtitutus. p. 607. 11) Sermo ante altare ad infantes de Sacramento. p. 612. 12) Epiſtola ad *Reginum* de carne Chriſti, p. 613. In qua ad priorem quidem quæſtionem reſpondet, docens, carnem Chriſti corruptibilem fuiſſe ratione alterationis & corruptionis ſenſibilis, ſed non ratione peccati: ad poſteriorem autem non potuit reſpondere, morte præventus. Interim vices eius explevit *Ferrandus* diaconus. 13) Sermo de dicto Micheæ c. 6, 8. *Indicabo tibi, o homo, quid ſit bonum.* 14) Reſponſio ad V. quæſtiones *Ferrandi* diaconi, cum ipſa huius Epiſtola p. 617. videlicet, 1. An tres diuinitatis perſonæ ſint ſeparabiles. 2. An dici poſſit: divinitas I. C. eſt paſſa. 3. an anima I. Chriſti plenam divinitatis habeat notitiam. 4. Cur dicatur in precibus, quod *Filius regnet cum Patre in unitate Spiritus S.* 5. An *Lucæ* 22, 17. & 20. de uno eodemque, an de duobus poculis ſermo ſit? 15) Ad *Petrum* diaconum (cuius liber eadem de materia præmiſſus eſt) de incarnatione & gratia Domini noſtri I. C. p. 634. 16) Ad *Euthymi-*

thymium de remiſſione peccatorum. p. 650. 17) *Epiſcoporum africanorum* in Sardinia exulum Epiſtola ſynodica de gratia Dei & libero arbitrio. p.669. Fulgentii Reſponſio interiit. 18) Epiſtola *Ferrandi* diaconi ad Ægyptium, de eſſentia Trinitatis ac natura Chriſti. p. 672. 19) de Veritate prædeſtinationis & gratiæ Dei libri III. p. 673. 20) de Prædeſtinatione & gratia liber I. p.702. 21) Cenſura inofficioſæ cenſuræ libri huius de prædeſt. & gratia, qua is catholicus, & usque quaque purus monſtratur, ac vero parenti S. *Fulgentio* aſſeritur a Theoph. *Raynaudo*. p.709. Cauſæ huius aſſertionis ſunt 1. identitas ſtili. 2. identitas ratiocinationum, & ſententiarum, ac fere periodorum. 3. conſenſus doctrinæ huius libelli cum doctrinis Auguſtini. 4. teſtimonium auctoris vitæ Fulgentii, qui ita ſcribit: *Teſtimonia quoque prædeſtinationis, & gratiæ differentias cupientem noſſe, ſalubriter diſputans docuit.* Sed alii tamen hunc librum abiudicant Fulgentio, ob diverſitatem ſtili, & modi ſcribendi. Nam auctor huius libri, ait *Du Pin* T. 5. p. 31. non ſemper iisdem, & quidem certis ac veris principiis inſiſtit, ſed modo Caſſianum ſequitur, modo Auguſtinum. 22) Adverſus *Pintam*, epiſcopum arianum, pro fide catholica, liber I. Talem quidem librum ſcripſit Fulgentius; ſed ille, qui hic exhibetur, non eſt eius, ut iterum notat *Du Pin* p. 21. 23) Fragmenta librorum Fulgentii, qui non amplius extant, verba autem inde citantur à *Theodulpho*, epiſcopo aurelianenſi, & *Hincmaro*, archiepiſcopo rhemenſi.

Fabius Claudius Gordianus *Fulgentius*, diſtinguendus a Fulgentio grammatico, cui prænomen Fabii Planciadæ, patricius carthaginienſis (avus enim eius, non pater, ibi ſenator fuerat, pater autem in exilio vivebat, & poſt reditum ex Italia in Lepte, byzacenæ provinciæ urbe, conſederat, ubi etiam natus eſt Fulgentius noſter) primo urbis patriæ Procurator deinde monachus, linguam græcam optime callens, denique epiſcopus ruſpenſis in prædicta provincia, in exilium miſſus a TRASIMVNDO, ab HILDERICO autem inde revocatus, A. 533. placide obdormivit, æt. 65. Fuit ſtrenuus Auguſtini imitator ſiue æmulator, & multa ex eo depromſit. Opera eius impreſſa quoque ſunt Baſileæ A. 1556. 1566. 1587. Antwerpiæ 1574. Coloniæ 1618. & Lutetiæ Pariſiorum A. 1684. in 4. Vltima editio habetur pro optima. *König* 321. *Olear.* P. I. *Cave* 272. *Blount* 313.

VA-

Digitized by Google

VALERIANI 1) Homiliæ XX. videlicet 1. de bono diſciplinæ, ſeorſum edita a Melch. *Goldaſto* cum ipſius notis, Inſulis 1604. 4. 2. & 3. de arcta & anguſta via. 4. de promiſſis & non redditis. 5. de oris inſolentia. 6. de otioſis verbis. 7. 8. 9. de miſericordia. 10. de paraſitis. 11. de gloriatione, 2. *Cor.* 10, 17. 12. & 13. de bono pacis conſervandæ. 14. de bono humilitatis. 15. 16. & 17. de bono martyrii. 18. de Maccabæis. 19. de quadrageſima. 20. de avaritia. Stilus iſtarum homiliarum non eſt ſublimis, ſed ſimplex & ſine ornamentis, facilis tamen & clarus. 2) Epiſtola ad monachos, de virtutibus & ordine doctrinæ apoſtolicæ. Quæ quidem parvi momenti eſt.

Valerianus, natione gallus, & ſplendidiſſimis natalibus inſignis, ſedem ſuam epiſcopalem habuit Cemelii ſiue Cemellæ aut Cemelini, (totidem enim nominibus urbs illa appellatur) ad Alpes maritimas prope Nicæam Salyum, quo & deſtructa Cemelio epiſcopatus translatus fuit, floruitque ſub annum Chriſti 450. *Du Pinius* T. IV. 179. & alii eum accuſant ſemipelagianiſmi, ſed Theoph. *Raynaudus* in Proloquio, quod in huius operis p. 757. extat, eundem excuſat & defendit. Valerianus laudatur in *Perronianis* p. 380.

AMEDEI Homiliæ IIX. de laudibus glorioſæ virginis Mariæ. Auctor earum non eſt ille Amedeus, qui alias *Amator*, vel *Io. Menesius* dictus eſt, & ſub PAVLO II. & SIXTO IV. inter Franciſcanos in Hiſpania floruit, ſed alius, qui genere nobilis, forma præſtans, rebus gerendis prudens, moribus ſanctus, natus in caſtro Coſta prope Viennam Allobrogum, ex monacho claravallenſi ſub abbate *Bernhardo* abbas altacumbenſis, & tandem circa A. 1144. epiſcopus factus lauſannenſis, officio huic præfuit 14. annos, adeoque floruit ſub FRIDERICO I. Imp. cuius & cancellarius fuiſſe dicitur. Vide hic excerptum e litteris illius Imperatoris, p. 803. ubi Vita huius Amedei ſiue Amadei, ab anonymo deſcripta, cernitur. *Cave* P. I. 465. *Olear.* P. I. 42.

ASTERII amaſeni *Homiliæ* XII. videlicet 1. de divite & *Lazaro*, *Luc.* 16, 19. 2. de oeconomo iniquitatis, *Luc.* 16, 1. 3. adverſus avaritiam. 4. in feſtum Kalendarum. 5. in *Matth.* 19, 3. *An liceat homini dimittere uxorem quacunque de cauſa?* 6. in *Danielem* prophetam & *Suſannam*. 7. In *Io.* 9, 1. de cœco a nativitate. 8. in SS. principes apoſtolorum, *Petrum* & *Paulum*. 9. in S. martyrem *Phocam*,

Digitized by Google

cam. 10. in SS. martyres. 11. in martyrium S. *Euphemiæ.* 12. Aſterii Excerpta photiana hic inſeruntur. 13. Laudatio ſancti protomartyris *Stephani.* Quinque harum homiliarum græce & latine editæ ſunt Antverpiæ A. 1608. a Phil. *Rubenio*, ICto: alias deinde addidit *Combefiſius.* Verum an omnes ſint Aſterii, in dubio verſatur.

Aſterius hic, Amaſeæ in Ponto epiſcopus, ab Aſterio ariano, & Aſterio Petræ in Arabia epiſcopo probe diſtinguendus, ſcythæ cuiusdam diſcipulus, vixit anno circiter 400. citatus iam olim a *Concilio II. nicano.* & *Photio* in Myriobiblo. Vide hic p. 860. *Olear.* P. I. 84. & *Cave* 201.

PROSPERI aquitanici Opera, 1) liber de Promiſſionibus & prædictionibus Dei. In quo oſtenditur, quænam Dei prædictiones & promiſſiones ſint completæ, & quænam complendæ. At vero hic liber non eſt huius, ſed alterius Proſperi. *Cocus* in Cenſura 399. *Raynaudus* in præfat. *Du Pin* T. IV. 189. & *Acta erudit.* A. 1713. 248. 2) de Vita contemplativa, ad *Iulianum* pontificem (non romanum, ſed gallicanum. Ger. Io. *Voſſ.* Hiſtor. pelag. l. 1. c. 18. p. 574. nam & epiſcopi olim vocati ſunt *pontifices*, item *antiſtites*) libri III. Neque hi libri Proſperum habent auctorem, ſed *Iulianum Pomerium*, ut videtur *Placcio* in pſeudon. 244. & *Du Pinio* 189. Erat autem Pomerius natione maurus, Rhetoricam Arelate cum adplauſu docens, ac inter alios Cæſarium, eiusdem urbis poſtea epiſcopum, auditorem habens. Vide *Acta erud.* l. c. Neque hoc prætereundum, exſtare in bibiliotheca auguſta codicem prædicti libri MS. membranaceum, uncialibus exaratum, in quo voces *laburare*, *ſpecolator*, *inlecebra*, *habundantia*, *luxoria*, antiquitatem ſatis ſuperque probant. 3) de gratia & libero arbitrio epiſtola ad Rufinum. Scripta eſt vivente adhuc Auguſtino, & ultimis quidem eius annis. Quis autem Rufinus ille fuerit, non conſtat. *Du Pin* 181. 4. Reſponſiones ad capitula obiectionum Gallorum (contra doctrinam S. Auguſtini) A. 431. 5) Reſponſiones ad capitula obiectionum vincentianarum: *Vincentii* ne, monachi lirinenſis, an presbyteri, natione galli, dubium. 6) Reſponſiones ad excerpta, quæ de genuenſi (non genevenſi) ciuitate erant miſſa, videlicet a duobus presbyteris, *Camillo* & *Theodoro*, qui loca quæpiam, ipſorum intellectui difficilia, ex Auguſtini libris de Prædeſtinatione ſanctorum & perſeverantia tranſmiſerant. Oſtendit autem Proſper in Reſponſio-

Digitized by Google

ne A. 431, initium fidei eſſe effectum gratiæ & miſericordiæ Dei, iſtamque gratiam non dari omnibus, nec ullum bonum ſine Dei auxilio fieri poſſe. 7) De gratia & lib. arbitrio, pro defenſione S. Auguſtini, contra Collatoris i. e. Caſſiani librum, qui de protectione Dei inſcribitur. A. 432. Erat autem *Caſſianus* presbyter & abbas Maſſiliæ in Gallia, Collationesque ſpirituales X. cum orientalibus monachis inſtitutas, auctore *Caſtore*, epiſcopo aptenſi, calamo exceperat, ac VII. ſeqq. Honorati & Eucherii precibus victus addiderat. Harum decimæ tertiæ, quæ Auguſtini de gratia doctrinæ fere tota aduerſatur, oppoſitæ ſunt Meditationes Proſperi. 8) Sententiæ ex operibus Auguſtini excerptæ. A. 451. 9) Ex ſententiis Auguſtini Epigrammatum liber I. In quo videlicet ſententiæ illæ carmine ſunt expreſſæ. Vnde apparet, Proſperum theologiam ſuam hauſiſſe ex Auguſtino. 10) de Prouidentia Dei opuſculum, etiam carminice. Sed non eſt Proſperi, quoniam principia continet, doctrinæ Proſperi de gratia Dei directe contraria. *Rivet.* Crit. S. l. 4. c. 18. *Du Pin* 188. 11) Carmen *περὶ ἀχαρίστων*, de ingratis, contra Pelagianos, qui per ingratos illos intelliguntur. A. 430. Hoc opus maximi eſt momenti inter illa, quæ ſcripſit de gratia: oſtendit enim Maſſilienſibus, ipſos Pelagianorum veſtigiis ita inſiſtere, ut pro occultis Pelagianis omnino ſint habendi. 12) *Pſalmorum* a centeſimo (ſeu 101) usque ad 150.um Expoſitio. A. 434. In qua ſequitur explicationes Auguſtini, easque fere in compendium contrahit. 13) de Vocatione (omnium) gentium libri II. Quos quidem Proſpero tribuunt *Antelmus* & *Raynaudus*, ſed Gerh. Io. *Voſſius* in Hiſt. pelag. vel arelatenſi Hilario, vel Proſpero aurelianenſi. *Riuetus* in Crit. S. 443. & *Du Pin* 199. difficile eſſe aiunt ſcire, cuius ſint; *Du Pinio* tamen, & *Queſnelio*, probabile videtur, profectos eſſe a Leone M. 14) Epiſtola ad Demetriadem. Eiusdem, iuxta prædictos auctores, eſt ſcriptoris. 15) Epiſtola ad Auguſtinum de reliquiis pelagianæ hæreſeos, in Gallia ſubnaſcentibus, ſcripta A. 429. Quanquam *Du Pinius* Proſperi Epiſtolas habet pro ſpuriis. 190. 16) CÆLESTINI papæ pro Proſpero & Hilario de gratia Dei Epiſtola ad quosdam Galliarum epiſcopos. 17) Canones concilii arauſicani II. habiti ſub FELICE papa IV. A. 529. Meliores Proſperi editiones ſunt colonienſis A. 1630. & pariſienſis 1711. immo hæc optima, utpote amplior, & emendatior, de qua *Acta erud.* A. 1713. 244.

Tiro *Proſper*, natus in Aquitania, Galliæ prouincia, iuuenis omnibus deditus fuit vitiis, ſed poſtea ad Deum conuerſus ſacrum codicem & Auguſtini ſcripta ſedulo legit, atque uxorem duxit, ſcriptisque doctrinam Auguſtini, ut laicus, acerrime, nec invitis clericis defendit. Vt adeo non fuerit epiſcopus, ſiue regienſis in Italia, ſiue reinenſis in Provincia Galliæ. Floruit ſeculo V. temporibus VALENTINIANI III. Imp. & LEONIS I. papæ, cuius etiam fuit notarius ſiue amanuenſis, ſeu mavis ſecretarius, ac videtur ad plures abiviſſe circa A. 463. omnium ætatis ſuæ, Ioſ. *Scaligero* iudice, doctiſſimus ac peritiſſimus, rhetor & poëta præclarus. Scripſit etiam Confeſſionem fidei, & Chronicum a M. C. usque ad A. C. 455. Quanquam de priore ſcripto non nulli dubitant, utrum eius ſit: de poſteriore autem legendi ſunt *Cave* 248. & *Neu* in Acceſſion. ad Wheari Relect. 154. Stilus eius eſt ſcholaſticus, ſed neruoſus & penetrans. Ceterum de Proſpero videantur *Kœnig* 666. *Magirus* 691. *Blount* 304. *Neu* l. c. 153. *Olear.* P. II. 106. *Du Pin* 181. *Acta erud.* 1713. 244. *Cave* P. I. 247. & *Menagius* in epiſt. ad fratrem, quæ Duplici Launoii diſſertationi ſubiuncta eſt.

Theophil. *Raynaudus*, ceſpitellenſis, S. I. theologus clariſſimus, multa ſcripſit, quæ iunctim prodiere Lugduni A. 1665. XIX. tomis, qui IIX. volumina efficiunt, in fol. obiitque A. 1663. æt. 87. *Witte* Diar. biograph. S s s 3. *König* 680. Vnde *Morhofius* Polyh. l. 1. c. 16. n. 28. eum vocat virum multæ lectionis & ſcriptionis. In illis eius operibus ſunt 1) Erotemata de malis ac bonis libris. Quod argumentum morali ratione tractavit, eosque libros, qui ad ſuum & Societatis ſuæ palatum non erant, purgatum aut ſublatum ivit. *Morhof* l. c. 2) Splendor veritatis moralis, collatus cum tenebris mendacii, ac nubilo æquivocationis & mentalis reſtrictionis, in quo æquivocationum & reſtrict. mental. patronum agit. *Idem* T. II. 106. 3) Liber de Stigmatiſmo ſacro & profano, ubi curioſa exſtat diſquiſitio de ſtigmatibus magicis, ſive a dæmone impreſſis; quæ ſolent argumenta initi cum dæmone pacti recenſeri. *Idem* T. II. p. 496.

XLVI.

BERNHARDI Opera. Pariſiis 1551. Ex bibliotheca L. F. *Reinharti*, cui Nicol. *Rittershuſius*, ceu patet ex eius manu, librum dona-

Digitized by Google

donaverat. De variis huius patris editionibus vide *Supplem.* Act. erud. T. I. 556. Optima omnium eſt, quæ Pariſiis prodiit A. 1690. ſecundis curis Io. *Mabillonii*, cumque eiusdem præfationibus, admonitionibus & obſervationibus. Operum horum alia ſunt genuina, ut 1) de Adventu Domini Sermones VII. 2) In *Lucæ* 1, 26. *Miſſus eſt angelus*, IV. 3) Reliqui Sermones de tempore. 4) in dedicatione eccleſiæ VI. 5) in pſalmum 91. *Qui habitat*. XVII. 6) de diverſis argumentis, nimirum de nimia quadam fallacia præſentis vitæ; de obedientia, patientia & ſapientia; de cantico Ezechiæ regis, *Eſa.* 38. de triplici cohærentia vinculorum, clavorum & glutinorum; de cute, carne & oſſibus animæ; de verbis apoſtoli 1. *Cor.* 1, 31. *Qui gloriatur, in Domino glorietur*; de diverſis affectionibus animæ, & diverſis nominibus ſecundum eas; de verbis *Pſalmi* 85, 9. *Audiam, quid loquatur in me Dominus*; de duplici baptiſmo, & de relinquenda propria voluntate; de primordiis, mediis, & noviſſimis noſtris; de triplici miſericordia, & 4. miſerationibus; de VII. donis Spiritus S. contra VII. vitia; de eo, quod ſcriptum eſt *Prov.* 1, 13. *Beatus homo, qui invenit ſapientiam*; de triplici genere bonorum, & vigilantia ſuper cogitationibus; de triplici cuſtodia, manus, linguæ & cordis; de verbis apoſtoli *Rom.* 14, 17. *Non eſt regnum Dei eſca & potus*; de verbis Domini *Luc.* 18, 18. *Omnis, qui ſe exaltat, humiliabitur*; de verbis *Sap.* 10, 10. *Iuſtum deduxit Dominus per vias rectas*; de quadruplici debito; de VII. Spiritibus; de multiplici utilitate verbi Dei; de 4. modis orandi, 1. *Tim.* 2, 1. contra peſſimum vitium ingrati animi; de eo, quod legitur *Iobi* 5, 19. *In ſex tribulationibus liberabit te*; de diligendo Deo; de ligno, fœno & ſtipula, ad 1. *Cor.* 3, 12.; de triplici genere cogitationum noſtrarum; de triplici iudicio, proprio, humano, & divino, ad 1. *Cor.* 4, 3. 4.; de verbis *Pſalmi* 23. vel 24, 3. *Quis aſcendet?* de verbis *Origenis* ad *Levit.* 10, 9. Parabola, quæ *Bernhardo* adſcribitur, de filio Regis; de tribus ordinibus Eccleſiæ. 7) De altitudine cordis Sermones IV. 8) Ad Milites templi Sermo protrepticus. 9) De converſione, ad Clericos, Sermo I. 10) Sermones parvi LXVI. 11) De donis Spiritus S. tractatus. 12) Sententiæ formandis moribus accommodæ. Hic liber collectus eſt ab alio ex ſcriptis Bernhardi. 13) Sermones in *Cantica canticorum* LXXXVI. Sed morte præventus, eos non potuit abſolvere: expoſuit enim tantum tria priora capita. Vide encomium

comium huius ſcripti apud *Sixtum* Sen. in Bibl. S. p. 266. & T. I. *Supplem.* Act. Erudit. p. 565. 14) Epiſtolæ CCCLI. 15) De conſideratione, ad EVGENIVM, ex diſcipulo Pontificem maximum, libri V. In quibus agitur de conſiderationis utilitate & neceſſitate, quis & qualis Pontifex, de iis, quæ infra, circa, & ſupra Pontificem ſunt. 16) De gratia & libero arbitrio tractatus. Laudatur *Voſſio* Hiſt. pelag. l. 1. c. 21. & *Mabillonio* in T. I. Supplem. Act. erudit. p. 562. 17) De præcepto & diſpenſatione. Huic opuſculo ſcribendo carnotenſes monachi occaſionem dederunt, a quibus, quænam eſſet regula Benedicti, & ſtatutorum eius obligatio, conſultus fuerat. 18) De diligendo Deo, ad *Haymericum* Cardinalem. 19) De 12. gradibus humilitatis, & totidem ſuperbiæ cum humilitate pugnantis. Cum Retractatione prævia. 20) Apologia ad *Guilielmum*, abbatem ordinis clunicacenſis. In quo negat, ſe & clericos ſuos detraxiſſe honori & famæ illius ordinis. 21) Dialogiſmus *Petri* cum domino *Ieſu*, proponentis: *Ecce nos reliquimus omnia, Matth.* 19, 27. Compoſitus eſt e ſcriptis Patrum meliorum.

Alia dubia, vel ſuppoſititia, vel aliena, ut 1) de Vita ſolitaria, ad Fratres de Monte Dei, epiſtola ſiue tractatus. Non habet ſtilum, ſed ſpiritum Bernhardi. 2) Meditationes. Quas Dan. *Heinſius* Orat. qua gratias agit pro biblioth.mun.p. 28. rivum paradiſi, ambroſiam animarum, pabulum angelicum, medullam pietatis vocat. XVI. tamen eius capita nec ſtilum ſapiunt nec eruditionem Bernhardi, ſed pietatem tantum, & devotionem. 3) de Interiori domo. 4) de ordine vitæ. 5) Scala clauſtralium, ſeu de modo orandi. Eſt inſignis liber, ſed ſtilum Bernhardi non continet. Tribuitur *Guidoni* cartuſiano. T. I. *Supplem.* Act. erudit. p. 565. 6) Formula honeſtæ vitæ. 7) Speculum monachorum. Idem de binis hiſce ſcriptis iudicandum. 8) Sermones aliquot, qui adſcribebantur Bernhardo, nimirum de nativitate Domini Sermones III. de S. Stephano, *Act.* 7. de puero Ieſu duodecenni, *Luc.* 2, 42. de adornandis cordium affectibus, in die purificationis; de cœna Domini Sermones II. *Caſaub.* unius meminit Sermonis, eiusque auctorem Bernhardo fortaſſe antiquiorem eſſe autumat, Exercit. XVI. p. 455. de privilegiis B. *Ioannis* bapt. de villico niquitatis, *Luc.* 16, 1. de B. Maria, *Luc.* 1, 28. in illud *Sap.* 7, 30. de virginibus, *Matth.* 25, 1. de VII. gradibus confeſſionis: de virtute obedientiæ: de V. negoti-

ationi-

ationibus, & V. regionibus : de fide, ſpe & caritate : de nuptiis filii regis, & de ornamentis ſponſæ ſuæ: Sermo ad Clerum in Synodo remenſi congregatum: Sermo ad Paſtores in Synodo congregatos: ſuper *Salve Regina* Sermones IV. 9) de Conſcientia liber. Pius quidem & utilis eſt, non tamen videtur eſſe Bernhardi. 10) Sermo de S. *Andrea.* 11) de S. *Nicolao.* 12) Hypographe ſiue deſcriptio *Claravallis.* 13) Epiſtola *Bernhardi Silveſtris*, qui erat homo curæ rei familiaris intentus. 14) *Gilleberti*, abbatis de Hoilandia (ſic vocatur inſula Anglis & Scotis contermina) in Britannia maiore ſeu Anglia, Sermones XLVIII. in Canticum Canticorum, quibus ille B. Bernhardi opus cœptum continuavit. *Du Pin* T. IX. 15) de Lamentatione virginis Mariæ tractatus ſiue Sermo. Continet, fatente ipſomet *Bellarmino*, ineptias, & non nulla falſa. 16) Doctrina *Bernhardi* (uti quidem inſcriptio habet) pro Conventualibus. 17) Homilia de duobus euntibus in Emaus; *Luc.* 24, 13. 18) Libellus de amore Dei. Scriptus eſt ad imitationem Confeſſionum Auguſtini. 19) De natura & dignitate amoris divini. Subtilis eſt & obſcurus. 20) Sermo de paſſione Domini. 21) Liber de paſſione Domini, ſuper illud *Ioh.* 15, 5. *Ego ſum vitis vera.* 22) Rhythmica oratio ad unum quodlibet membrorum *Chriſti* patientis & a cruce pendentis, quæ incipit : *Salve mundi ſalutare.* 23) Iubilus rhythmicus in commemorationem dominicæ paſſionis, cuius initium: *Ieſu dulcis memoria.* De rhythmis, qui Bernhardo adſcribuntur, ait *Bellarm.* de Scriptor. eccleſ. p. 182. Hoc ſolum dicere poſſum, illum, qui incipit : *Ieſu dulcis memoria*, longe *præſtare ceteris omnibus.* 24) Oratio rhythmica ad dominum Ieſum eiusque matrem, incipiens: *Summe ſummi tu Patris unice:* 25 Proſa rhythmica modulatione excurrens in laudem dominicæ nativitatis, incipiens: *Lætabundus exultet fidelis chorus.* 26) Confeſſionis privatæ formula. 27) Modus bene vivendi, ad ſororem. Vtiliſſima quidem hic liber documenta continet, ſed a Bernhardo non ſcriptus, neque ad ſororem eius, quippe quæ coniugata fuit, deinde ſanctimonialis: ſoror autem illa, ad quam dirigitur liber, vivebat in monaſterio. 28) de Conſcientia libellus alter. 29) Ad glorioſam virg. *Mariam* deprecatio. 30) de Miſeria humana. 31) de Pugna ſpirituali Sermo tertius. 32) de XII. gradibus humilitatis, ex regula S. Benedicti. 33) Sermo in *Luc.* 2, 42. de puero Ieſu duodecenni. 34) In

Digitized by Google

cœna Domini Sermones XV. 35) Homilia in *Matth.* 13, 45. de regno Dei, ſimili negotiatori. 36) Epiſtola ad quendam, quid a nobis requirat Deus, inſinuans. 37) Super *Salve Regina* meditatio. 38) De XI. oneribus, ab *Eſaia* propheta deſcriptis, Sermo. 39) Vita S. *Malachiæ*, epiſcopi britanni. Hoc ſcriptum genuinis *Bernhardi* libris eſt accenſendum. 40) Vita S. Bernhardi V. libris conſtans: primum ſcripſit *Gulielmus*, abbas S. Theodorici; ſecundus *Bernhardus*, abbas Bonævallis; tres ultimos *Gofridus*, monachus claravallenſis. Vid. *Placc.* de Anon. 306. 307.

Bernhardus, natione burgundus, ex utroque parente perquam nobilis, ordinis ciſtercienſis, primus cœnobii claravallenſis, ad fluviolum Seniam in diœceſi lingonenſi erecti, abbas, concilio trecenſi interfuit A. 1127. & ſtampenſi A. 1130. Templariorum ordinem confirmandum curavit: Victorem IV. antipapam precibus atque perſuaſionibus expugnavit, ut exutis pontificalibus ſeſe ſubmitteret, ac pacem peteret: *Abailardi*, *Gilliberti*, *Petrobruſianorum*, & *Apoſtolicorum* errores redarguit, ſæpius legationes ad Principes chriſtianos obiit, Mediolanum LOTHARIO Imp. reconciliavit, monaſteria CLX. Cluninacenſibus ſuis erexit, vir ſingulari pietate, humilitate, manſuetudine, & amore erga Deum & homines, in primis egenos & pauperes, atque ingenti adverſus corruptos chriſtianorum mores zelo flagrans; adeoque revera lucerna ardens & lucens: nam qui vult lucere, debet prius ardere. *Spizel.* in Vet. acad. I. Chriſti p. 213. Obiit A. 1153. ætatis 62. Eius modus docendi, ut ait *Sixtus ſenenſis*, in ſenſibus myſticis indagandis, & in moribus formandis fere ſemper verſatur. Oratio ubique dulcis & ardens ita delectat & ardenter incendit, ut ex ſuaviſſima lingua eius mel & lac verborum fluere, & ex ardentiſſimo eius pectore ignitorum affectuum incendia erumpere videantur: et hinc *Melliflui* cognomen tulit. *Eraſmus* eum appellat virum & chriſtiane doctum, & ſancte facundum, & pie feſtivum. *Lutherus* nullus dubitat eundem, ob devotionem in primis, omnibus Patribus anteponere. Vide *Magirum* 125. *Blount* 373. *Gerhard.* Conf. cathol. 10. *Olear.* P.I. 128. *Cave* 448. *Kœnig* 104. *Cren.* de Singular. ſcriptor. 47. Interdum tamen ludit verbis S. Scripturæ venuſte magis, quam graviter, uti *Eraſmus* iudicat in Compend. theol. Stilus eius adeo non eſt ciceronianus, ut e ſcriptis vix ſuboleat, ei unquam lectum eſſe Ci-

ce-

ceronem. De erroribus Bernhardi legenda eſt Cent. XII. Magd. c. 4. & 6. & 10. p. 1638. ideoque *Hülſemannus* colligit in Patrol. c. 13. *de puritate doctrina chriſtiana non ſupereſſe poſt ſeculum V.* (quintum autem? immo iam diu ante hoc tempus) *teſtes authenticos alios, præter univerſalia eccleſia Symbola.*

XLVII.

Ottomari EPPLINI Selectiora Patrum iudicia de pericopis euangelicis, quæ quotannis in eccleſiis chriſtianis explicantur. Regiomonti 1560. Per *Patres* h. l. intelliguntur non tantum illi, qui ſtricte appellantur Patres eccleſiæ, ſed etiam alii ſequioris ævi ſcriptores, usque ad ſeculum XV. Ex hisce cum vetuſtis, tum recentioribus ſcriptoribus producit auctor ſuper ſingulos pericopæ euangelicæ uerſus excerpta, ut lector inde cognoſcat, quo modo ab illis verba hæc ſcripturæ fuerint intellecta & explicata; atque adeo hoc volumen eſt inſtar bibliothecæ Patrum, in uſum eorum, quibus elaborandæ & habendæ ſunt conciones. Syllabus Patrum ſiue Doctorum iſtorum, qui numero ſunt 130, ſubiunctus eſt epiſtolæ dedicatoriæ. Similis generis ſcripta ſunt Bibliotheca homiliarum & ſermonum priſcorum Patrum, collecta a Laur. *Camdio*, & Fran. Ger. *Moſano*, cum ſcholiis, commendata a *Voetio* in Biblioth. ſtud. theol. l. 2. c. 3. *L' Euangile de St. Matthieu*, avec les Explications des ſaints Peres, & des auteurs eccleſiaſtiques, a Paris, 1697. 8. & T. *Magiri* Poſtilla Patrum, ſeu Meditationes Patrum orthodoxorum in euangelia anniuerſaria, Francofurti 1639. 4.

Ottom. *Epplinus*, Pruſſorum Ducis concionator aulicus, floruit medio ſeculo XVI. In epiſtola dedicatoria ad SIGISMVNDVM AVGVSTVM, Regem Polon. profitetur, falſo inſimulari eccleſias noſtras, quod minus religioſe de Patrum ſcriptis, & Conciliis, eorumque iudiciis ſentiant; cauendum eſſe, ne vel verbi diuini ſubleuetur auctoritas, vel ſanctorum Patrum ac Synodorum exiſtimatio diminuatur; interpretationem Scripturæ a Deo in eccleſia relictam eſſe, non ut poteſtatem, ſed ut donum, & quidem eo in cœtu, qui retinet incorruptam euangelii doctrinam, & legitimam ſacramentorum diſpenſationem; normam autem interpretationis eſſe ſcripta Prophetarum & Apoſtolorum: in quibus ſi quid dubii occurrat, inſtituendam eſſe collationem textuum, & retinendam

eam ſententiam, quæ cum univerſa Scriptura & Antiquitate eccleſiaſtica congruit; Patrum ac Synodorum ſcripta non aliter recipienda, quam ut teſtimonia, quibus veritas atque certitudo doctrinæ, in Prophetarum & Apoſtolorum monumentis traditæ, confirmetur, ideoqne ipſos etiam Patres ſua ſcripta ad normam V. ac N. fœderis voluiſſe accommodata: in allegandis Patrum ſcriptis caute procedendum, quia illi ſæpe lapſi, interdum etiam violentas aliorum manus paſſi ſint: uno verbo, in eccleſiæ controverſiis diiudicationem ex Scriptura, tanquam ex certa minimeque fallaci iudicii norma, petendam eſſe, & Patrum atque Synodorum iudicia, cum fontibus librorum propheticorum & apoſtolicorum conſentientia, recipienda, tanquam teſtimonia, quibus oſtendatur, eandem fuiſſe Prophetarum & Apoſtolorum ſententiam, eamque poſteris tradendam eſſe.

XLVIII.

Io. PISCATORII Bibliotheca ſtudii theologici ex plerisque Doctorum priſci ſeculi monumentis collecta, cum continuatione Io. CRISPINI. Genevæ apud Io. Criſpinum 1565. Ex bibliotheca D. Iac. *Schotteri*, cuius etiam manus in fronte libri conſpicitur. Iterum ibidem prodiit apud Pet. Santandreanum A. 1581. Sunt excerpta ex veteribus eccleſiæ Patribus, & quidem in I. Parte ex Auguſtino per Io. *Piſcatorium* lithopolitanum, in II. ex *Hieronymo*, in III. ex *Clemente*, *Irenao*, *Tertulliano*, *Cypriano*, *Origene*, *Athanaſio*, *Lactantio*, *Ambroſio*, *Baſilio* M. *Gregorio* nazianzeno, *Cyrillo* alexandrino, *Chryſoſtomo*, *Fulgentio*, *Bernardo* & aliis, per Io. *Criſpinum*. Initio ſingularum partium diſſeritur de auctoribus & eorum ſcriptis, unde iſthæc collectio eſt facta, ſingulisque partibus ſubiunguntur Similitudines, quibus ſcriptores illi ſacras litteras illuſtrarunt. *Piſcatorii* Epitome S. Auguſtini fuerat excuſa Auguſtæ Vindelicorum A. 1537. quam Io. *Peſſelius* recognovit, & auxit collectis ex Auguſtino Sententiis de VII. Sacramentis, ediditque Coloniæ A. 1530. Idem ſtudium Romæ tractat Ioſ. Maria *Tommaſius*, qui iam tres Inſtitutionum SS. Patrum tomos evulgavit.

Io. *Criſpinus*, gallice *Creſpin*, atrebas, litterarum & iurium peritiſſimus, primum aduocatus Parlamenti pariſienſis, dein, commutata avita religione cum reformata, typographus genevenſis, vocatur

catur a *Colomeſio* Biblioth. choiſ. 208. ſavant homme, & edidit Lexicon græco-latinum, in gratiam Calvini Commentarium de apoſtatis contra Fran. *Balduinum*, ad romanam eccleſiam regreſſum, Actiones & monumenta eorum, qui a Wiclefo & Huſſo ad ſuam ætatem pro Chriſto mortui ſunt, nec non N. T. græcum, obiitque lue peſtilentiæ A. 1572. Vide *Lexic. univerſ.* hiſtor. T. I. 765. Parti II. huius operis præmiſit doctiſſimam de vita ſcriptisque Hieronymi præfationem.

XLIX.

MISCHNA cum *Maimonidis* & *Bartenora* commentariis, & variorum auctorum (ut *Guiſii*, *Sheringamii*, *Houtingii*, *Leusdenii*, *Fagii* & Mich. *Arnoldi*) verſionibus ac notis, item verſione & notis Guil. *Surenhuſii*. Amſtelodami 1698 - 1703. Sunt partes VI. (volumina III.) quibus ſingulis Surenhuſius præmiſit elegantes & prolixas præfationes, ad inſtar commentariorum. Operis talmudici, de quo etiam Aug. *Pfeiffer* in Faſcic. diſſertat. p. 1. legi poteſt, brevis recenſio eſt in *Buxtorfii* libro de Abbreviat. hebr. 217. & in *Maimonidis* præfat. in P. I. huius operis b 3. Talmudis autem compendium, iudice *Wagenſeilio* præfat. in Sotam, *Maimonidis* יד חזקה tibi exhibet. *Marinus* & *Cavalerius* omiſerunt in Talmudis editione baſileenſi tractatum עבודה זרה eo, quod chriſtiana religio in eo perſtringatur. Henr. *van Basbuyzen* (apud Clericum in Biblioth. ſelect. T. XXI. 204.) optat, ut in editione Talmudis additæ fuiſſent virgulæ, puncta, & aliæ diſtinctiones ad faciliorem lectionem. *Ieſus*, inquit auctor Colloquior. menſtr. (der Monatl. Unterredungen) A. 1689. 649. cuius in Talmude ſit mentio, eſt noſter; ſed Rabbini chronologiam corruperunt, quaſi ille prius fuiſſet. Sane autem prius fuit. Vide Chriſtoph. *Arnoldum* de Teſtimonio flauiano 56. 236. 386. Quid autem ſingulas Talmudis partes & libros indicare cunctamur?

Miſchna dividitur in VI. סדרים ſeu Ordines vel Partes, & quivis ordo certas habet מסכות ſeu Tractatus. Hæc omnia quaſi in tabella exhibere lubet.

Digitized by Google

I. Ordo ſeminum. סדר זרעים
מ" ברכות tractatus de benedictionibus. p. 1. — Cum notis *Guiſii* & *Surenhuſii.*
פאה de angulo. 37.
דמאי de re dubia. 76.
כלאים de heterogeneis. 109.
שביעית de iure anni ſeptimi. 155.
תרומת de primitiis. 200.
מעשרות de decimis. 245. — Cum notis *Surenhuſii.*
מעשר שני de decimis ſecundis. 263.
חלה de placenta ſeparanda. 289.
ערלה de arborum præputiis. 306.
בכורים de primitivis fructibus. 320.
II. Ordo feſtorum. סדר מועד
מ" שבת de ſabbatho. 1.
עירובין de commiſtionibus termini ſabbathici. 78.
פסחים de paſchate. 134.
שקלים de ſiclis 176. cum notis *Surenhuſii.*
יומא de die expiationis. 206. cum notis *Sheringaml,*
סוכא de tabernaculis. 259.
ביצה de diebus feſtis. 282.
ראש השנה de principio anni. 302. cum notis *Houtingii,*
תענית de ieiuniis. 355. cum notis *Lundii.*
מגילה de volumine Eſteris. 387. cum notis *Surenhuſii,*
מועד קטן de feſto parvo. 403.
חגיגה de ſacris ſolemnibus. 413.
III. Ordo de re uxoria. סדר נשים
יבמות de levirorum in fratrias officiis. 1. — Cum notis *Surenhuſii.*
כתובות de dote litteriſque matrimonialibus. 56.
נדרים de votis. 104.
נזיר de Naziræis. 146.
סוטה de uxore adulterii ſuſpecta. 178. cum notis *Wagenſeilii.*
גיטין de divortiis. 322. cum notis *Surenhuſii.*
קידושין de ſponſalibus. 359.
IV. Ordo damnorum. סדר נזיקין
בבא קמא codex primus de damnis. p. 1. cum notis *L' Empereur.*
בבא מציעא codex ſecundus de damnis. 107.
בבא בתרא codex tertius de damnis. 157.

סנהדרין de ſynedriis. 207. cum notis *Cocceii*,
מכות de pœnis. 269. cum *eiusdem* notis.
שבועות de iure iurando. 292.
עדיות de controverſiarum teſtificationibus. 312.
עבודה זרה de cultu peregrino. 364. ex verſione & cum paraphraſi *Peringeri*.
פרקי אבות Capitula patrum. 409. cum notis *Leusdenii* & *Fagii*,
הוריות de iudicum documentis. 492.

V. Ordo ſacrorum. סדר קדשים

זבחים de ſacrificiis. 1.
מנחות de muneribus. 65.
חולין de profanis. 115.
בכורות de primogenitis. 155.
ערכין de rerum votarum æſtimationibus. 192.
תמורה de ſacrificiorum commutatione. 218.
כריתות de pœnis excidii. 236.
מעילה de prævaricatione. 266.
תמיד de ſacrificio iugi. 284. cum notis Mich. *Arnoldi*,
מדות de menſuris templi. 327. cum notis *L' Empereur*.
קינים de avium pullis. 383.

VI. Ordo puritatum. סדר טהרות

כלים de vaſis. 15.
אהלות de tentoriis. 146.
נגעים de plagis lepræ. 213.
פרה de vacca rufa. 269.
טהרות de puritatibus. 313.
מקואות de lavacris. 356.
נדה de fluxu menſtruo. 389.
מכשירין de liquidis ad pollutionem diſponentibus. 427.
זבים de gonorrhœa. 450.
טבול יום de lotione diurna. 469.
ידים de lotione manuum. 480.
עוקצים de fructuum petiolis. 492.

Neque ſilentio nobis ſunt involvendæ huius operis tabulæ, quibus memorabilia repræſentantur, videlicet in Parte I. Capitis manusque phylacteria, & Mezuza. pag. 9. Dona pauperum e ſegete, manipulis, & vinea. 44. Seminum olerumque heterogenea. p. 121.

Digitized by Google

p. 121. Olerum ſemina intra vineta ſata: Vitium plantatio: Pergulæ vineæ. 129. P. II. Terminus ſabbaticus. 88. Opera circa vaſa, & ædificiorum podia in ſabbatho obſervanda. 17. Rariſſima tabernacula: Altare holocauſti: Candelabrum aureum, cum Templo. 260. P. III. Moneta hieroſolymitana, & Abrahami. 238. Nummi Chriſti. 239. Calceus, qui extractus leviro, officium leviratus recuſanti. 261. Benedictio ſacerdotalis. 264. Coronæ ſponſarum. 306. Chriſtus docens, circumſtantibus diſcipulis. 316. Libellus repudii. 325. P. V. Templum hieroſolymitanum. 322.

Miſchnæ huius compendium dedit Chriſtianus *Reineccius*, hoc titulo: Iudæorum Talmud latine verſum, ex recenſione Surenhuſii, cum brevioribus annotationibus ex prolixis commentariis Iudæorum congeſtis, cura & ſtudio M. Chriſt. *Reineccii*, Lipſiæ 1704. 8. R. *Eliſcha* Miſchna, Amſtelodami 1697. 12. recenſetur in T. III. *Supplem.* Actor. erudit. 239. ſicut Miſchna hieroſolymitana cum notis R. *Eliæ*, Amſtelodami 1710. f. in *Relat. innoc.* A. 1713. pag. 611. Biccorim, Chagiga & Horaioth prodierunt etiam cum verſione latina & annotationibus Chriſtiani *Ludovici* A. 1712. G. Eliez. *Edzardus* dedit Miſchnam & Gemaram cod. Berachot, cum textu rabbinico & verſione latina, quæ idem præſtat, ac bona quædam interpretatio. *Innoc. relat.* A. 1713. 989. Chriſtiani, ut legitur in *Scaligeranis* p. 384. terribilier caſtrarunt Talmudem. Talis eſt editio baſileenſis, a qua iudæi abhorrent. Fuerat Venetiis editum, ſed combuſtum ab Inquiſitoribus. Miſchna eſt δευτερωσις, uti ab *Epiphanio* & *Hieronymo* appellatur, ſeu ſecundaria traditio, quo nomine eam vocat IVSTINIANVS Imperator, liber traditionum vel legis ſecundæ, oraliter traditæ, ſecundariæ poſt divinum canonem (verba ſunt *Placcii* de Anon. 708) auctoritatis, cuius pleraque a ſapientibus inde usque a Moſe oraliter tradita primus in ordinem digeſſit R. *Iehuda* ſanctus ſeculo a nato Chriſto ſecundo. A. 1705. edita eſt Hamburgi מסכות ידים cum Maimonidis & Obadiæ de Bartenora, excerptisque e commentario Iom tob ex verſione & cum notis Mart. Iac. *Ovvanni*, in quibus Surenhuſii editio ſubinde caſtigatur. Pauca etiam nos hic annotabimus corrigenda.

P. II. in Præfat. p. ult. lin. 27. *Benedicti* Carpzovii.	*Io. Bened.* Carpzovii.

Negat

P. V. 315. Sacri cubiti *duplo reliquis erant maiores.*	Negat *Lundius* in Iüd. Heiligth. 258.
378. lin. 27. a Conclave פרהדרין *olim dicebatur* Conclave loci lapidum.	Negat *Sheringam*, quia Conclave loci lapidum non fuit conclave ſacerdotis magni, ſed *ſacerdotis, qui vaccam rufam comburebat.* In Annotat. ad Ioma, P. II. huius Miſchnæ p. 206.

Ante, quam finem faciamus, videtur e re eſſe, ut dicatur, quid de Miſchna & ſtudio talmudico ſit iudicandum. Sunt enim quidam imperiti & ſuperſtitioſi, qui talmudicum ſtudium non tantum ipſi improbant, atque averſantur, ſed & alios inde dehortantur ac revocant, putantes, Miſchnam plenam eſſe fabularum & blaſphemiarum. Sed ſalva res eſt, & æquiora iudicia ferunt viri nec impii, nec ineruditi, nec iudicii acumine carentes, Io. *Buxtorfius* in Grammat. chald. ſyr. p. 402. & dedicat. Lexici maioris, Lud. *Cappellus* præf. in Spicil. (tom. I. Crit. ſacr. in N. T. f. 4.) I. *Druſius* præf. in Proverb. Ben-Siræ, (Crit. ſacr. T. VI. 1869) *Cartvvright* præf. in Not. in Gen. 2. (tom. I. Supplem. Crit. ſacr.) *Coccetus* præfat. in Comment. in Sanhedrin, *Hackſpanius* ad Lipmann. 423. Henr. *Mühlius* in Apol. talmud. (T. I. Supplem. Actor. erudit. 320.) *Odhelius* Synag. bifr. 15. 35. 38. 41. 44. *Van Bashuyſen* de Vſu talmud. in re chriſt. *Buddeus* Introd. ad Hiſtor. philoſ. Ebræor. 103. & I. C. *Wagenſeil* præfat. in Sotam 2. item in Infundibulo, p. 128. cuius poſteriore in loco verba, quæ etiam leguntur in *Placcii* libro de Anon. p. 708. merentur hic adſcribi: De Miſchna, inquit ille, Talmudis textu, iterum hoc dico, iterumque, *nullam ei ineſſe blaſphemiam, nullas valde ridiculas nugas,* immo, quæ mea hæreſis eſt, *poſt ſacras literas prafero eam, modo aliquo, quotquot in orbe extant, libris omnibus,* nempe quia nec alius ad vet. & novi fœderis tabulas, quatenus ritualia, & ea, quæ ad iudaicam antiquitatem attinent, iis inſunt, illuſtrandas magis confert. Et *Surenhuſius* in Præfat. ad I. Partem huius Miſchnæ * * ait, *eum, qui optimus & vere dignus Chriſti diſcipulus haberi velit, prius fieri iudaum oportere,* ſiue, ut iudæi linguam eiusque cultum intime pernoſcat, ante Moſis diſcipulum fieri debere, quam ſe ad Apoſtolos audiendos adiungat, *ut ſic a Moſe usque ad Prophetas oſtendere valeat, Ieſum eſſe Chriſtum.*

Moſes Maimonides, ſiue Maimonis filius, cordubenſis, a loco commorationis Ægyptius dictus, philologus, philoſophus, medicus, (fuit enim regis ægyptii SALADINI archiater) ICtus & theologus, ſcripſit יד חזקה Manum fortem, quæ eſt compendium pandectarum talmudicarum, cuiusque latinam verſionem promiſerunt *Veiel*, *Van Basbuyſen*, *Surenhuſius*, & *Ockelius*, מורה נבוכים Directorem ſiue Doctorem perplexorum, ספר המצות Librum præceptorum, i. e. expoſitionem præceptorum tam affirmantium, quam negantium, Epiſtolas, ס׳ היגיון Logicam, הנהגת הבריאות de tuenda valetudine, Aphoriſmos medicinales שלש עשרה עקרים XIII. Articulos fidei, & alia, de quibus videatur I. C. *Wolfii* Biblioth. hebr. p. 839. & ſeqq. obiitque, ut aiunt, in Ægypto A. 4965. Chriſti 1205. Magnis elogiis celebratur non tantum a iudæis, quibus Doctor fidelis, Aquila magna, Lumen magnum, Sapiens, Perfectus, Gloria orientis & lux occidentis, verum etiam a chriſtianis, *Pocokio*, *Buxtorfio*, *Blount*, *Geiero*, *Carpzovio*, *Skinnero*, quorum loca allegat CL. Wolfius p. 835. immo *a Moſe* (propheta, & ſervo Dei) *ad Moſen* (aegyptium hunc) *non extitiſſe huic Moſi ſimilem*, adfirmant iudæi; ſicut *Scaligero* lib. I. ep. 62. *Caſaubono* ad Baronii Annales Exercit. XVI. p. 538. & P. *Cunaeo* l. 1. de Rep. hebr. p. 11. primus viſus eſt inter iudæos nugari deſiiſſe. Quod elogium, quo ſenſu accipiendum ſit, oſtendit *Wagenſeil* in præfat. ad Sota p. 2. ſunt iterum *Wolfii* verba p. 836. Quibus addi poſſunt *König* 496. *Magirus* 606. *Buxtorf.* de Abbreviat. 186. *Selden.* de DIs ſyris 281. *Dilherr.* Diſpp. T. I. 156. Aug. *Pfeiffer* diſſert. de cognom. Ioſephi aegyptii §. 15. *Peringer* in Annot. ad Maimonid. de Officio Meſſiæ p. 1. Adverſarium tamen expertus eſt R. *Niſſim*, filium Rubenis.

ר׳ עובדיה מברטנורה R. *Obadias* ex Bartenora, Italiæ in Romaniola urbe, quæ hodie Bertinoro vocatur, Commentarios ſuos, quos in Italia auſpicatus fuerat, abſolvit in Palæſtina: elaboravit etiam Commentarium in Ruth, mortuus in terra ſancta A. 5290. Chriſti 1530. Vide *Wolfii* Biblioth. hebr. 938. *König* 88. & T. I. *Supplem.* Actor. erudit. 363. Bartenoræ Commentarius in *Miſchnam* cum R. Iom tobh *Lipmanni* Commentario Amſtelodami excuſus eſt A. 1685. iique recenſentur in T. I. *Supplem.* Actor. erud. 363.

Guil. *Guiſius*, britannus, propoſuerat ſibi vertere, & notis ſuis illuſtrare totam Miſchnam, ſed optimis conatibus immortuus, non niſi Ordinis primi titulos VII. usque ad 3. caput tractatus de Decimis abſolvere potuit, qui recenſentur in *Actis erud.* A. 1691. 251. quorum *Coll. Aora* eum vocant virum doctiſſimum, & oxon. acad. æternum decus; & *Surenhuſius* in præfat. in P. I. Miſchnæ 4. clariſſimum, & fere in omnium linguarum dialectis verſatiſſimum. Ed. *Bernardus* in eius præmaturum & luctuoſiſſimum obitum collegit teſtimonia eruditorum. Vide etiam ſis I. H. *Othonem*, Lauſannæ apud Helvetios profeſſorem, in præfat. ad tract. de Siclis. Nimis autem inſolenter atque ambitioſe contra Maimonidem & Bartenoram laudatus inſurgit Guiſius, ſcribens, eos nugas agere, quoties ritum aliquem explicant: (quod quidem iuvenili eius & præcalido ingenio tribuendum, atque ignoſcendum. *Surenhuſ.* l. c. ** 3) ſtilumque habet laconicum, ſublimem, politum, ſenſumque res magis, quam verba exprimentem. Præcipuus notarum guiſianarum uſus in eum eſt redundaturus, qui Buxtorfii Lexicon talmudicum auctius atque emendatius reddere voluerit.

Rob. *Sheringam*, cantabrigienſis, commentarium ſuum in Ioma ſeu de die expiationis, in quo, ut *Surenhuſius* in præfat. ad Partem II. Miſchnæ ſcribit, non ſolum res hebrææ ex aliis ſcriptoribus hebraicis, ſed etiam e græcis atque latinis ſatis ingenioſe pertractantur, edidit Londini A. 1648. 4. Laudat & hoc in eo *Surenhuſius*, quod, etiamſi in viros doctos nimis acriter invehatur, genuinum tamen antiquitatis ſenſum pro modulo ſuo expiſcari conetur. *Seldenus* contra eum ſe purgat l. 3. de Synedr. c. 11. p. 82. *Wagenſeilius* in Sotam p. 363. vocat virum præſtantiſſimum.

Henr. *Houtingius*, amſtelodamenſis, vir ornatiſſimus, tractatum de Initio novi anni Excerptis gemaricis, locis parallelis e Maimonidis Iad chaſaka, atque aliis ex optimis ſcriptoribus ſelectis commentariis doctiſſime explanavit, e quibus non tantum huius, ſed & ceterorum codicum materiæ non exigua lux affunditur, verba ſunt *Surenhuſii* l. c.

Dan. *Lundius*, ſuecus, Miſchnæ ſententiam, *Surenhuſii* l. c. iudicio, quam clariſſime expreſſit, cum non verbum verbo reddidit, ſed ad omnem lectori difficultatem adimendam ſubinde orationem ſuam aliquantulum adauxit, ita ut non tam nuda verſio, quam paraphraſis habenda ſit.

Digitized by Google

Io. Chriſtoph. *Wagenſeil*, noribergenſis, Holmia redux primum ſtudioſus theologiæ, deinde illuſtrium iuvenum informator, & in itinere per Germaniam, Bataviam, Angliam, Galliam, in qua V. I. Doctoris inſignia & privilegia impetravit, Hiſpaniam & Italiam comes, poſtea Iuris publ. & oriental. linguarum, ac tandem etiam Iuris canonici in academia altorfina profeſſor, ad hæc a Taurineſibus in Incultorum, & a Patavinis in Recuperatorum ſocietatem aſſumtus, atque ex commendatione Io. Capellani, & favore Io. Bapt. Colberti, a LVDOVICO Magno ter repetita vice ampliſſimo congiario mactatus, vir pius, probus, integer, gravis iuxta ac humanus, civilis, circumſpectus, diſertus, nec præceps ſive in ſermone, ſive in ſcribendo, ſtiloque uſus non humili & abiecto, ſed grandiori & ſatis elegante, obiit A. 1705. æt. 72. Multis variisque ſcriptis, inter quæ non ultimum Pera iuvenil. libror. clarus eſt: nos autem ea hic non commemorabimus, quia inferius de iis dicendi dabitur occaſio. Laudes & elogia eius cum alibi reperire licet, tum vero etiam apud *Bæclerum* præfat. in Comment. in Grotii I. B. ac P. 21. *Conringium* de Nummis ebr. 173. item in præfat.):(2. *Daumium* Epp. P. I. 16. *Marhof.* Polyh. T. III. lib. 6. ſect. 2. num. 1. *Bynaeum* de Natiuit. Chriſti 517. *Peringerum* præfat. in Avoda ſara, I. *Clericum* in Num. 5, 12. *Werlhofium* in epiſt. ad H. D. Meibomium):(3. Io. Mich. *Langium* diſp. de Alcor. edit. amb. §. 16. *Surenhuſium* præf. in P. III. Miſchnæ **** 2. *Maium* Obſervat. ſacr. I. 1. p. 2. & in *Programm.* quo magnificus acad. altorfinæ Rector ad funus eius ornandum cives academicos invitavit.

Conſtantinus L' *Empereur* ab Oppyck, bremenſis, theol. D. & S. linguæ in academia Lugduno-batava profeſſor, reliquit Clavem talmudicam; & a *Bocharto* in Phaleg vocatur vir doctus inter paucos, cuique hebrææ litteræ plurimum debent, atque ab *Oſtermanno* in Poſition. philolog. diſp. 2. §. 2. orientis callentiſſimus vir.

Io. *Coccejus*, antea *Koch* dictus, bremenſis, primum in academia patria philologiæ ſacræ, deinde ebrææ linguæ, poſtea in franekerana, ac tandem leidenſi, etiam theologiæ profeſſor, obiit ultimo iſto in loco A. 1669. ætat. 66. Omnia eius opera, quæ recenſentur in T. I. *Supplem.* Act. erud. 319. & *Clerici* Biblioth. choiſ. T. XII. 401. Amſtelodami iunctim edita ſunt A. 1675. IIX. tomis in fol. & Francofurti ad Mœnum A. 1689. Magnam in exegeſi

SS.

SS. litterarum gloriam adeptus eſt; ſed & multorum ab aliis errorum accuſatur, ac diſcipuli eius dicuntur *Hypothetici*, a ſpecialiſſimis hypotheſibus, quas ad totam Scripturam aptare voluit eorum doctor. *Micrel.* Syntagm. hiſt. eccl. 1257. C. *Sagittar.* Introd. in Hiſt. eccl. 926. *Mayer* Biblioth. bibl. 119. G. *Arnold.* Hiſt. eccl. & hæret. P. II. 530. Adverſarii eius erant *Hulſius*, Irenæus *Philalethius*, *Mareſius*, *Spanhemius*, Gisb. *Voetius*, *Eſſenius*, *Ryſſenius*; *Leideckerus*, Fran. *Ridderus*, & plures alii; ab ipſius autem partibus ſtabant *Wittichius*, *Claubergius*, *Burmannus*, *Hundius*, *Momma*, *Grœnevvegen*, Abr. *Heidanus*, *Gulichius*, Io. *van der Wayen*, G. *Bodaanus*: diuque viguit certamen inter Cocceianos & Voetianos, donec hi, fauore decreti illuſtrium academiæ leidenſis Curatorum, A. 1673. prævalerent. De quo iterum legi poteſt G. *Arnoldus* l. c. & *Benthem* de Statu eccl. & ſchol. batav. P. II. c. 3. Et quamvis multa ipſe geſſerit bella non tantum adverſus prædictos hoſtes ſuos, ſed etiam contra Grotium, Maſenium, Walenburchios, & Socinianos, tamen a litibus, contentionibus & controverſiis tandem alienus erat, easque eccleſiæ inutiles, ſtudium biblicum autem longe utilius eſſe iudicabat. Chriſtum in cunctis V. Ti libris, omnimque partibus quærebat, & aliis, qui eum ibi videre non poterant, monſtrare conabatur. Sixtinus *Amama*, cuius erat diſcipulus, valde eum laudavit Mart. *Martinio*, excitatum divinitus ſtatuens ad provehenda altius linguarum orientalium ſtudia, & reſeranda nobis iudæorum ſacraria: nullum enim chriſtianorum tantum in talmudicis unquam præſtitiſſe, quantum ille in eruditiſſimo; & de quo non niſi eruditiſſimi iudicaturi ſint, ſcripto, ſeu verſione & illuſtratione tractatuum Sanhedrin & Maccoth. Simili eum encomio idem ornat in diſſert. de nomine יהוה p. 307. Antibarbari biblici. Adde L' *Empereur* in Annot. ad Kimchi ὁδηγὸς. p. 61. qui eum vocat virum nunquam ſatis laudandum; *Antillon* Mel. crit. P. II. 233. *Spener* Rettung der gerecht. Sache 25. *Wittich* in Append. Theol. pacif. 268. Doroth. *Sicurum*, (ſub cuius larva creditur latere Crenius,) de Prudent. theol. 47. Tom. I. *Supplem.* Actor. erud. 319. & Io. Bened. *Carpzovium* Theol. exeget. 9.

Guſtavus *Peringer*, Strengna ſuecus, linguar. oriental. in acad. upſalienſi profeſſor, poſtea nobilis a Lilienblat & Secret. ac Cenſor libror. regius, edidit concionem laudibus ac elogiis nobiliorum in orbe eoo

Google

idiomatum dictam, Diſſertationem de Meſſia iudaico, eiusque Epiſtola de Karraitis Lituaniæ ad Iob. Ludolfum A. 1691. ſcripta, cum obſervationibus, exhibetur a *Tenzelio* in Dialogis menſtruis A. 1691. p. 572. ſicut libri Iuchaſin & Bibliothecæ rabbinicæ R. Schabthai ben Ioſeph verſio magno deſiderio ab eodem adhuc exſpectatur. *Holmia literata* 24. Io. *Moller* in Hypomnem. ad Morhofii Polyhiſt. lib. 4. p. 391. & in Hypomnem. ad *Schefferum* de Script. & ſcriptor. ſuec. 440. Bücher-Saal T. I. 694.

Io. *Leusdenius*, traiectinus, philoſophiæ doctor, & linguar. orientalium atque antiqq. hebr. per L. annos in acad. patria profeſſor, perſpicuitati ac brevitati ſtudens, comis & affabilis, apertus & candidus, a beneficentia erga Hungaros & Tranſylvanos *Hungarorum pater* dictus, in reprehendendis ſtudioſorum vitiis haud ſegnis aut mutus, cetera amoeniſſimi vir ingenii, edidit Ionam illuſtratum, Philologum hebræum, hebræo-græcum, hebræo-mixtum, & multa alia, quæ memorantur in G. H. *Gœzii* Elogiis philolog. hebr. p. 63. & obiit A. 1699. æt. 75. Mortuo parentavit Gerh. *de Vries*, cuius oratio ibidem legitur. Vide etiam I. Bened. *Carpzov.* in Theol. exeget. p. 68. ubi de eius Philol. hebr. & græco dicit, eſſe quidem librum non adeo accuratum, interim tamen breviter omnia illa pertractare, quæ ad noſcendas vocum & phraſium ſignificationes, emphaſes & conſtructiones ſpectant, & illi, qui non ex profeſſo hæc tractare cupit, ſufficere poſſe. Simile de eo iudicium fert *Benthemius* in Stat. eccleſ. & ſchol. holland. P. II. 454. nec eſt, quod ægre ferat Rich. *Simonius* in Hiſt. crit. V. T. l. 3. c. 20. Leusdenium ſolas Buxtorfiorum reſponſiones quæſtionibus variis, quas movet, adhibere ſolere.

Mich. *Arnoldi* S. theol. D. & Leovardiæ verbi divini miniſter, tractatum Tamid ſeu de ſacrificio iugi perſpicuis, uti *Surenhuſius* præfat. in V. Miſchnæ partem teſtatur, notis illuſtravit.

Guil. *Surenhuſius*, anno 1703. vix quadrageſimum agens annum; nunc autem profeſſor ebrææ & græcæ linguæ in gymnaſio amſtelodamenſi, de Miſchna immortaliter meritus eſt, præſtititque id, quod dudum exoptabant eruditi, quodque *Guiſius*, &, ſi C. Arnoldi narrationi in Teſtimon. flaviano p. 162. credendum, *Borelii filius*, a iudæo quodam converſo adiutus, magno conatu adgredie-

diebantur, ſed fatorum vi perficere non poterant; cuique pares iudicati ſunt *Wagenſeilius*, Pet. *Allixius*, & *Peringerus*; ut integram nobis Miſchnam darent latinam, cum ſuis aliorumque præſtantiſſimorum virorum commentariis, dignus profecto, qui laudibus extollatur, cuique multæ & prolixæ a Rep. litteraria agantur gratiæ, ſicut factum ab eximiis eius interpretibus in *Actis erud.* A. 1700. 127. A. 1701. 203. A. 1702. 465. A. 1703. 109. & A. 1704. 392. Si quæ autem uni & item alteri in præclaro hoc opere videntur corrigenda, ea modeſte & amice in medium proferant, non autem virum optime meritum clam ſugillent, contemnant, & exoſum reddant. Si tanti harum literarum heröes ſunt, agedum, meliora cum orbe erudito communicent, & magnam apud eum, immo auſim dicere, apud ipſum etiam præclarum Surenhuſium gratiam inibunt. Hoc fortaſſis duntaxat dolendum, quod Commentatorum præfationes, inter quas eſt gravis & nobilis illa *Wagenſeilii*, & elegantiores epp. dedicatorias non addiderit. Nihil amplius ſupereſt, quam ut eorum operum, quæ ſibi adornanda propoſuit laudatus auctor, quæque ipſe in præfat. in P. I. ** 2. & 3. nec non in præf. in P. VI. indicat, mentionem faciamus. Nimirum promittit libri *Iad Chaſaka* verſionem latinam, & *Appendicem* operis miſchnici, doctiſſimorum aliquot virorum MSSta continentem. Cui propoſito æque, ut priori, faveat Deus, ter optimus, maximus.

L.

Iac. FABRI ſtapulenſis Quintuplex pſalterium, videlicet gallicum, romanum, hebræum, vetus, conciliatum. Pariſiis 1513. Recuſum fuit A. 1515. prius autem editum fuerat A. 1508. *Gallicum* vocat, quod eo eccleſia gallica, h. e. ciſalpina uteretur: *Romanum*, quod Romæ emendatum ab Hieronymo, in eccleſia caneretur romana, id eſt, Gallia tranſalpina: *Hebraicum*, quod ex hebræo ad Sophronii preces in latinam transfuſum eſſet linguam: *Vetus*, quod eo ante editiones ab Hieronymo emendatas uterentur eccleſiæ: *Conciliatum*, quod pauca addat vel mutet ad gallicum, quo magis veritati & hebraico concordet pſalterio. R. *Simon* Biblioth. choiſ. P. I. 50. In epiſt. dedicator. prædicat *Faber* præſtantiam & utilitatem ſtudii biblici, & exponit propoſitum interpretationis ſuæ, quod ſit, oſtendere, pſalmos ad litteram agere de Chriſto, nixus hoc fundamen-

mento, quod quædam ex pſalmis allegentur in N. T. de Chriſto. Alii autem diſtinguunt inter ſenſum litteralem & myſticum.

EIVSDEM Annotationes in Epiſtolas paulinas, cum verſione vulgata, & altera iuxta fontem græcum. Lutetiæ Pariſ. 1512. Hic liber in membrana expreſſus, extat in Bibliotheca regia pariſienſi. Ego hoc volumen habeo ex bibliotheca G. *Calixti*, qui ad p. 80. b adſcripſit: *Videtur negare peccatum originis.* Et ad p. 126. *Adſtruit ubiquitatem corporis Chriſti.* Sane huius dogmatis primus illi videtur eſſe auctor.

LI.

Emman. SA Notationes in totam Scripturam ſacram. Lugduni 1651. Impreſſæ etiam ſunt Antverpiæ, Coloniæ, Pariſiis, præterea quoque inſertæ Bibliis magnis & maximis Ioannis *de la Haye*. Iis omnia fere loca difficilia, ſicut in titulo dicitur, breviſſime explicantur, variæque ex hebræo, chaldæo, & græco lectiones indicantur. Præmittuntur 1) Dedicatio ad dominum Ieſum. 2) Præfatiuncula ad lectorem, qua dicit, neſcire ſe, an operæ pretium fecerit colligendis hiſce Notationibus; id autem ſcire, uoluiſſe plurimorum utilitati conſulere; quod an aſſecutus ſit, cenſere debere doctiores. 3) Notationum harum commoda enumerantur, quod 1. Scriptura breviſſime ſecundum ſenſum litteralem in iis explicata. 2. variæ lectiones ex hebræo, chaldæo, & græco allatæ. 3. quod poſſint excudi in ſeparato libello, ſine verbis Scripturæ. 4. quod poſſint cum Bibliis imprimi, ad modum Notarum *Vatabli*. 5. additas eſſe omnium phraſium, quibus editio vulgata utitur, explicationes. & 6. duplicem indicem.

Gen. 3, 15. p. 2. Not. quod *quædam hebr. habent* היא vel הוא, *Ipſa*; & quidem multi antiqui legunt *ipſa*, ut *Chryſoſt. Auguſtinus, Ambroſius.*

Nullum exemplar ebræum ſic habet, & in codicibus Patrum græcis & latinis amanuenſium errori tribuendum eſt, ſi legigitur *ipſa*. Rich. *Simon* Hiſt. crit. V. T. l. 3. c. 11. p. 416.

Emmanuel *Saa*, qui brevitatis cauſſa ſe ſe ſcribebat Manuelem *Sa*, natus Condeæ in Portugallia, Soc. Ieſu, docuit Gandavi, Conimbriæ & Romæ, ſibique nomen acquiſivit præclari concionatoris & ſcripturæ interpretis. A papa PIO V. ad correctionem

novæ

novæ editionis Vulgatæ adhibitus, poſtea vero Aronam, quæ urbs eſt diœceſeos mediolanenſis, miſſus eſt, ut ibi poſt exantlatos multos magnosque labores quiete frueretur, quam mors ei convertit in requiem æternam A. 1596. cum eſſet ſeptuagenario maior. Scripſit etiam Scholia in IV. euangeliſtas, ex ſelectis veterum Patrum ſententiis collecta, nec non Aphoriſmos confeſſionariorum; quibus ſi minus malo animo, per imprudentiam inſeruit quædam Principibus nimis periculoſa, (verba ſunt *Caſauboni* in ep. 624.ta ad Front. Ducæum p. 732.) & proinde bonis omnibus deteſtanda; quæ tamen in poſtremis editionibus Lutetiæ fuerunt ſublata. Io. Frid. *Mayer* in Biblioth. bibl. p. 70. ſcribit, Emmanuelem noſtrum merito ſuo non accurati minus iudicii virum, quam magnæ eruditionis audire *Tannero* Theol. ſcholaſt. T. IV. fol. 44. atque Annotationes eius, quantumvis breues, utiliter conſuli, quia paucis dicant, quæ vix pluribus verbis doceant ceteri. Quod encomium tolerabilius eſt altero illo Io. *Moreti*, qui in dedicatione Scholiorum in IV. euangeliſtas eum vocat ſummum ſacrarum litterarum doctorem. At vero Rich. *Simon* l. c. pro candore ſuo ſic iudicat, methodum quidem eius eſſe optimam, quia non ſcrutetur niſi ſenſum litteralem, ſed non videri habuiſſe eas dotes, quæ ſint neceſſariæ ad faciendum exactum diſcrimen meliorum interpretationum. Ceterum de eo videatur *Königius*. *Lexic. univ. hiſt.* T. IV. 320. & *Cren.* Methodor. T. I. 294. qui ei præfert Libertum *Fromondum*, auctorem commentar. in epp. paulinas & canonicas.

Cornelii IANSENII Paraphraſis in pſalmos, atque in ea V. T. cantica, quæ per ſingulas ferias eccleſiaſticus uſus obſeruat: cum argumentis & annotationibus. EIVSDEM Commentaria in Proverbia Salomonis & Eccleſiaſticum. Lugduni 1586. Editio recognita, & auctior. In his omnibus, ut porro habet titulus, id agitur, ut ſublatis mendis, quæ in vulgatam irrepſerunt, genuina lectio retineatur, & ut ex collatione, cum originalibus hebræis & græcis facta, ſenſus habeatur, qui illis conueniat, aut proxime accedat. In quo is (ſic ibidem additur a iudice non imperito) ita ad verum ſenſum collineavit, ut ceteris fere omnibus, qui in eodem argumento elaborarunt, palmam præripuerit. In epiſtola dedicatoria ad Præpoſitum, Decanum, totumque Capitulum eccleſiæ cathedralis gandauenſis, quæ ut graviſſimum ſcriptum lectu di-

Digitized by Google

gniſſima eſt, refert originem lucubrationum ſuarum in Pſalmos, atque erudite diſſerit de diſcrimine ſenſus litteralis & myſtici, ac denique rationem aperit, cur paraphraſtica uſus ſit methodo. Nimirum cum in tongerlenſi monaſterio pſalmos davidicos religioſis enarraret, in ſuos ipſius uſus conſcripſit paraphraſes quasdam in omnes pſalmos, præmiſſis argumentis, & ſubiectis aliquibus annotationibus. Ne autem alii immaturos hos fœtus fortaſſis ederent, Lovanium reverſus, ibique plus otii nactus eosdem recognovit, alia addidit, & alia reſecuit, ut typis exprimi & publicari poſſent. Curæ ipſi eſt, ante omnia tradere ſenſum litteralem, deinde autem, ſi res ita fert, & præcipue, ſi in N. Tto accommodatio fit ad Chriſtum, inſinuare etiam myſticum: atque hoc qui faciunt, minime cenſendos ait iudaizare, iudæos enim literalem tantum, & unicam carnalem ſcripturæ intelligentiam noſſe; errare igitur e chriſtianis eos, qui exiſtiment, omnes illos pſalmos, ex quibus in N. T.to aliqua citantur dicta, atque ad Chriſtum transferuntur, in primo & litterali ſenſu de Chriſto intelligendos eſſe. Quod utinam omnes ſcripturæ interpretes probe obſervarent, atque ad uſum transferrent; tum vero & ipſi maiorem verbi divini lucem nanciſcerentur, atque aliis poſſent affundere, & minus in Domini eccleſiis eſſet litium, minusque tenebrarum. Paraphraſtica autem uſus eſt expoſitione, non tantum ad exemplum aliorum magnorum virorum, ſed ideo potiſſimum, quod talis enarratio & brevior eſt & iucundior, atque ita etiam gratior, ingeniisque excitandis convenientior. In dedicatione Commentarii in Proverbia Salomonis repetit ante dicta de diſcrimine ſenſus litteralis & myſtici obſervando, atque oſtendit, magnam differentiam eſſe inter ſapientium virorum & divini Salomonis graves breveſque ſententias, adeoque haſce tanto maiori in pretio habendas, quanto cœleſtia & divina præſtantiora ſint, quam terrena & humana, ex ſolo lumine naturæ dependentia. In utraque autem dedicatione ſic vindicat honorem vulgatæ editionis ſeu verſionis, ut originalibus linguis nihil de pretio & præeminentia ſua detrahat. Quod ſane viri eruditi & æqui certum eſt iudicium. Commentarios hoſce *Sixtus* ſenenſ. Biblioth. S. lib. IV. 277. vocat doctiſſimos; & Ant. Poſſevinus l. 2. Biblioth. ſel. c. 18. pronunciat, Ianſenium in omnibus, quæ ſcripſit, præſertim in Concordiam

euan-

euangelicam & in Proverbia, ſe magno valentem iudicio & eruditum oſtendere.

Corn. *Ianſenius*, natus hulſtano in oppido Flandrorum, trium linguarum, videl. latinæ, græcæ, & ebraicæ cognitione celebris, theol. D. & decanus louanienſis, miſſus ad Concilium tridentinum, & demum epiſcopus gandauenſis, isque primus, diſtinguendus a cognomini, qui fuit leerdamenſis batavus, & epiſcopus iprenſis, unde Ianſeniſtæ nomen ſuum habent, obiit A. 1576. *Miraus* Elog. belg. 9. *Svvertius* p. 188. *Moller* de Homon. 685. G. *Calixto* Prolegom. in Concord. euangel. p. 6. audit ſcriptor non minus eruditus, quam modeſtus: *Caſaubono* Exercit. XVI. n. XXIV. p. 436. eruditiſſimus: R. *Simonio* Hiſt. crit. N. T. part. III. 596. non tantum theologus, ſed etiam grammaticus & criticus. Quod tamen ad linguam attinet ebræam, eius non videtur, uti *Simonius* p. 98. iudicat, exactam habuiſſe notitiam. Mittimus autem illos, qui Ianſenii libros expurgandos eſſe ceſſent ob lutheraniſmi periculum. *Cren.* Exercit. 1. de libris ſcriptor. opt. 15. *Lexic.* univerſ. hiſtor. T. III. 171.

LII.

Io. VICCARS Decupla in pſalmos. Londini 1655. Prior editio lucem viderat A. 1639. In hisce Decuplis ſiue decaglottis commentariis fit collatio Commentariorum ex X. linguis, videlicet ebræa, arabica, ſyriaca, chaldaica, rabbinica, græca, latina, italica, hiſpanica, gallica. Datur etiam ſpecimen linguæ cophticæ, perſicæ & anglicanæ, in XII. ſectionibus, & in fine index rerum memorabilium, & vocum hebr. rabbin. arab. & ſyriacarum, ſecundum ordinem pſalmorum. In præfatione agit de variis codicibus aut editionibus verſionum vel expoſitionum in prædictis linguis, aitque, verſionem cudere eſſe onus unius impar humeris: *Cainanem* (Luc. 3, 37.) non fuiſſe in mundo, ſed in vulgari Græcorum verſione; idemque dici poſſe de *Abrahamo* & 75. *animabus*, (Act. 7, 16. 14.) aliisque N. T.ti locis; in vaticana bibliotheca eſſe 2. MSS. codices legis antiquiſſimos ſine punctis, & reſtare adhuc huius operis tria volumina in V. T.tum, & duo alia in novum. Sed hæc lucem non viderunt.

Io. *Viccars*, anglus, miniſter eccleſiæ, vixit ſæc. XVII. & tria alia anglicani idiomatis ſcripta emiſit, quæ nominantur a Thoma

Digitized by Google

Heydeo in Catal. libror. biblioth. bodlei. P. II. 230. ipſeque a *Bocharto* Opp. P. I. 59. viris undecunque doctis annumeratur.

Corn. IANSENII in Concord. euang. Commentarius. Venetiis 1579. Quæ editio priore anni 1577. & auctior perhibetur & correctior. Recuſus vero ille eſt Lugduni A. 1582. 1684. Antverpiæ 1613. & Moguntiæ 1614. eſtque ex numero eorum ſcriptorum, quæ *Monoteſſara* vocantur, ubi ex IV. euangeliis una hiſtoriæ ſeries contexitur & illuſtratur. Et ſuam originem itidem habuit in tongerlenſi abbatia, e prælectionibus ad clericos ordinis Præmonſtratenſium habitis: cum enim auctor pſalmos, aliosque S. Scripturæ libros enarraſſet, euangeliorum explicationem aggreſſus eſt, atque in hunc finem quædam ex optimis commentariis ſibimet collegit, & cum auditoribus communicavit, quæ deinde expolita atque emendata librum præſentem formarunt. Laudatur a *Sixto* ſen. Bibl. S. l. 4. p. 277. *Baronio* ad A. 31. n. 3. *Poſſevino* Biblioth. ſel. l. 2. c. 18. *Miraeo* Elog. belg. p. 10. *auctore Monitor.* ſalut. B. Mariæ 35. R. *Simonio* P. III. Hiſt. crit. N. T. c. 41. qui tamen & corrigenda indicat, Mart. *Chemnitio* Prolegom. Harmon. euang. p. 16. & I. Mich. *Langio* in Diſſert. Clerici Harmoniæ euangelicæ præmiſſa, §. 13. Quibus adde *Blount* 684. *Bibliothecar.* n. p. addict. T. I. 379. & *Cren.* Animadu. P. IV. 218. & Diſſert. I. de furib. librar. 64. Denique notandum, Matthæum *a Caſtro*, inſulenſem, Concordiam hanc in compendium redegiſſe, idque prodiiſſe Antverpiæ 1593. 8.

Cap. II. p. 15. Nomen Ioannes, vel, ut dicerent Hebræi, Ieiohanna, vel *Ieiohannam*, (auctor ipſe ſcripſerit, *Ieiohannan*) componitur duabus ex dictionibus, nempe *ex nomine Dei tetragrammato, & verbo Chanan*, quod precari & miſereri ſignificat, vel nomine inde derivato, quod gratiam ſignificat & miſericordiam.

Hanc etymologiam, ut erroneam, & linguæ ebrææ, cuius exacta notitia Ianſenius non fuerit inſtructus, adverſam Rich. *Simon.* Hiſt. crit. N. T. part. III. c. 41. p. 598. reprehendit. Sed fruſtra: ſic enim & Matth. *Hillerus*, linguæ illius peritiſſimus, Onomaſt. ſacri p. 856. Iohannes, Ἰωάννης, hebr. *Iochanan*, id eſt, *Deus gratioſum ſe praeſtitit.* Idemque docent *Paſor* in Lex. in N. T. 849. & *Leuſden.* Onomaſt. ſacr. 184.

Scri-

Cap. XL. p. 224. *Patres antiqui omnes* concorditer docuerunt & ſcripſerunt, vinculum coniugale manere etiam facto diuortio legitime.	Scriptores eccleſiaſticos hoc in puncto *a ſe in vicem diſſentire*, certum eſt. R. *Simon.* p. 602.
Cap. LXXVI. p. 445. Ex quibus ſatis patet, hanc hiſtoriam (de muliere adultera *Io.* 8) vel ex apocrypho euangelio fuiſſe additam, vel *Iohannem poſt ſemel deſcriptum a ſe euangelium adieciſſe hanc partem ſuo euanlio.*	Sed hæc poſterior coniectura *nullam habet probabilitatem.* R. *Simon* 605.

LIII.

Caſp. SANCTII Commentarius in librum Iob, cum paraphraſi. Lugduni Gallorum 1625. qui recuſus eſt Lipſiæ A. 1712. 4. Eiusdem SANCTII Commentarius in libros Ruth, Eſdræ, Nehemiæ, Tobiæ, Iudith, Eſther & Maccabæorum 1628. Cum indicibus locorum Scripturæ, Regularum, & Proverbiorum, nec non memorabilium. In dedicatione prioris Commentarii comparat auctor actiones Iobi cum geſtis Annæ Felicis *de Guſman*, Marchion. de Camerosa; & in Præfatione ait, aut nullos ex antiquis Patribus, aut non niſi pauciſſimos hunc in librum ſcripſiſſe: commentarios enim, qui tribuuntur *Hieronymo*, *Origeni* & *Thomæ*, eſſe ſuppoſititios; *Auguſtini* annotationes ne quidem ab ipſo agnoſci pro ſuis; *Gregorii* commentarium eſſe tantummodo moralem, ſe vero ſenſum litteralem indagare & tradere. Io. *Clericus* Biblioth. ſel. T. XXIV. 9. 18. varia correxit in Prolegomenis, & Commentario in 3. priora capp. In poſterioris autem præfatione ait, ſe agere interpretem, & a quæſtionibus abſtinere, laudatque Nicol. *Serarium.* Eiusdem SANCTII Commentarii in IV. libros Regum, & II. Paralipomenon. Antverpiæ 1624. In præfatione auctor teſtatur, ſe in iis plurimum laboris ac temporis poſuiſſe: & in dedicatione gentis *Spinola* merita evehit ac celebrat.

Caſp. *Sanchez* ſiue *Sanctius*, centumputeolanus hiſpanus, Soc. Ieſu, in oropeſenſi, complutenſi, & madritenſi lyceis humanio-

niorum & SS. litterarum interpres, nec unquam, teſte *Alegambeo*, per omnem vitam mentitus, in plures S. Scripturæ libros commentatus eſt, videlicet in Cantica canticorum, Prophetas maiores & minores, nec non Acta apoſtolorum, obiitque A. 1628. æt. 75. teſte *Witteo* in Diar. biograph. A a. Ingenii laudem ei præ Cornelio a Lapide tribuit *Hottingerus* Bibliothecar. p. 190.

LIV.

Cornelii a LAPIDE Commentarii in libros V. & N. T. Antverpiæ 1681. X. volumina. Quod opus debeo benignitati ſer. Ducis Brunsuic. ac Luneburg. ANTONII VLRICI. Prodierunt etiam ibidem A. 1616. 1623. Pariſiis A. 1637. & Venetiis A. 1708. XVI. volum. Neque vero datum fuit auctori in univerſam, uti quidem animo conceperat, commentari ſcripturam; Iobum quippe & Pſalmos non potuit attingere. Quem tamen defectum ſupplere poſſunt *Sanctius* & *Pineda* in Iobum, *Ianſenius* autem, *Bellarminus*, *Lorinus*, & in primis *Muiſius* in pſalmos. Primo tomo præfixum eſt encomium S. ſcripturæ, in quo diſſeritur de S. ſcripturæ origine, dignitate, obiecto, de ſtudii biblici neceſſitate, fructu, amplitudine, difficultate, exemplis, methodo & diſpoſitionibus, de uſu & fructu pentateuchi, ac V. T.ti, deque Moſe, quis & quantus fuerit; Commentario in Prophetas IV. maiores Hieroglyphica & SS. ſymbola, adagia, gnomæ & ænigmata ex IV. prophetis collecta, item Canones prophetis facem præferentes; Commentario in Prophetas minores Procemium de appellatione *prophetarum minorum*, eorumque numero, & ſtilo, tempore & obiecto ipſorum prophetiæ, & diſpoſitione ad prophetiam, nec non canones in eosdem; Commentario in Eccleſiaſticum, encomium ſapientiæ ex parallelis ethices naturalis & divinæ; Commentario in IV. euangelia Procemium de euangeliorum excellentia & maieſtate, numero, ordine, conſonantia & diſſonantia, deque eorum interpretibus, nec non chronotaxis & canones; Commentario in Acta apoſtol. Chronotaxis, & S. Pauli effigies. Notabis autem ex *Saingore* P. II. de la Biblioth. crit, p. 436. Approbationem Commentarii in Epp. canon. quæ in nonnullis Cornelii a Lapide edititonibus, ſub nomine *Halleri* reperitur, eius non eſſe. Et quod ad canones, de iis *Dannhauerus* Hermeneut. S. p. 392. haud dubitat pronunciare,

ſæpe

ſæpe eſſe obliquos, immo pro canonibus ſubſtitui tormenta στειβλοτητ۞.

In *Eccleſiaſta* cap. II, 5. p. 80. Veriſimile eſt, Salomonem frutices & arbores pretioſas ex Arabia, Ægypto, India, *totoque orbe* conquiſitos, in ſuos hieroſolymitanos paradiſos transtuliſſe.

E vicina Arabia, concedo; ſed quas ſtirpes ex reliquo univerſo orbe conquiſitas putet Cornelius, non intelligo. Io. Henr. *Vrſinus* in Arboreto biblico 610.

In *Matth.* XIX. 9. p. 354. planiſſime & aptiſſime *cum Theophylacto & S. Auguſtino* lib. contra Adimant. c. 3. hanc exceptionem ad utrumque referas, *tam ad id, quod ſequitur*, quam ad id, quod præceſſit, q. d. Quicunque dimiſerit uxorem, niſi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur, tum dimittendo uxorem, tum aliam ducendo, h. e. bis mœchatur.

Cornelius *non probat, quod probandum ſumſerat*, videl. exceptionem pertinere etiam ad hæc verba, *& aliam duxerit*; neque *Theophylactus*, aut etiam *Auguſtinus* dicit, inde id ſequi. Barthold. *Nihuſius* Apol. c. 13. p. 77.

In 1. *Pet.* II. 9. p. 237. Summi Pontificis ſumma & ampliſſima qua qua verſum eſt poteſtas, per totum orbem ſe extendens, qua etiam *Regibus imperat*, ac *Reges eccleſiæ rebelles regna privare poteſt*, uti ſæpe priuauit.

Hæc eſt doctrina *Santareli*, damnata a Facultate theol. pariſienſi. *Sainjore* P. II. de la Biblioth. crit. c. 29. p. 438.

Corn. *a Lapide*, ex antiqua proſapia nobilium & Baronum *von Stein*, quæ in Suevia aliisque Germaniæ prouinciis floret, oriundus, atque in Belgio natus, puſillus quidem corpore, at ingenio magnus, ſocietatis Ieſu, in SS. litteris ſcrutandis perdius ac pernox, docuit Lovanii & Romæ, obiitque A. 1637. æt. 71. Vid. *Kœnig* 458. *Magirus* 507. *Blount* 950. *Hottinger* Bibliothecar. 190. *Cren.* Animadv. philol. P. I. 56. & diſſert. I. de furib. librar. 70.

70. *Craſſus* Elog. P. II. 69. *Allatius* Ap. urb. 101. *Sixtus* Sen. B. S. lib. 4. p. 278. Guido *Patinus* Epp. ſelect. ep. 17. G. H. *Goez* diſp. de Corn. a Lapide Commentariis, *Biblioth. nova* T. I. 472. & *Bibliothecarius* nulli parti addictus T. I. 55. Pro melioribus eius commentariis habentur duo, alter in Pentateuchum, alter in Epiſtolas paulinas. *Calovius* in Prolegom. Biblior. illuſtrat. P. I. p. 10. plerosque Scripturæ libros *ſuo modo* illuſtraſſe ſcribit: R. *Simon* Hiſt. crit. V. T. I. 3. c. 12. & de Commentator. N. T. c. 44. ait, eum eruditionem & quæſtiones alienas ſæpe admiſcuiſſe; *Dilherrus* Tomo II. Diſpp. 664. vocat exſcriptorem Pradi, & *Kanigius* l. c. Corderium in Lucam expilaſſe refert; certe carebat exacta notitia linguæ græcæ & orientalium: Matthæus *Polus* autem in præfat. volum. III. Bibl. crit. appellatione auctoris non contemnendi honorat. Ab *Hottingero* rhapſodis ſiue centonum collectoribus annumeratur, in Bibliothecar. p. 190. D. Andr. *Kuhnius* Animadverſiones in eius Commentarios paratas habebat. Scopus eius, ut *ipſe* narrat in dedicat. Commentarii in Epp. paulinas, eſt, ſolide, breviter, methodice & clare tradere ſenſum maxime genuinum & litteralem, ideoque ſtilo utitur didactico & methodico, per notationes, quæſtiones, numeros, membra & puncta inciſo & diſtincto; methodus autem hæc, ut poſt brevem ſynopſin totius capitis, rem aggrediatur, atque illuſtrioribus Patrum & Doctorum expoſitionibus allatis, ſenſum illum, qui maxime genuinus videtur, expreſſe deſignet, eumque aliis præferat, & illuſtret.

LV.

Iac. TIRINI Commentarii in V. & N. Ttum. Antverpiæ 1656. Excuſi etiam A. 1632. 1645. 1688. Venetiis 1704. & inſerti Bibliis maximis Ioannis *de la Haye*. Præmittuntur 1) Præfatio de operis utilitate & ſcopo: 2) Inſtructio, pro ſtudioſis, de methodo & modo proficiendi: 3) Decretum Concilii tridentini de canonicis ſcripturis: 4) Charta topographica terræ ſanctæ: 5) Chronicon ſacrum a M. C. usque ad exciſam per *Titum Veſpaſianum* urbem & templum ieruſalemitanum: 6) De antiquis Hebræorum, Græcorum & Romanorum ponderibus ac monetis, collatis cum modernis Iudæorum, Hiſpanorum, Gallorum, Belgarum: 7) De menſuris ſeu vaſis eorundem: 8) De menſuris longitudinum: 9) Expli-

Explicatio idiotiſmorum ſeu proprietatum linguæ ebrææ & græcæ. Ac ſubiunguntur Indices 1. auctorum toto commentario citatorum, 2. nominum & rerum, 3. controverſiarum, 4. antilogiarum, ſiue apparentium contradictionum, quæ per ſcripturam S. occurrunt, variarum materiarum & conceptuum pro euangeliis totius anni, in gratiam & uſum concionatorum.

In Indice auctorum, v. *Hermimias*, dicitur, eum *Aſſenenſium* in Aſia dominio potitum eſſe. | Legendum autem eſt, *Atarnenſium*, iuxta *Laërtium* lib. 5. n. 3.

Iac. *Tirinus*, antverpienſis, Soc. Ieſu, Cornelii a Lapide epitomator, obiit A. 1636. æt. 44. De eo vid. *Kœnig* 411. Rich. *Simon* Hiſt. crit. V. T. l. 3. c. 11. & de commentator. in N. T. c. 44. ac *Crenius* Animadv. P. III. 201. I. Frid. *Mayer* Biblioth. bibl. p. 80. Tirinum facultate ſcripturas tractandi tantum Cornelio a Lapide præſtitiſſe iudicat, quantum illius commentarii ab huius ſcriptis mole ſuperantur.

LVI.

Bened.. PERERII Commentarius in Geneſin. Venetiis 1607. Adſpexerat quoque lucem Coloniæ Agripp. A. 1601.

Pererius ſive *Pereyra*, Valentia hiſpanus, Soc. Ieſu, miſſionarii officio functus in Sicilia & Italia, Romæ docuit rhetoricam & theologiam, ibidemque naturæ debitum ſolvit A. 1610. æt. 75. Scripſit etiam in Exodum, Danielem, epiſtolam ad Rom. & Apocalypſin, item de magia & divinatione aſtrologica, deque communibus omnium rerum naturalium principiis & affectionibus. Omnia eius opera prodierunt Coloniæ A. 1622. II. volum. Commentarium in Geneſin non tantum Rich. *Simon* laudat, verum etiam *Montacutius*, qui eum vocat doctum & laborioſum, ipſum vero auctorem, magni nominis & eruditionis ieſuitam; ſicut etiam commentarius in Danielem a *Polo* iuſtis laudibus celebratur. Iuſto autem Ioſ. *Scaligero* Pererius in Danielem aſinus eſt, peſſimus auctor eſt, graviterque, ut idem addit, erravit, nec eum prius legit, quam exponere aggrederetur. In Scaligeranis p. 105. Hisce adde *Kœnig* 619. *Blount* 834. Ab *Hottingero* Bibliothecar. p. 190. & ipſe inter rhapſodos refertur.

LVII.

Io. MALDONATI Commentarius in IV. euangeliſtas. Moguntiæ 1624. Idem etiam lucem vidit Muſſiponte A. 1596. Brixiæ, quæ ab Italis Breſcia vocatur, 1598. Lugduni & Moguntiæ 1601. Pariſiis 1668. & præcipuus eſt inter reliquos auctoris libros, in eoque, quod *Simonius* Hiſt. crit. N. T. part. III. 918 iure meritoque laudat, litteralis in primis ſenſus eruitur atque indicatur. Editiones autem mire variant, teſte *Crenio* diſſert. I. de furib. librar. p. 78. Certe quæ poſt annum 1617. prodiere Coloniæ, Moguntiæ & Pariſiis, aliquot in locis corruptæ ſunt, ſicut Collectores *Actor. erud.* notant in Tomo IV. Supplem. 458. Caue autem, ne cum pluribus aliis in errorem incidas, puteſque, auctorem ad Matth. 26, 26. p. 561. hiſce verbis, *Incredulorum unus libellum quendam his annis de arte nihil credendi compoſuit*, indicare, revera exiiſſe libellum quendam ſub titulo Artis nihil credendi; non: ſed contenta tantum ſeu materiam eius ita voluit exprimere. Verus autem libelli titulus hic erat, *La beatitude des Chrétiens, ou le fleau de la foi*, eiusque auctor eſt Géoffroi *Vallée*. Vide *Menagiana* T. IV. 417.

Matth. I, 11. p. 21. Totum locum ſic reſtituendum puto: *Ioſias autem genuit Ioacim*, & fratres eius in transmigratione Babylonis; (quemadmodum *Stapulenſis* affirmat, ſe in antiquo quodam græco codice legiſſe) *Ioacim autem genuit Iechoniam.*

Thom. *Malvenda* apud Crenium diſſert. I. de furib. librar. p. 78. temeritatis quidem arguit Maldonatum, quod hunc in modum textum corrigat. Sed lectionem iſtam ſuum habere fundamentum, & extare, ſi non in pluribus, in quodam tamen codice græco antiquo, patet e *Curcellæi* N. T. græco, ubi hæc verba ſubiiciuntur: Ιωσιας δε εγεννησε τον Ιακειμ· Ιακειμ δε εγεννησε τον Ιεχονιαν.

Cap. XVII. 11. p. 356. Ioannes in *Apocal.* XI, 3. 6. aperte ſcribit, *Moſen* & Eliam, ante ſecundum Chriſti adventum eſſe adventuros.

Patres & recentiores, non Moſen, ſed *Henochum* cum Elia venturum, ingenti conſenſu docuerunt. *Malvenda* ibid. p. 77. Sed & ipſi aberrarunt, intelli-

telligentes proprie, quod per ſimilitudinem dictum fuerat.

Cap. XXII. 16. p. 460. *Herodiani non erant milites Herodis*, quia ille iam mortuus erat; alter vero Herodes, illius filius, non in Iudæa, ſed in Galilæa dominabatur: quare eius milites Ieroſolymæ eſſe non potuerunt.

Temerarius eſt Maldonatus, qui Herodi milites abſtrahit. *Malvenda* l. c. p. 77. Sed ceſſat temeritatis vitium, quia nondum probatum eſt, per *Herodianos* non alios, quam Herodis milites intelligendos eſſe. Herodiani enim vocati fuerint, *qui Cæſari*, cui impenſe favebat Herodes, cuiusque tributis in Iudæa quodam modo præerat, *tributum ſoluendum eſſe contendebant.*

Cap. XXVI. 26. p. 561. in margine: Godifridus *a Valle*.

Proprie, Gothofr. *Vallis*: gallice enim vocabatur Vallée. *Menagiana* T. IV. 416.

Luc. XIIX. 12. Tom. II. 163. Quod *Theophylactus* tradit, *Iudæos ſecundo & quinto hebdomadis die ieiunare ſolitos*, non alio argumento, quam ſua auctoritate probat: quæ hac in re haud ſcio quantum ponderis habere debeat.

Nihil frequentius aut pervulgatius in libris Iudæorum occurrit. *Malvenda* l. c. Recte: videatur enim *Lightfoot* in h. l. In horum d erum locum chriſtiani, ut a iudæis ſecederent, ſurrogarunt diem hebdomadis quartum & ſextum. *Grotius.*

Cap. XXII. 32. Quid eſt (*ἐπιστρέψας*) *converſus*? Mihi hebraiſmus videtur eſſe, quo *repetitio ſignificatur*, ut apud Latinos vocibus *Rurſus*, *Iterum*. Quomodo שוב uſurpatur *Pſ.* 84. (85) 7.

Hæc interpretatio eo ſpectat, ut ne exiſtimetur Dominus, quando illa dicebat, *reſpexiſſe ad futurum paullo poſt Petri lapſum.* Sed fallitur Maldonatus: veriſſima enim eſt *interpretatio Theophylacti, Euthymii, Ambroſii. Caſaub.* Exercit. XVI. 640. At *eam ſibi non diſplicere*, ipſe ait Maldonatus; quin

 trium-

triumviros hoſce idem allegat, & Caſaubono ſuppeditavit.

Io. II, 8. Tom. II. 235. *De architriclino in Eccleſiaſt.* c. 32, 1. 2. 3. dictum eſt: Rectorem te poſuerunt, noli extolli.

Eccleſiaſticus loquitur *de Duce, Principe, Magiſtratu*; non autem de architriclino. *Caſaubon.* Exercit. XIII. 244.

Ibid. Poſtea illi (*architriclino*,) ſicut & convivis, *corona & munuſcula dari conſueverunt*, quæ a Græcis ἀποφορητα appellabantur.

Convivis quidem munuſcula dabantur, ſed non coronæ, nedum architriclino. *Corona* autem, cuius meminit Eccleſiaſticus, erat præmium, quod bene merito de Rep. olim dari ſolebat. *Caſaubon.* l. c.

Io. VI. 53. T. II. p. 314. *Catholici quidam*, neſcio qua impudentia, ſe hæreticis iunxerunt, negantibus, hoc in capite ſermonem eſſe de euchariſtia.

Tales ſunt Thomas *de Vio*, archiepiſcopus caietanus, & Cardinalis, Corn. *Ianſenius* epiſc. gandav. quin & *Adrianus*, poſtea Pontifex, quæſt. 1. art. 2. de S. baptiſmo.

Ibid. p. 315. *Contra Scripturæ ſenſum*, contra Patrum *omnium* interpretationem, dixerunt atque contenderunt, hoc loco de ſacramento non agi.

Maxime: nam ſi hic de ſacramento euchariſtiæ ageretur, 1. nemo abſque eius ſumtione ſalvari poſſet. 2. manifeſte contrarius eſſet hic locus Pontificiis, quia in eo non ſolum caro edi, ſed & ſanguis bibi iubetur. 3. ſequeretur, ſervatum iri, quotquot euchariſtiam percipiunt. Io. *Gerhard.* L. de S. cœna §. 179. *Hutter.* præfat. apol. in Concord. concord. b 4.

Io. *Maldonatus*, bæticus hiſpanus, genere nobilis, Dominici *a Soto* & Fran. *Toleti* diſcipulus, Soc. Ieſu, magno vir animo & eclecticus, theologiam Lutetiæ & Romæ docuit, atque in hac urbium regina animam efflavit A. 1583. æt. vix dum 56. Scripſit etiam in

Digitized by Google

in Prophetas maiores, nec non diſpp. de Sacramentis, teſte *Simonio* in Liter. ſelect. ep. 15. variaque eius opera, Lutetiæ Pariſ. edita ſunt A. 1677. In *Scaligeranis* (quibus aſſentit *Caſaubonus* Exercit. I. p. 55.) p. 252. dicitur plagiarius *Bezæ* & *Calvini*; nihil autem ipſe publicavit vivus. Quando igitur Ieſuitæ muſſipontani aiunt, Maldonatum in collegio ipſorum biturigenſi hos primum commentarios *edidiſſe*, id non niſi de eorum formatione & ſcriptione intelligendum eſt. Tam frequens Lutetiæ in Schola claramontana habuit auditorium, ut illa ſæpe non omnes caperet; erantque inter eos etiam miniſtri quidam eccleſiæ reformatæ. Inde factum, ut improbi zelotæ inſidias bono viro ſtruerent, & ſuſpectum reddere laborarent, accuſantes eum dogmatum hæreticorum, præcipue quod quæſtionem de immaculata B. virginis Mariæ conceptione iudicaſſet eſſe problematicam, ita ut propterea cogeretur ſtare coram iudicio Archiepiſcopi pariſienſis, a quo tamen fuit abſolutus; & formula ſententiæ, quæ primis huius commentarii editionibus, atque etiam noſtræ præfixa eſt, cum lectore communicatur a Rich. *Simonio* P. III. Hiſt. crit. N. T. c. 2. p. 621. A *Caſaubono*, *Scaligero* & aliis taxatur ob calami intemperantiam & maledicta erga diverſæ viros religionis; ſed *Montacutius* putat, ea non ab illo fuiſſe profecta, quippe cui *Thuanus* modeſtiæ laudem plane inſignem tribuat, ſed a Ieſuitis muſſipontanis, qui commentarium illius ediderunt, & præfatione locupletarunt, in qua vitam & ſtudia auctoris recenſent, aliiſque de rebus, quæ ad præſens opus ſpectant, verba faciunt. Nec diffitetur *Simonius* p. 618. 620. & in Literis ſelect. (Act. erud. 1701. 123.) eos quædam mutaſſe. *Conringius* præfat. in Caſſandrum & Wicelium vocat doctiſſimum ieſuitam; *Caſaubonus* Exercit. p. 347. acris & magni ingenii virum; *Slichtingius* in epiſt. ad Hebr. magni nominis interpretem, & in Vindiciis confeſſ. chriſtianæ virum inter Scripturæ interpretes, quos viderit, acutiſſimum. Plura de eo dabunt *Kænig* 498. *Magirus* 560. *Blount* 758. *Caſaubonus* Epp. p. 727. & in Exercit. 244. *Crellius* in ep. ad Hebr. 1, 3. p. 75. 87. *Wolzogen* in Luc. I, 35. p. 542. *Du Bois* præfat. in Varia Maldonati opera, *Du Pin* T. XVI. Biblioth. Script. eccleſ. *Bibliothecarius* n. p. addict. T. I. 198. & *Lexicon univerſ.* hiſt. 425.

LVIII.

Guil. ESTII Commentarius in epiſtolas apoſtolicas, h. e. paulinas & catholicas. Coloniæ 1631. Editio noviſſima. In qua Barthol. *Petrus* continuatorem egit, adiiciens de ſuo Commentarium in 1. Ioh. 5, 7. usque ad finem huius epiſtolæ, nec non in 2. & 3. epiſtolam. Præmittuntur 1) Præfatio I. M. H. id eſt, Iacobi Merlo *Horſtii*, in qua ait, Eſtii laudem famam, ſanctimoniam, geſta, doctrinam, ſcripta ipſa palam loqui. 2) Elogium Eſtii, auctore Andr. *Hoio*. 3) Deſignatio eius librorum. 4) Eſtii Proteſtatio, qua omnia ſubiicit eccleſiæ romanæ, & nulli perſonæ aut familiæ quidquam vult detractum, hoc addens, ſe ſe conatum eſſe verum ſenſum nudis & claris verbis explicare, nec commentarium extendiſſe in exhortationes populares. Moralia tamen in margine ſunt indicata, & Index concinnatus a prædicto *Horſtio*, in uſum lectorum, ac præcipue concionatorum. Textus Scripturæ additus eſt e Correctione romana ſeu clementina, cum auctor louanienſi uſus videatur: eſtque hic Commentarius inſertus Bibliis maximis Io. *de la Haye*. Laudatur & commendatur ab *Hülſemanno* in Meth. ſtudii theol. 290. At Rich. *Simonius* tamen l. 3. Hiſt. crit. V. T. c. 11. p. 416. & Hiſt. crit. N. T. part. III. c. 43. iudicat, auctorem non ſatis recte calluiſſe artem criticam, neque etiam ſufficientem notitiam habuiſſe linguæ ebrææ & græcæ; unde nec *Hottinger* Bibliothecar. p. 190. eum inter commentatores, ſcholaſticam methodum ſequentes, numerare dubitat. Nec diffitendum, in non nullis explicationibus nimis prolixum eſſe, &, ſicut *Auguſtinum* ac *Thomam* aquinatem, tanquam magiſtros, ſequitur in doctrina de prædeſtinatione, ita alias libere ab iis, ſi opus eſſe videtur, recedere. Bellarminum pag. 220. col. 2. & 399. col. 1. tecte, ſuppreſſoque eius nomine, refutat; ipſe autem a Seb. *Schmidio* frequenter ſub examen vocatur.

In 1. Cor. 3, 13. p. 223. In primis *ex hac ſcriptura*, ſecundum datam a nobis reſponſionem, *manifeſte habetur* contra ſectarios, quod in futuro ſæculo quædam peccata remittenda ſint, ſcilicet eorum, qui purgabuntur, & ſalui fient per ignem.

Sed *frigide hoc præſtare, & ludere potius*, quam ſerio rem agere doctiſſimum auctorem, ne videlicet gregales ſuos irritaret, & nimio plus offenderet, cenſet, & ſcribit Gul. *Forbeſius* p. 213.

Guil.

Guil. *Eſtius*, Gorcomio-batavus, ex Arcis eſtenſis (unde ei cognomen Eſtii) in Batavis toparcharum ſtirpe, S. I. theol. D. regii Seminarii duacenſis rector, ad D. Petri præpoſitus & Vniverſitatis cancellarius, ſcripſit Hiſtoriam martyrum gorcomienſium, Martyrium Edm. *Campiani*, item *Guilielmi* goudani, ac Cornelii *Muſii*, & alia, obiitque Duaci A. 1613. æt. 70. *König* 280. & *Lex univ. hiſt.* P. II. 73. Auctor hic inter eos, qui in libros Sententiarum commentati ſunt, facile primas tenet ob ſingularem eruditionem ac iudicii vim, cum pari moderatione coniunctam. *Hulſemann.* Method. ſtud. theol. 302. eſtque eius nomen tam clarum, profitente *Simonio* T. II. de la Biblioth. crit. p. 190. ut id ſolum impreſſionem in animo hominis prudentis facere valeat.

LIX.

Matth. *Flacii* Clavis Scripturæ S. ſeu de ſermone SS. literarum. Ienæ 1674. Prodiit etiam Baſileæ 1609. & Lipſ. 1695. Sed noſtra illa hiſce præſtat. Præmittitur præfatio Io. *Muſæi*, in qua recenſetur hiſtoria diſputationis vinarienſis, qua Flacius in errorem de P. O. incidit; cui ſubiungitur Io. *Olearii* Iſagoge & Conſilium de aſſidua lectione, genuino uſu, & neceſſario Clavis flacianæ ſupplemento, videlicet quod ſpectat ad terminos iuridicos, medicos, theologicos, concordantias, & ſingula obiecta univerſæ theologiæ. Phraſes quoque auctoris, errorem de P. O. & imagine Dei redolentes, ut *vetus homo, Adamus vetus, Homo externus, Carnalis, Caro, Cor incircumciſum, durum, lapideum, adamantinum; Mens obſcurata, Vana, Imago Dei, Homo novus, interior &c.* ſigno manus humanæ, cum extenſo digito indice, notatæ ſunt. Conſtat opus duabus partibus. In priore ſingularum vocum atque locutionum S. Scripturæ uſus ac ratio alphabetico ordine explicatur, poſterior VII. continet Tractatus, quibus ſubiungitur Index biblicus. I. Tractatus proponit rationem cognoſcendi SS. literas. II. ſententias ac regulas Patrum de ratione diſcendi SS. literas. III. agit de partibus orationis. IV. de tropis & ſchematibus. V. de ſtilo SS. litterarum. VI. aliquot theologicos libellos complectitur, qui agunt de nomine *Iehova* & *Ieſu*, velamine Moſis, prædicationibus pœnitentiæ, multiplici prædicatione bonorum operum, iuſtitia, originalis peccati in V. T. accuſatione, ieiunii phraſibus, ſynecdoche decalogi, decli-

Digitized by Google

declinatione veræ religionis apud iudæos, & accuſatione aut correctione Prophetarum eius corruptionis, indiciis aut notis Meſſiæ in Moſe & extra eius prædictiones, variisque prophetiarum modis venturi Meſſiæ &c. VII. de norma cœleſtis veritatis. Notandum vero, in illa tractatus VIti parte, qui agit de peccato originali p. 635. editionis baſil. A. 1609. erroneam auctoris de illo dogmate doctrinam defendi; in ienenſi autem, & ultima editione, libellus hic e Tractatu VI. expunctus, & in fine operis cum refutatione poſitus eſt. *Glaſſ.* Philol. S. 496. Clavem hanc vocat vere auream.

Matthias *Francovvitzius*, cognomine *Flaccus*, aut *Flacius* (*Colomeſ.* Biblioth. choiſ. p. 14) non *Flaccius*, (*Cren.* Animadverſ. P. IX, 91.) Albonæ in Illyrico natus, Venetiis audivit Io. Bapt. *Egnatium* humaniores litteras profitentem, Wittebergæ autem *Lutherum* & *Philippum*; ſed poſtea Melanchthoni & aliis, qui, divulgato interimiſtico libello, de rebus mediis ſeu adiaphoris, pacandæ eccleſiæ cauſſa, aliquid remittendum ſtatuebant, cum theologis lubecenſibus, luneburg. hamburg. & magdeburgenſibus, ſe ſe oppoſuit, (*Camerar.* in Vita Melanchth. 355.) ideo a Philippo *Echidna illyrica* dictus, cumque Nic. *Gallo* Magdeburgum abiens ſcripſit contra papatum, Adiaphoriſtas, Andr. *Oſiandrum*, & *Schvven kfeldium*, atque Centurias magdeburgenſes cum aliis adornavit. In noua ienenſi ſchola vix quinquennio exacto, incidit in controverſiam cum Victorino *Strigelio* de libero arbitrio, & ex illa in errorem de peccato originis. Inde Ratisbonam conceſſit, & varia ibi ſcripſit. Docuit etiam Antverpiæ in nova Proteſtantium eccleſia, eaque mox abolita Argentinam, & inde Francofurtum ad Mœnum commigravit, ubi mortuus eſt A. 1575. æt. 55. Fuit ingenium in hoc viro capax perinde, ut inquietum. *Colomeſius* Bibl. choiſ. 15. Clavem Flacii pro optimo eius libro agnoſcit, & auctorem vocat doctum lutheranum. Flacius etiam creditur optimus poſt Lutherum exegeta. Videantur *Alberti* præfat. in Comment. Hulſemanni in Ieremiam, *Glaſſ.* Philol. S. 186. *Carpzov.* Theol. exeget. 8. *Crenius* autem Animadverſ. P. IX. 91. obſervat, Flacium in Clave transſcripſiſſe Fr. *Ruizii* Regulas intelligendi ſcripturas ſacras. Contra Regulas iſtas flacianas diſputat *Simon* Hiſt. crit. V. T. l. 3. c. 13. p. 428. De Miſſa latina, quam Flacius edidit, legi poteſt *Bona* Cardinalis Rer. liturg. l. 1. c. 12. De Flacio autem plura reperies in *Magiro* 352. *Kœnigio* 306. *Blount*

714. *Biblioth. Schraderiana* P. I. B 7. C 5. *Placcio* de pſeudon. 284. Gottfr. *Arnoldo* Hiſt. eccl. & hær. P. II. 362. & *Bibliothecario* n. addicto parti T. I. 190.

LX.

Nicol. SELNECCERI Commentarius in Geneſin. Lipſiæ 1569. Opera eius in IV. digeſta ſunt tomos. In epiſt. dedicatoria auctor ordinem ſtudiorum ſuorum cum ſcholaſticorum, tum academicorum commemorat, ſuosque præceptores; in primis autem laudat Phil. *Melanchthonem*, eiusque Locos communes. Facit etiam cum encomio mentionem præſtantium, quos in iuventute audiuerit, eccleſiæ noribergenſis paſtorum, Wencesl. *Linckii*, Viti *Theodori*, Thomæ *Venatorii*, Andr. *Oſiandri*, Io. *Fabricii* abaui mei, Hier. *Beſoldi*, & Leonh. *Culmanni*. In Prolegomenis duo conſiderat, 1. verbi divini auctoritatem. 2. cauſſas, quæ nos ad aſſiduam lectionem & meditationem verbi divini movere, excitare, & impellere debeant. In explicationibus habet non nunquam egregias obſeruationes, plerumque tamen debitas *Luthero* aut *Philippo*, e. g. Gen. 2, 23. verba Adami, Evam conſpicientis, dicentisque, *Nunc tandem os ex oſsibus meis*, ſic exponit: q. d. cum omnia *animantia* conſiderarem, *nullum ex eis faciebat ad cohabitationem*; ſed nunc tandem deprehendo & intueor ſociam vitæ. Sic enim ante ipſum & *Lutherus* & *Brentius* interpretati fuerant.

Nic. *Selneccer*, natus in oppido Hersbruck ditionis noribergenſis, primum concionator aulicus Dreſdæ, deinde profeſſor theol. tam Ienæ, quam Lipſiæ, inde, ex conceſſione AVGVSTI Electoris Saxoniæ, in biennium concionator aulicus, ſuperintendens generalis, & conſiliarius eccleſiaſticus Wolffenbutteli, quod officium brevi poſt commutatum fuit cum generali ephoria gandeſienſi, poſtea ad lares lipſienſes & profeſſionem theologicam reverſus, ibidem paſtor ad D. Thomæ, ſuperintendens & conſiliarius eccleſiaſticus, & poſt remotionem ſub CHRISTIANO I. Electore factam ad eadem munera revocatus, in Chriſto obdormivit A. 1592. æt. fere 60. teſtamenti Chriſti, ut in epitaphio dicitur, aſſertor conſtantiſſimus. Melch. *Adamus* in Vitis theol. 663. *Leuckfeld* Antiqq. gandersheim. 318. Scripta eius commemorantur in *Friſii* Epitome Biblioth. geſner. 632. Fuit acerrimus oppugnator

Digitized by Google

Pontificiorum, Calvinianorum, & Flacianorum. Qualem ubiquitatem docuerit, ipſe his indicat verbis: *Chriſtus Deus & homo, ſedens ad dextram Patris, poteſt ſuo corpore eſſe, ubicunque vult eſſe, & ubi ſe velle eſſe dixit & promiſit.* In *Hiſtoria carc. Peuceri* appellatur rudis, inſcius & ambitioſus. p. 761. refertur etiam de Mart. *Chemnitio*, ipſum de Cenſura Examinis Philippi ſelneccerina interrogatum, quid illi tribueret? reſpondiſſe: *Talia eſſe, qualia ſint, quæ ſine iudicio corrodantur ab eo, & congerantur.* p. 762.

EIVSDEM Commentarius in omnes epiſtolas Pauli. Lipſiæ 1595. Expoſitioni Epiſtolæ ad Romanos immediate ſubiungit explicationem epiſtolæ ad Galatas, eo quod hæc illius ſit epitome; ſicut ipſe auctor indicat p. 335. Expoſitioni autem epiſtolæ ad Rom. præfigitur 1) *Lutheri* præfatio methodica. 2) Auctoris diſſertatio de auctoritate verbi divini, ſive ſacrarum litterarum. p. 35. Vbi pariter agit de cauſſis, quæ nos ad ſtudium verbi divini incitare & impellere debeant, item de ratione diſcendi doctrinam eccleſiæ. p. 38. 39. 3) Prolegomena in epiſtolam Pauli ad Romanos. p. 43. Ante explicationem epiſtolæ ad Galatas extat oratio, in qua docetur, Galatas fuiſſe Germanos. p. 335. Denique explicationi epiſtolæ ad Titum ſubiungit duas precationes in uſum miniſtrorum eccleſiæ. p. 441. Part. II.

LXI.

Dav. CHYTRÆI Enarratio in Deuteronomium, nec non in Geneſin, librum Exodi, Leviticum & Numerorum. Wittebergæ 1590. Prodiit & alterum volumen, qua reliqua eius ſcripta continentur. In Procemio in Deuteronomii Enarrationem auctor probare contendit, Moſen a veteribus recte adpellatum fuiſſe Oceanum theologiæ. Tabella pſalmorum Davidis, e qua propoſitiones & argumenta eorum cognoſci poſſunt, exhibetur pag. 204.

EIVSDEM Explicationes in hiſtoriam Ioſuæ, Iudicum, Ruth, in Prophetas & Pſalmos aliquot, & Sententias Siracidæ, nec non Onomaſticon theologicum. Lipſiæ 1592. Recuſæ A. 1599. Prophetæ, qui explicantur, ſunt Micheas, Nahum, Habacuc, Zacharias, Malachias. Quibus ſubiungitur explicatio libb. Maccabæorum. Pſalmi autem, CIII. *Benedic anima mea Domino.* CXVII, *Laudate Dominum omnes gentes.* & CXIIX. *Confitemini.* Onomaſticon theologicum, quod hic poſtremo recognitum extat, prodiit Witteber-

tebergæ ſub nomine Theoph. *Lebei*, (de quo vide *Biblioth. Schrader.* P. I. Y 8) & germanice ſub tit. Hiſtor. Auszug, Lipſiæ 1615. 4. In epiſtola ei præfixa fatetur auctor, utilius textum verbi diuini diurna nocturnaque manu verſari, aliisque prælegi & explicari; quam ſi certaminibus non neceſſariis eccleſiam turbes, & nimium altercando veritatem tandem amittas. Refert etiam, Onomaſticon hoc iam olim a ſe fuiſſe confectum, ne locorum ac perſonarum nomina propria paſſim occurrentia lectionem remorarentur. Idque, M. *Adami* iudicio, in omnes Scripturæ locos, & in totam eccleſiæ hiſtoriam, eruditiſſimi indicis loco eſſe poteſt, ac ſeorſum prodiit Wittebergæ A. 1585. 8. De reliquis eius ſcriptis vide eundem *Adamum* p. 689. *Epit.* Biblioth. geſner. 186. ac *Wittei* Diar. biograph. A 2. Suntque ex iis Oratio deſcribens regionem Greichgææ, ad Neccarum fl. ſitæ: Oratio de ſtatu eccleſiarum in Græcia: tractatus de Ruſſorum ac Tartarorum moribus, & veterum Boruſſorum ſacrificiis: Explicatio Apocalypſeos: Catecheſis: Diſpoſitiones epiſtolarum dominicalium, & aliarum: ac Reſp. ad Ant. *Poſſenini* ac *Mylonii* criminationes.

In Onomaſtico, P. II. huius volum. p. 884. Inter *Iſidori hiſpalenſis* libros *liber Decretorum apoſtolicorum*, romanorum Pontificum & Canonum in conciliis factorum præcipue celebratum.	*Iſidorum hiſpalenſem Decretalium conlectorem non fuiſſe*, multis in Pſeudoiſidoro probat Dav. *Blondellus.* Thom. *Cren.* Exercit. III. de libris ſcriptor. opt. 49.
Ibid. p. 887. Vtiliſſimum (*Iuſtini* martyris) *ſcriptum eſt* ἔκθεσις πίστεως *Expoſitio fidei* de Deo & tribus perſonis diuinitatis, & unione duarum naturarum.	*Non eſſe hoc ſcriptum Iuſtini* martyris, ſufficienter oſtenderunt *Centuriatores* magdeburg. Io. *Gerhardus*, Mart. *Chemnitius*, *Dannhauerus*, *Bellarminus*, *Petavius*, *Scultetus*, & *Rivetus*, quos omnes allegat *Crenius* l. c. Quibus addi poſſunt *Placcius* de pſeudon. 405. *Cave* Hiſt. lit. 28. & *Labbeus* T. I. 668.

Dav. *Chytraus*, vernacule *Kochhafen*, natus Ingelfingæ in Suevia, *Lutheri* & *Philippi* diſcipulus, confecto itinere italico con-

 ſtitu-

Digitized by Google

ſtitutus eſt profeſſor roſtochienſis, & hac ornatus ſparta poſtea profectus eſt in Friſiam, Brabantiam, Flandriam, & alias Belgii prouincias; neque eam, utut lautioribus functionibus oblatis, deſeruit. In Auſtriam vero, ex ipſius Imperatoris MAXIMILIANI II. voluntate, ad conſtituendas eccleſias Proteſtantium abiit, nec non in Stiriam eiusdem finis cauſſa, ac poſtea iterum in Auſtriam, ut plantatas ibi eccleſias ſuis iuuaret conſiliis. Formauit quoque Iuliam academiam; atque ad grauiora hæc negotia inuitatus & admiſſus fuit non tantum ob doctrinam & dexteritatem, ſed etiam, ac præcipue ob prudentiam, qua erat conſpicuus: immo & ipſi auguſtiſſimo Imperatori in negotiis ſuis plane ſatisfecit, ſeque omnino adprobauit. Ceterum usque ad extremum vitæ ſpatium diſcendi fuit cupidus, & ſcripta edere maluit dogmatica, quam polemica & contentioſa, laborioſa hac vita deſunctus A. 1600. æt. 70. M. *Adam.* in Vit. theol. 681. *König* 191. *Serpilius* Epitaph. theol. ſuev. 97. *Moller* de Homon. 828. & *Hoornbeeck* Summ. controu. 658. H. *Meibomius* apud Magirum p. 213. eum vocat incomparabilem theologum & polyhiſtora, *Spener* in Piis deſider. p. 19. virum eorum, quæ eccleſiæ proficua eſſent, peritiſſimum, *Scheiblerus* in dedicat. Manualis ad theol. pract. p. 16. doctiſſimum, den grundgelehrten.

LXII.

Io. OLEARII Explicatio biblica, Bibliſche Erklärung. Lipſiæ 1678. VI. volumina. Quid in iis tractetur, exponit frontiſpicium operis. In Prolegomenis, quæ appellat Bibl. Hauptſchl. agit auctor de lectione S. Bibliorum, de S. Scripturæ deſcriptione, diviſione, verſione, & interpretatione; ac in ſpecie de verſione M. *Lutheri*, triumpho verbi catholico, & mnemonica ſacra, varia proponit. Magno multoque labore auctor hoc opus confecit: nam fere L. ci annos impendit. Sed qui bono cum fructu eo vult uti, inſtructus eſſe debet reliquis auctoris libris, quippe quos frequenter excitat, & lectorem eo remittit. Vide hoc de opere Car. *Arndium* in Continuat. Biblioth. bibl. Mayeri p. 27.

Ioannes *Olearius* fuit halenſis Saxo, & primum ſuperintendens querfurtenſis, deinde in patria concionator aulicus ſupremus, Ser. Ducis Saxonici a confeſſionibus ſacris & conſiliis eccleſiaſti-

ſiaſticis, ac tandem ſuperintendens generalis, diemque obiit A. 1684. ætatis 72. miniſterii 47. Inclaruit variis ingenii monumentis, quæ recenſet *Witte* in Diario biographico V u u u 4. *Durrius* in Theol. mor. p. 63. eum vocat virum de eccleſia præclariſſime meritum. Cui adde *Pritium* in Introduct. ad lect. N. T. 294. 295. Hoc opus adhiberi poteſt ad conciones formandas, rariſſime autem in eo indicantur errata receptæ verſionis germanicæ. De ſtirpe *Oleariorum* vide præfat. *Buddei* in Io. Gottfr. Olearii Bibliothecam ſcriptor. eccleſiaſt.

LXIII.

Opera CRITICORVM SACRORVM, ſiue Annotationum in S. ſcripturam V. & N. Tti, aliorumque tractatuum eo inſervientium, cum Supplementorum Tomis II. Francofurti 1696. volum. IX. Prima editio prodiit Londini A. 1660. IX. voluminibus, habuitque collectores Io. & Rich. *Pearſonos*, Ant. *Scattergood*, & Fran. *Gouldmannum*. Atque hinc opus hoc vocatur etiam Criticorum anglicanorum, non quod vel omnes, vel plerique Angli fuerint, ſed quia præſentes commentationes a viris anglis collecti, atque in Anglia primum editi ſunt. Neque vero mutili & caſtrati auctores exhibentur, ſed integri & illibati. Ceterum hoc in opere non myſticus traditur ſenſus ſcripturæ ſacræ, ſed litteralis & grammaticus, qui, ut in præfatione clariſſimi Collectores aiunt, ipſiſſima ſcriptura eſt, atque ipſummet verbum Dei. Recentior hæc editio, e IX. anglicanis in VII. tomos redacta, nec propterea vel tantillum imminuta, Tomo I. continet commentarios in Geneſin usque ad librum Eſther: II. in libros Regum & Paralipom. Hagiographos & Eſaiam: III. in Prophetas reliquos tres maiores, nec non minores, & libros apocryphos: IV. in Euangelia & Acta apoſtolorum: V. in Epiſtolas apoſtolicas & Apocalypſin: VI. & VII. varios Tractatus: IIX. & IX, quibus *Supplementorum* titulus datus, variorum Annotationes & Tractatus in libros, aut capita quædam SS. bibliorum. Nimirum hic reperiuntur

Annotationes.

Seb. *Munſteri* Seb. *Caſtalionis* Iſidori *Clarii* Hug. *Grotii*	In V. Ttum	V. T.

Fran. *Vatabli* in libb. canonicos V. Tti		libb. canon. V. T.
Pauli *Fagii* in paraphraſin chaldaicam Pentateuchi, ex *Onkelos* latine redditam.		Pentateuch.
Eiusdem *Fagii* fuſior expoſitio IV. priorum capitum Geneſeos.		Gen. c. 1. 2. 3. 4.
Claudii *Badvelli* in libros apocryphos.		libb. apocryph.
Andr. *Maſii* Commentarius in Ioſ.		Ioſ.
I. *Druſii* in Pentateuch. Ioſ. Iudic. Ruth, Samuel. Eſther. Iob. Coheleth, XII. proph. minores, Eccleſiaſticum, Tobit, lib. I. Maccab. cum veterum V. T. interpretum græcorum fragmentis.		Pentat. Ioſ. Iud. Ruth. Sam. Eſth. Iob. Cohel. proph. min. Siracid. Tob. lib. I. Maccab.
Phil. *Codurci* in Iobum.		Iob.
Rod. *Bayni* in Proverbia.		Proverb.
Fran. *Forerii* in Ieſaiam.		Ieſ.
Eduardi *Livelei* in Hoſ. Ioël, Amos, Abdiam, Ionam.		Hoſ. Ioël. Amos. Abd. Ion.
Dav. *Hœſchelii* in Eccleſiaſticum.		Siracid.
Laur. *Valla*. Cum Iac. *Revio* in Vallam.		
Eraſmi Roterodami		
Fran. *Vatabli*		
Seb. *Caſtalionis*		
Iſidori *Clarii*		
Nicol. *Zegeri*		
I. *Druſii* *	in N. Ttum.	N. Teſtam.
Ioſ. *Scaligeri*		
Iſ. *Caſauboni*		
Iac. *Cappelli*		
Hug. *Grotii*		
Io. *Cameronis* Myrothecium.		
Othon. *Gualtperii* Syll. voc. exot. N Tti.		

* Qui annotationes ſuas ſub titulo *Præteritorum* exire iuſſit, quoniam ea duntaxat illuſtrare ſtuduit, quæ ab *Eraſmo*, Theodoro (*Beza*) & aliis præterita erant, aut non ita fuſe expoſita.

Abr.

Abr. *Sculteti* in ep. ad Timoth. Tit. & Philem. | N. Teſtam.
Lud. *Cappelli* Spicilegium.

Tractatus in Tomo I.

Io. DRVSII de Mandragoris. p. 286. Vbi ſtatuit, דודאים non fuiſſe ieſeminum, nec lilia, nec alios flores amabiles, nec radicem herbæ, quæ formam hominis habeat, tam maris quam fœminæ, ſed poma mandragorarum.

Hug. GROTII Explicatio Decalogi. 555. Quæ prodierat Amſtelodami A. 1642. 8. Vid. *Placcius* de Anon. 106. & Iac. *Laurentium* præf. in H. Grotium papizantem p. 1.

Ioſ. SCALIGERI. & Sixt. AMAMÆ de Decimis. 1322. 1326. Qui inter ſe belle conſentiunt, docentes, omne eſculentum hominis terra natum, quod in conditoriis ſervatur, poſtulatum a Deo fuiſſe ad primitias, thrumam, (quæ duplex erat, *maior*, ſacerdotibus danda a quovis colono, & *minor*, iisdem danda, ſed a Levitis; unde & *decima* appellabatur *ſecunda*) & decimam: (quæ duplex, prima & ſecunda, *prima* a colono data erant חולין polluta, ſeu profana Levitarum, *ſecunda*, de profanis coloni detracta) primitias quidem de ſpicis, uvis, oleis oblatas in corbe, thrumam vero & decimam de frugibus elaboratis; fuiſſe & decimæ decimam, quam alio reſpectu thrumam minorem dictam, Levitæ de ſua, qua donati fuerant, decima dederint ſacerdotibus. Denique *Scaliger* ſchema ſeu figuram exhibet, oſtendens, colono, in reditu unius anni habenti VI. millia (vel modiûm frumenti, vel heminarum vini, vel quartariorum olei) poſt thrumæ & decimæ ſolutionem, remanſiſſe 4779.

Lud. CAPPELLI de voto Iephtæ. 2046. Sentit autem, filiam eum ſuam immolaſſe.

Tractatus in Tomo III.

Eiusdem Excerpta ex VILLALPANDO. 544. de templo videlicet, a propheta Ezechiele viſo; quod erat templum Salomonis, a Nabochodonoſore deſtructum.

Alber. GENTILIS Diſputatio ad librum I. Maccabæorum 2836. Agitur in ea de diviſione regni ab Alexandro M. facta; de *Antiocho* vivo a Romanis capto; de *Eumene*, cui Romani donarunt

runt Indiam, & Mediam; de numero Senatorum romanorum; de officio Conſulis; de *Alexandro*, qui filius dicitur Antiochi; de nominum variationibus; deque iis, quæ pugnare videntur in ſacris litteris.

Eiusdem diſputatio parergica de linguarum mixtura. 2856. Vbi cum *Cardano* docet, interdum neceſſe eſſe, ut ex alia lingua voces quædam mutuo petantur, 1. ſi deficiant nos voces ea in lingua, qua loquimur, vel ſcribimus. 2. ſi lis ſit in dictione, ſenſu, lectione. 3. cum res adeo eſt gravis, ut vereamur, ne quis interpretatione maiorem addat emphaſin.

Tractatus in Tomo IV.

Lud. CAPPELLI Corban. 454. In qua diſſertatione tradit, Corban ſiue hæc verba Chriſti *Matth.* 15, 5. Δωρον, ὁ ἐαν ἐξ ἐμȣ ὠφεληθῃς; eſſe ipſiſſimam voti formalis apud iudæos formulam, קרבן שאני נהנה לך & Phariſæos docuiſſe, ſi quis illa voti ſeu potius diræ & exſecrationis formula uſus eſſet contra parentes, tum ei non amplius licere illis benefacere: peccare quidem talem hominem concipiendo & nuncupando votum; at non peccare, ſi illud ſervaverit.

Abr. SCVLTETI Exercitationes euangelicæ 1865. Quibus varia euangeliſtarum loca illuſtrat, quæ vel rei difficultate obſtructa, vel linguæ originalis obſcuritate involuta videbantur. Idem & in reliquis N. T. libris conſtituerat facere.

Henr. STEPHANI Κεφαλαια Matthæi & Marci. 2063. Per κεφαλαια intelligit tmemata, quibus hiſtoriæ aliæ ab aliis dividuntur, quæque veteres excogitarunt. Eorum exemplo & *Stephanus* quædam formavit, cumque vetuſtis coniunxit.

EIVSDEM Obſcuriorum verborum & phraſium in IV. euangeliis interpretatio latina. 2079.

Tractatus in Tomo V.

Hug. GROTII de antichriſto 827. Per quem intelligit C. Cæſarem, in iuventute Caligulam dictum. Refutatur autem hæc expoſitio in Breviario *Hülſemanni* aucto p. 1764. a Slichtingio ſub nomine Io. *Simplicii*, & Mart. *Ruaro* Epp. P. I. 243.

Eiusdem Fuſior expoſitio 1. Io. 2, 18 - 24. p. 1790. de antichri-

tichriſto: & 1. Io. 3, 9. de ſtudio bonorum operum. Prodierant hæc ſcripta, ſine auctoris nomine, ſub titulo Explicationis trium locorum N. T. de fide & operibus. *Placcius* de Anon. 117.

Eiusdem Appendix ad interpretationem locorum novi teſtamenti, quæ de antichriſto agunt, aut agere putantur: in qua via ſternitur ad chriſtianorum concordiam. Vbi ſuam de antichriſto ſententiam contra *Borboritam* & *Frontonem*, id eſt, Sam. Mareſium & Pet. Molinæum (vide *Placc.* de pſeudon. p. 294.) defendit. Huic Appendici ſubiuncta eſt *Curcellæi* epiſtola, qua dubia adverſus Grotii ſententiam proponit, & reſponſio *Grotii*, qua illa ſolvere laborat, profitens ſub finem, ſe ex animo hæc vera eſſe arbitrari.

Abr. SCVLTETVS in epiſt. ad Timoth. Titum, & Philemonem. p. 862.

Scipio GENTILIS in epiſt. ad Philemon. 1159.

Iac. GOTHOFREDVS in 1. Tim. 3, 15. 16. ſeu Exercitatio de eccleſia Dei, & altera de myſterio pietatis.

Phil. CODVRCVS in Heb. 9, 16. 17. 18. p. 1448. de fœdere per Chriſtum ſancito.

Prologus in Epiſtolas paulinas. 2181. Atque hic prologus græce ſcriptus, ex antiquiſſimo MSto depromtus, & Io. Henr. *Bœcleri* præfatione ornatus, comprehendit hiſtoriam Pauli, eiusque epiſtolarum argumenta.

Io. PRICÆI Commentarii in varios N. Tri libros. 2210. videl. euangelium Matthæi & Lucæ, Acta apoſtolorum, epiſtolam Pauli utramque ad Timoth. atque ad Titum & Philemonen, epiſtolas Iacobi, Ioannis & Iudæ, ac denique Apocalypſin. Singulis annotationibus præmittitur textus græcus cum verſione latina, atque in Annotationibus ſeu commentariis 1. vulgatæ verſionis, quam plurimis locis, præ quavis alia ſinceriore, ſermo purus latinusque oſtenditur. 2. contextus græci litera explicatur. 3. eiusdem phraſeologia cum auctorum ethnicorum locutionibus amœne comparatur. 4. multorum difficilium locorum expoſitiones novæ afferuntur. 5. ſenſus non ſolum ex chriſtianis eccleſiæ antiquiſſimæ doctoribus, ſed ex græcis latinisque gentium ſcriptoribus ubique illuſtratur.

Tractatus in Tomo VI.

Petri PITHOEI de latinis Bibliorum interpretibus Sen-

tentia. p. 1. Vbi docet, inter infinitum interpretationum latinarum numerum, italicam, quæ vetus & vulgata videtur eſſe, ceteris præferri; pſalterium, quo hodie utimur, non illud eſſe, quod Hieronymus ex ebræo tranſtulit, nec alterum ex græcis ſeu LXX. interpretibus, aut ex Origenis Hexaplis, ſed commune quoddam & vulgatum ex græca communi ac vulgata *Luciani* martyris editione, aliquantulum diverſa ab Hexaplis & LXX: libros Sapientiæ, Eccleſiaſticum, Maccabæorum & Eſdræ ſcribæ tertium, ſeu potius prophetæ primum, ex antiqua translatione mera, qua & Tertullianus & Cyprianus aliique patres, Hieronymo priores, uſi ſint: quartum Eſdræ librum & Manaſſæ regis orationem, ex antiqua translatione: Pentateuchum, librosque Ioſuæ, Iudicum, Regum, Paralipomenon, Eſdræ, Nehemiæ, Tobiæ, Iudith, Eſther, Iobi, Proverbiorum, Eccleſiaſtæ, Ieſaiæ, Ieremiæ, Ezechielis & XII. Prophetarum minorum, ex Hieronymi de ebræo fonte translatione: IV. euangelia, ex vulgata editione veteris translationis, ab *Hieronymo* recognitæ & repurgatæ: reliquos N. Tti libros, videlicet Actus apoſtolorum, Epiſtolas Pauli, Petri, Iacobi, Iudæ, atque Apocalypſin, an ex Hieronymi emendatione provenerint, non ſatis liquere: Epiſtolas Ioannis videri eſſe ex vetere illa translatione, vel mera, vel ab alio quopiam poſt Hieronymi tempora recenſita; atque ita translationes V. Tti, quæ non ſunt Hieronymi, ſed & novi eas, quas Hieronymus recognovit tantum, emendavitque, non eſſe unius interpretis, nec ſtilum habere eundem.

NICEPHORI Canon ſcripturarum. 6. Ex V. C. Carpenſi.

ADRIANI Iſagoge ſacrarum literarum, & antiquiſſimorum Græcor. in prophetas fragmenta. 10. Edita ſunt a Dav. *Hæſchelio* ex MSS. codicibus. Sunt autem, Synopſis prophetiarum, incerto auctore: *Heſychii* presbyteri ieruſalemitani, ςιχηρον ſiue κεφαλαια in XII. prophetas minores, & in Eſaiam: Io. *Chryſoſtomi* argumentum in Ieremiam; *Theodoriti*, & *Polychronii* in Ezechielem: *Africani* & *Origenis* Epiſtolæ mutuæ de hiſtoria Suſannæ: Synoptica hiſtoria de vita & obitu prophetarum, incerto auctore.

Chriſtoph. HELVICI Deſiderium matris Evæ, Gen. 4, 1. p. 54. Vbi verba illa contra Io. *Calvinum*, Dan. *Pareum*, & Io. *Piſcatorem*, ſic interpretatur: *Poſſedi virum Dominum.*

EIVSDEM Proteuangelion paradiſiacum. *Gen*, 3, 15. p. 65.

Io.

Io. BVTEO de Arca Noæ. 84. Inquirit in formam & capacitatem eius, ac ſentit, eam conſtitiſſe 4. contignationibus, quarum infima, ubi & ſaburra, fuerit recipiendo ſtercori, ſecunda pro beſtiis maioribus, tertia pro minoribus, & ſumma pro hominibus & volucribus ſeu animantibus domeſticis: in ſingulis etiam tribus ſuperioribus apothecas pro aſſervando victu, tectumque habuiſſe ab utraque parte faſtigium cubitale, & totam arcæ capacitatem fuiſſe 450. millium cubitorum, quorum unus eſt ſequipedalis.

Matth. HOSTI in fabricam arcæ Noæ Inquiſitio. 103. Qui fere a prioris ſententia non diſcrepat.

Mart. HELVICVS de Vaticinio Iacobi, *Gen.* 49, 10. p. 113. Erat hæc diſputatio ebraica, cuius ſenſus hic latine exprimitur, ac tandem concluditur, inde usque a Davide in familia Iudæ ſemper fuiſſe principatum, at ſub Herode eum penitus deſiiſſe.

Moſaicarum & romanarum legum Collatio, cum notis P. PITHOEI. 149. Ex integris *Papiniani, Pauli, Vlpiani, Gaii, Modeſtini*, aliorumque iuris auctorum libris ante tempora Iuſtiniani Imp. deſumpta. Eiusdem Imp. IVSTINIANI Novellæ conſtitutiones III. IVLIANI, anteceſſoris CPtani, dictatum de Conſiliariis. Eiusdem Collectio de contutoribns.

Georg. RITTERSHVSII Ἀσυλία, ſeu de Iure aſylorum. 213. Edita primum Argentorati A. 1624. 8. Agit auctor de aſyli nomine, definitione, diviſione, aſylis perſonalibus & locis privilegiatis, auctoribus & fundatoribus aſylorum, perſonis quæ iure iſto frui queant, quo ſe modo transfugæ gerere debeant, de proceſſu contra eos, qui iſtud ius immerito arripiunt, de exemplis nobilium aſylorum, de laudibus eorum, quibus inviolabilia fuere aſyla, de iure remiſſionum, aſylis ſublatis, & quatenus tolerari debeant, deque his, qui ad ſtatuas confugiunt.

Matth. HOSTI in hiſtoriam monomachiæ Davidis & Goliathi, 1. *Reg.* 17. Inquiſitio. 277. In qua agitur de occaſione huius monomachiæ, Goliathi proſopographia, gigantibus & aliis monſtroſis hominum ſtaturis, de Goliathi ſtatura, armatura & moribus, de monomachiæ legibus, Davidis proſopographia, armatura & colloquio, conflictu & victoria, denique de iis, quæ victoriam ſecuta ſunt.

Digitized by Google

Mich. ROTHARDI Samuel redivivus & Saul αυτοχειρ. 303. Evolvit ac decidit auctor duas quæſtiones: 1. an Samuel, quem eduxit pythoniſſa rogatu Saulis, fuerit verus, nec ne? 2. an Saul damnatus? Priorem negat, poſteriorem adfirmat.

Leonis ALLATII de engaſtrimytho Syntagma. 331. Oſtendit, εγγαστριμυθους eſſe ventriloquas, alias dictas euryclitas & pythomanteis, in quibus ſpiritus malus e quacunque humani corporis, maximeque muliercularum parte, potiſſimum autem e podice voce exili & ſtridula loquitur, & ſciſcitantibus reſpondet: ac talem fuiſſe pythoniſſam, quam conſuluit Saul, nec illam verum Samuelem evocaſſe & exhibuiſſe, ſed totam illam apparitionem fuiſſe meras præſtigias a dæmone ipſo confictas. Ab eodem Allatio ſubiicitur *Origenis* de iſta ventriloqua narratio, eiusque ab *Euſtathio*, archiepiſcopo antiocheno, formata refutatio, interprete Allatio. p. 407. 419.

Gaſp. VARRERII de Ophira regione, 3. *Reg.* 9, 28. & 10, 11. & *Paralip.* 8, ult. Commentarius. 463. Quo contra Fran. *Vatablum*, & Raph. *Volaterranum* (quorum ille credit fuiſſe Hiſpaniolam, oceani occidentalis inſulam, hic Sofalam, æthiopici oceani inſulam) diſputat, & *Rabanum Maurum*, atque Nicol. *Lyranum* ſequens, ſtatuit eſſe apud Indos, in oriente.

Wilh. SCHICKARDI oratiuncula de feſto Purim cum Annotationibus. 481. Feſtum *Purim* ſunt iudæorum bacchanalia, quibus præmittunt ieiunium, in memoriam nefarii conatus *Hamani*, qui per ſortes (unde Purim, vocabulo perſico, ſortilegium) urnæ immiſſas, ecquisnam dies iudæis auſpicatior eſſet, arte geomantica ſciſcitatus eſt, omnes iudæos in oriente uno die interfecturus. Incidit hoc feſtum in noſtrum fere Februarium. In epiſtola dedicator. huic tractatui præmiſſa monet auctor philoſophiæ magiſtros, adhuc ſtudioſos, ne amœniora hæc ſtudia ſeponant, tempusque inutilibus perdant diſputatiunculis.

Mart. HELVICI diatribe de LXX. hebdomadibus Danielis. *Dan.* 9, 24. p. 501. In qua præter textus ebræi explicationem XI. verſiones, nimirum tres græcæ, quatuor latinæ, & totidem germanicæ, inter ſe conferuntur, & partim confirmantur, partim examinantur.

Bened.

Bened. ARIAE Montani Antiquitates iudaicæ. 523. Sunt libri IX. in quibus diſſeritur de gentium ſedibus primis, orbisque terrarum ſitu, terræ promiſſæ partitione, XII. gentibus, antiquæ Ieruſalem ſitu, ſacris fabricis, ſacris veſtimentis ornamentisque, menſuris ſacris, actione aut minutioribus ritibus, ſeculis & chronologia. Hi libri ſub titulo *Apparatus biblici*, etiam adiecti ſunt Magnorum Bibliorum operi, quod excudit Plantinus. Variis quoque figuris, quæ & hic conſpiciuntur, ornati ſunt, ut, Tabula geographica antiquiſſimorum habitatorum, a Moſe deſcriptorum, p. 553. Terra ſancta, in tribus XI. diſtributa. p. ead. Terra Canaan tempore Abrahami, 581. Antiqua Ieruſalem, 595. Arca Noæ, 604. Tabernaculum, 616. Templum hieroſolymit. ibid. Idem cum atriis, cellis, porticibus, puteo, ſede regia, menſa ad preces, & arca oblationum, ibid. Idem cum porticu & cellis, atque interioris ornamenti ſpecimine, 620. Sacri in tabernaculo apparatus partes, ut, altare holocauſtorum, altare thymiamatis, candelabrum, arca fœderis, menſa panum, & varii aſpectus tabernaculi. 621. Veſtimenta ſacerdotalia. 633. Siclus. 658. De Antiquitatibus iſtis ſiniſtre iudicat Ioſ. Iuſtus *Scaliger* in Scaligeran. p. 170. inquiens: *Legi Antiquitates iudaicas, quæ vilis pretii opus ſunt.* Nec melius de eius Apparatu Rich. *Simon* Crit. S. V. T. l. 3. c. 17.

Bonaventura Cornel. BERTRAM de Rep. ebræorum, recenſitus & commentariis illuſtratus a Conſtant. L' *Empereur*. 739. Bertramus, quæ maxime ſcitu neceſſaria putavit, e SS. literis, Ioſepho, Talmudiſtis & Rabbinis methodo facili congeſſit, L' Empereur autem quædam addidit, quibus non nulla corrigerentur, minus plene enarrata explicarentur, dubiaque confirmarentur. Deeſt autem heic locorum ſcripturæ illuſtratorum Index, quo prior editio eſt inſtructa.

Pet. CVNÆVS de Rep. hebræorum. 811. Auctor in præfatione ſe ea omiſiſſe ait, quæ ante ſe dixerunt *Sigonius* & *Bertramus*, attuliſſe autem, quæ aliunde ſibi in promptu erant, bonam vero eorum partem debere *Maimonidi*, cuius induſtria ſagacitasque omni prædicatione ſit maior. Vide etiam Mich. *Walther*. Offic. bibl. 238. apud Buddeum de Moderam. inculpat. tut. 42.

Caſp. WASER de antiquis numis Hebræorum, Chaldæorum & Syrorum, quorum S. biblia & Rabbinorum ſcripta memi-

nerunt. 925. Additæ etiam ſunt figuræ variorum numorum, p. 929. ubi ad numum ſolis, in cuius averſa parte eſt roſa cum inſcriptione ΡΟΔΙΟΝ, legendus eſt *Seldenus* de I. N. & G. l. 2. c. 8.

Idem de antiquis menſuris Hebræorum. 1037.

Edovard. BREREWOOD de Ponderibus & pretiis veterum numorum. 1093. Qui quidem in uſu erant apud Ebræos, Aſiaticos, Græcos & Romanos.

Bonav. Corn. BERTRAMI Lucubrationes franckenthalenſes. 1117. Nomen habent ab oppido Franckenthal, ubi auctor aliquando docuit, ſuntque illa ſpecimen aliquod interpretationum & expoſitionum difficiliorum ſacræ locorum.

Ant. NEBRISSENSIS Quinquagena. 1165. Eſt L. ſacræ ſcripturæ locorum explanatio, ordine alphabetico, & quidem tertia duntaxat; duæ autem priores adhuc deſiderantur, nec conſtat, ubi deliteant.

Io. Clem. DRVSII Animadverſorum libri II. 1211. In quibus varia traduntur, quæ ad ſacrarum literarum intelligentiam faciunt.

Eiusdem Parallela ſacra. 1261. Vbi V. Tti loca, quæ in novo citantur, cum ipſis hiſce N. Tti locis componuntur & conciliantur; Nec diffitetur auctor, ſe ſe aliorum interpretum laboribus adiutum fuiſſe, eaque opus edere conditione ac lege, ut ſibi poſthac liceat omiſſa addere, & prava corrigere.

Eiusdem Obſervationum ſacrarum libri XVI. 1328. Ex editione nova, qua multa mutata & correcta, inſuper libri IV. adiecti ſunt. Laudat quoque auctor in epiſtola dedicatoria illuſtriſſimorum STATVVM GENERALIVM conſilium de nova Bibliorum translatione belgica, nec tam novam ait requiri, quam ut vetus iis in locis, ubi manifeſte corrupta eſt, emendetur. Ceterum linguæ ſanctæ cognitionem commendat, quippe qua nihil ad S. literarum intelligentiam ſit magis neceſſarium. Vt autem hæc fideliter ac diligenter doceatur, duos minimum in quavis academia requiri profeſſores, quorum unus grammaticam doceat, alter ſcripturam ebræam interpretetur, ita ut ſecretiora linguæ aperiat, locos Scripturæ diligenter inter ſe conferat, hiſtoriam ritusque ebræorum illuſtret, & variantes interpretationes examinare, veram autem & germanam auditoribus ſuis explicare valeat: ſingulas vero academias uno poſſe contentas eſſe, ſi elementa grammatices

in

Digitized by Google

in ſcholis traderentur minoribus. Et hoc repetitur in præf. tractatus de Tetragrammato p. 2144.

Eiusdem Quæſtionum ebraicarum libri III. 1495. Quibus eiusmodi quæſtiones proponuntur, quæ ad literaturam ebraicam, & interpretationem V. Tri ſpectant.

Eiusdem Proverbiorum libri V. 1589. In quibus explicantur proverbia ſacra, & ex SS. litteris orta: item ſententiæ Salomonis, allegoriæ &c. Sub voce *Proverbiorum* autem intelligit non tantum proverbia ſacra proprie talia, quæ e ſacris litteris collecta, ab earumque ſcriptoribus uſurpata ſunt, verum etiam improprie dicta, quæ ex illis prioribus orta. Prioris generis proverbia magnam partem claſſe prima comprehenduntur, ſicut poſterioris in claſſe ſecunda.

BEN SIRÆ Proverbia, a I. *Druſio* in latinam linguam converſa, & commentario illuſtrata. 1869. Eis acceſſerunt Adagiorum decuriæ aliquot, a Druſio ex Thalmud, aliisque ebræorum ſcriptis collecta; in quibus etiam multa chaldaica inveniuntur, & unum arabicum.

Io. DRVSII Miſcellaneorum Centuriæ II. 1932. In quibus præter ſcripturas, varia theologorum, *Auguſtini* præcipue, loca illuſtrantur aut emendantur. Collegit ea Druſius Oxoniæ in principio ſuæ profeſſionis.

Idem de Haſidæis. 2005. Vbi aſſeritur, Haſidæos, quorum mentio fit 1. *Mach.* 2, 42. & 7, 13. nec non 2. *Mach* 14, 6. fuiſſe phariſæos: nam poſt prophetarum obitum iudæos de ſuo legi addidiſſe ſupererogationes, interque eos primas tenuiſſe *Haſidæos*, qui fuerint quaſi fraternitas quædam, ſupererogationes & voluntarias illas functiones nemine cogente obſervans. Et hactenus nullas fuiſſe ſectas inter iudæos. Poſtquam vero ſupererogationis præcepta in canones & ſcripta ſunt redacta, tunc dubia & altercationes ortas, atque hinc nata duo dogmatiſtarum genera, quorum unum legi duntaxat ſtudebat, alterum legi cum auctario: ex illo prodiiſſe *Karraim* & *Sadducæos*, ex hoc *Phariſæos*; & hos ſupererogationis ſtudium, quod antea voluntarium erat, pro neceſſario venditaſſe; atque inde etiam *Eſſenos* originem traxiſſe, quorum politia & ordo Phariſæorum inſtituto longe accuratior & ſeverior fuerit, cumque vere pii fuerint, nomen חסידים ſeu piorum peculiariter iis adhæſiſſe; ut adeo illud, quod omnes pios complectitur,

ſtitur, 1. ad fraternitatem ſupererogationum, 2. ad Phariſæos, 3. ad Eſſenos reſtringatur. Huius ſententiæ erat etiam Ioſ. Iuſtus *Scaliger*; ambo autem nacti ſunt adverſarium *Serarium* in Trihæreſio & Minervali.

Eiusdem Henoch. 2029. Vbi diſputat, an ille ſit mortuus, nec ne? & utrumque dici poſſe pertendit: non mortuum quidem, 1. quia iuſtus erat, quales in morte ſua vivunt. 2. quia ſcriptura in deſcriptione raptus eius non utitur vocabulo mortis. Sic etiam de *Melchiſedeco* dici, eum fuiſſe ſine patre & matre, quoniam ſcriptura eorum non meminerit: mortuum autem, 1. quia ſacræ litteræ eiusmodi verba uſurpent, quæ commode de morte accipi poſſint, quando dicat, eum *non fuiſſe*, ſcil. in vivis, & *raptum eſſe*, id eſt, ante tempus mortuum, aut ſubitæ mortis genere exſtinctum. Verba autem apoſtoli, *ne videret mortem*, ſic explicari poſſe ex libro Sapientiæ, ne malitia mutaret eius ingenium; veritum enim eſſe Deum, ne ſui vitiis ſæculi corrumperetur, ideoque eum ante tempus e medio ſuſtuliſſe.

Eiusdem Quæſita per epiſtolam. 2046. In hisce epiſtolis aut quærentibus reſpondet auctor, aut ipſe ex aliis quærit, & quidem in commodum translationis Bibliorum belgicæ: multa hic continentur ſcitu iucunda & utilia, inque primis loca illa examinantur, quæ ebræi a LXX. interpretibus corrupta eſſe tradunt; his etiam adiecta ſunt multa ad ſacram antiquitatem & hiſtoriam pertinentia.

Eiusdem Elohim, ſive de nomine Dei: cum notis, in quibus epiſtola Hieronymi CXXXVI. ad Marcellam explicatur. 2111. Tractatur quæſtio, an nomine *Elohim* ſignificetur pluralitas in divinis? & negatur, atque in partes vocantur *Caietanus*, *Bellarminus*, *Calvinus* & *Danaus*.

Eiusdem Reſponſio ad quæſtiones anonymi theologi e Germania. 2132. Eiusdem argumenti.

Eiusdem Tetragrammaton, ſeu de nomine Dei proprio. Cum Additamentis & notis. 2141. Vbi probare laborat, יהוה non eſſe pronunciandum Iehova, ſed Adonai, præmittens teſtimonia *Concilii viennenſis*, Guil. *Poſtelli*, Melch. *Nunneſii* ieſuitæ, & Iacobi *Navarchi* de cognitionis linguæ chaldaicæ ſiue ſyriacæ & arabicæ neceſſitate.

Pauli

Pauli DE S. MARIA Quæſtiones de nomine divino, cum Scholiis I. *Druſii.* 2180. Per *nomen divinum* intelligit tetragrammaton, ſeu quatuor nomen literarum, ipſeque teſtatur, apud ebræos illud non efferri, uti ſcribitur, ſed per Adonai. *Druſius* autem defendit Paulum contra *Doringium.*

Tractatus in Tomo VII.

Nic. FVLLERI Miſcellaneorum ſacrorum libri VI. pag. 1. Quorum priores tres mendoſiſſime primum fuerant editi. Atque in hoc opere id agit auctor, ut archetypam Bibliorum ſacrorum veritatem illuſtret, locutionum formulas verbaque ſingula ſparſim & permiſte animadverſa exponat & declaret, nec non ſacrarum literarum verſiones, præſertim antiquas exploret, atque inter ſe, & cum textu ſacro, maxime ebræo, comparet.

Sam. PETITI Variæ lectiones. 321. In quibus eccleſiæ utriusque fœderis ritus moresque antiqui, nec non ſacri eiusdem, ut & eccleſiaſtici ſcriptores illuſtrantur, explicantur, atque emendantur.

Simeonis de MVIS Varia ſacra, variis e Rabbinis contexta. 391. Et quidem iis præſertim, qui litteralem attingunt ſenſum; ubi tamen auctor ſuum interdum iudicium interponit.

Io. GREGORII Notæ & obſervationes in aliquot loca ſacræ ſcripturæ. 550. Prodierunt idiomate anglicano, Oxoniæ A. 1646. 4. latinæ autem redditæ per Rich. *Stockes*, Londini 1660. Quamvis auctor hic non audeat de ullis accidentibus vitæ Servatoris noſtri ex aſtrorum aut planetarum influentiis iudicare, placet tamen ei figuram natiuitatis illius apponere pag. 613. eandemque exponere.

Pauli FAGII Tranſlationum præcipuarum V. Ti inter ſe variantium Collatio. 621. Non autem ulterius ſe extendit, quam usque ad Exodi caput 34. Quamquam auctoris propoſitum erat, eandem operam reliquis etiam ſcripturæ libris impendere. Ceterum hunc ille ſcopum ſibi habebat præfixum, ut ex veritate ebraica cauſas variationis oſtenderet, ſicut ipſe indicat in præfatione, ubi & vulgatam verſionem latinam defendit, adfirmans, eam primo ſuo auctori, quisquis fuerit, non temere excidiſſe. Atque

hæc Collatio laudatur a *Cartvvrighto* in præfat. in Annot. in Gen. (T. I. Supplem. Crit. ſacr. d)

Chriſtoph. CARTWRIGHTI Mellificium hebraicum. 729. Idque conſtat variis obſervationibus, quæ ex Ebræorum, præſertim antiquorum, monumentis depromptæ, unde plurima cum veteris, tum novi teſtamenti loca vel explicantur, vel illuſtrantur, & alia multa notatu digna in lucem proferuntur.

Fr. LVCÆ Notationes in SS. biblia. 915. Vbi variantia diſcrepantibus exemplaribus loca ſingulari ſtudio diſcutiuntur eo conſilio, ut pura & integra redderetur vulgata verſio latina: ad quod auctor adhibuit impreſſa exemplaria octo aut novem, ſcripta vero minimum XXXII. aut XXXIII. deinde conſuluit, ut eius verbis utar, commentaria, enarrationes, ſcholia, tranſlationes primæ, mediæ, poſtremæ ætatis auctorum, tam græcorum quam latinorum; poſt hæc adhibuit, in V. quidem Tto hebraicum, græcum & chaldaicum textum, in novo græcum & ſyriacum; poſtremo, ſi quid vel ex locorum circumſtantiis, vel ex locis ſimilibus, vel aliunde de lectionis varietate intelligi poſſet, id omne perſcrutari conatus eſt, &, ſi non ipſe iudicium ferre ſuſtinuit, tamen aliis iudicandi occaſionem præbuit.

Iac. Lopidis STVNICÆ Annotationes contra Eraſmum Roterodamum. 1229. Scriptæ ſunt hæ Annotationes pro verſione latini interpretis, qua eccleſia romana utitur, contra Eraſmi novam Teſtamenti novi tranſlationem latinam, & Annotationes in idem N. Ttum. Diſcrepantias latini interpretis a textu græco, nec non errata librariorum, quæ fortaſſe irrepſerunt in vulgatam, ſeorſum potuiſſet, *Stunica* iudicio, annotare Eraſmus, at non debuiſſet totum novi fœderis corpus denuo transferre, immutare vetera, & antiquum interpretem errorum, abſurditatum, & barbariei accuſare.

ERASMI Apologia. 1337. Qua reſpondet ad ea, quæ Iac. Lopis *Stunica* in N. ſuo Tto taxaverat.

Marquardi FREHERI Diſſertatio de numiſmate cenſus, *Matth* 22, 10. 21. pag. 1407. Qua ille ſtatuit, intelligi certum monetæ genus, & quidem argenteum, in ſignum ſubiectionis & recognitionem dominatus cæſarei; denariumque Cæſaris, a Phariſæis exhibitum, fuiſſe TIBERII Cæſaris, imperii habenas tunc regen-

gentis, privigni & adoptivi AVGVSTI Imperatoris, nec niſi unum denarium, qui merces diurna fuit unius operarii, & ſtipendium diurnum unius militis, pro ſingulis perſonis exactum, adeoque Chriſtum quaſi hoc modo argumentatum eſſe: Quæ Cæſaris ſunt, ita ut Dei ius nihil attingant, danda ſunt Cæſari, ut generaliter ſuum cuique. At numiſma cenſus, ſive denarius cenſualis, eſt Cæſaris, nec ad Deum attinet. Ergo Cæſari eſt dandus. Exhibet etiam aliquot figuras numiſmatum romanorum. Iudicium vero de hac Diſſertatione promit *Patinus* in Hiſtor. numiſmat. c. 24. p. 202.

Wilhelmi KLEBITII Diſſertatiuncula de buccella intincta, quam comedit Iudas proditor, an fuerit panis euchariſtiæ? 1435. Sed negat, quia buccella illa fuit porrecta in cœna agni paſchalis, quæ ſacram cœnam præceſſit: negat etiam, proditorem euchariſtiæ interfuiſſe.

Matthæus HOSTVS de hydriarum VI. capacitate. *Ioh.* 2, 6. pag. 1441. In hac Diſſertatione menſuræ quædam veteres cum francofurtenſibus ad Oderam conferuntur, & concluditur, ſi ſingulæ hydriæ binas metretas (liceat enim cum *Catone* ICto & *Plauto* hoc vocabulum in femineo uſurpare genere) ceperint, tum ſex hydrias continuiſſe ſtufas (*Stübichen*) 97. & noſſellam (*Nöſſel*) unam cum tribus quintis, ſeu tonnas francofordianas tres, ubi reſtant quartæ (*Quartire*) 58. cum ſemiſſe: ſin vero ſingulæ hydriæ ternas ceperint metretas, ſex feciſſe ſtufas 145. cum tribus quartis, & duabus noſſellæ partibus, ſeu tonnas francofordianas 5. ut reſtent quartæ 33. cum duabus quintis noſſellæ partibus.

Guil. ADERI Enarrationes de Ægrotis & morbis in euangelio. 1445. Quorum dum explicantur morbi, eorum patria, temperies, ætas, & vitæ conditio inveſtigatur, hosque arte medica incurabiles, quod ante hac, ut ipſe gloriatur, præſtitit nemo, demonſtratur. Præſente ægroto, ait idem in præfatione, dignoſcendi & iudicandi regula prima ab illius temperie & habitu petitur, qua viſa & mente perpenſa de morbo & eius eventu iudicare difficile non eſt; at de abſentibus, arte inverſa, audito videlicet a relatore morbo & accidentibus, iudicandum, videlicet de temperie ægrotantium ex alterius narratione.

Digitized by Google

Angeli CANINII Diſquiſitiones in locos aliquot N. Tti. 2945. Quibus illi ex ebraicæ, ſyriacæ, arabicæ, & æthiopicæ linguarum originibus quam accuratiſſime (ſic enim titulus eſſatur) explicantur. Agitur autem de nomine *Ieſu* & *Iova*, de צעיר *Mich.* 5, 2. *Matth.* 2, 6. de *Hoſanna*, *Amen*, *Rabbi*, *Raca*, *Concilio*, *Mammona*, *Publicanis*, *Camelo per foramen acus*, *Effatha*, *Golgatha*, *Gethſemani*, *Gabbatha*, *Dimitte nobis*, *Meßia*, *Maria*, & omnium *apoſtolorum nominibus*, deque *Pane quotidiano* in oratione dominica.

Nic. FABRI Diſputatio de myrrhata potione. 2970. Eſtque illa amica & modeſta ad Card. *Baronium*, tradens, myrrhatam, vel, ſi mavis, ex ture confectam potionem Chriſto, ut aliis cruciariis, fuiſſe præbitam, quo eum conſopiret, ſed ipſum, infami crudeliſſimoque ſupplicio noſtra ſcelera luere volentem, eam recuſaſſe, ne ullum pro nobis cruciatum defugere videretur.

Ludov. CAPPELLI τρισάγιον, ſiue Templi ieruſalemitani triplex delineatio. 2973. Vna ex Scriptura iuxta mentem *Villalpandi* & deſcriptionem ab eo factam; altera ex *Ioſephi* mente & deſcriptione; tertia ex iudæorum in Talmude deſcriptione, & iuxta menſuras ab illis iſtic traditas. Hæc omnia ſunt Excerpta, prima quidem ex *Villalpando*, ſecunda ex *Ioſepho*, tertia ex Miſchna in Maſſecheth תמיד *Tamid*, item ex *Maimonidis* tract. de Domo electa. Subiungitur tractatus Talmudis, qui מדות *Middoth* dicitur, de templi ſalomonici menſuris, magnitudine & ſtructura agens, eique & Excerptis ex Villalpando notæ & obſervationes *Cappelli* adduntur, & Villalpandi lapſus indicantur atque corriguntur.

Eiusdem Hiſtoria apoſtolica. 3131. Quæ illuſtratur ex actis apoſtolorum & epiſtolis paulinis ſtudioſe inter ſe collatis, ordineque ſecundum annorum numerum accurate digeritur, & in compendium contrahitur, eiusque cum hiſtoria exotica ſeu romana connexio certis κριτηρίοις demonſtratur, ſed & ſeries epiſtolarum paulinarum, iuxta temporis quo ſingulæ ſcriptæ ſunt ordinem, oſtenditur. His additum eſt Hiſtoriæ iudaicæ, ab Aſamonæorum ſive Machabæorum tempore ad Ieruſalemi & templi per TITVM VESPASIANVM ultimum exidium, breve ex Ioſepho compendium, una cum aliis non nullis ex *Ioſepho* excerptis, templique ieruſalemitani, quale Ioſephi tempore fuit, ex ipſius mente & deſcriptione

Digitized by Google

ne ichnographia: unde variis N. Tti locis, alioquin obſcuris & perplexis, lux aliqua affulget. Et p. 3136. prædictæ Hiſtoriæ apoſtolicæ compendioſa Tabula chronologica lectoris oculis exponitur.

Deliciæ biblicæ brielenſes, ſive Io. CLOPPENBVRGII Collationes criticæ ſacræ, per epiſtolas, cum Ludovico *de Dieu*. 3226. Collationes hæ factæ ſunt A. 1632. & deinceps, & quidem de locis difficilioribus XXV. ex pſalmis, variiſque difficilioribus locis ex V. & N. Tto.

Iacobi VSSERII de Cainane, Arphaxadi filio, eiusque temporibus Diſſertatio. 3262. Qua probatur, unicum eſſe Cainanem Enoſchi filium, reliquos duos autem, alterum Semi, alterum Arphaxadi filium, qui Gen. 10. 22. & c. 11, 12. in græca editione, & hic poſterior etiam in Chriſti genealogia Luc. 3, 36. commemorantur, ſuppoſititios, neque eorum mentionem fieri ſive in textu ebræo, & paraphraſi Onkeloſi, ſive apud Ioſephum & Beroſum chaldaicum, ſive in germana LXX. interpp. editione, quæ eſt ſolius Pentateuchi, & textui ebraico exactiſſime reſpondet, ſed duntaxat in communi illa & liberiore totius veteris teſtamenti interpretatione, poſt quartum Ptolemæi philometoris annum formata: quæ quidem communis duplex ſit, altera vetus, quæ ante Origenis tempora erat in uſu, altera nova, a Luciano martyre interpolata.

In editione londinenſi iam ſequitur Matth. WREENII Refutatio catechiſmi racovienſis: ſed in noſtra hac eſt omiſſa, quia non pertinet ad criticam ſacram, ſed ad palæſtram diſputatoriam.

Fran. MONCÆII Aaron purgatus, ſive de vitulo aureo libri duo, ad Exodi c. 32. pag. 3273. Nimirum auctoris propoſitum eſt, Aaronem ab idololatriæ crimine purgare, atque oſtendere, eum non feciſſe vitulum idololatriæ cauſſa, quamvis illa poſtea ſecuta ſit, & Aaron culpam incurrerit, ſi non latam, aut levem, tamen leviſſimam, ſed ut ſymbolum eſſet gloriæ Dei Iſraëlis, quoque duce in terram cananæam migrarent; vitulum autem fuiſſe cherubum, h. e. vitulum alatum, quales bini poſtea arcæ fœderis a Moſe fuerint impoſiti. Atque ita auctor ſimul diſſerit de forma & hiſtoria cheruborum Moſis, vitulorum Ieroboami, & theraphis Michæ. Contra auctorem hunc Rob. *Viſorius* edidit Deſtructionem Aaronis purgati: quo effectum, ut Moncæii liber Romæ prohiberetur. *Chevraana* 422.

Io. Antonidæ VAN DER LINDEN Exercitatio ad verba *Actor.* 2, 13. *Vini pleni.* pag. 1929. Oſtendit, iudæos iſta verba evomuiſſe cum ſanna & geſtu contumelioſo, perque γλευκος intellexiſſe non muſtum, quod tunc temporis non dabatur, ſed florem vini, ſeu vinum valde generoſum, & facultate inebriandi præditum, apoſtoli autem *Petri* reſpondentis hanc eſſe mentem: illos male de ipſis iudicare, eſſe enim tertiam ab orto ſole horam diei ſanctæ & feſtæ, deſtinatam offerendo in ſacrificium agno, qua nemo niſi extreme impius vino ad ebrietatem usque ſe ingurgitare ſoleat.

Húg. GROTII de Veritate religionis chriſtianæ libri VI. cum ipſius auctoris annotatis. 1981. Quos auctor idiomate belgico in carcere ſcripſit. Libro I. agitur de religionis, Dei, & divinæ providentiæ certitudine & exiſtentia, deque immortalitate animarum: II. de religionis chriſtianæ veritate ac certitudine: III. de divina librorum V. & N. Tti auctoritate: IV. diſputatur contra paganos. V. contra iudæos. VI. contra mahumetiſtas. Qui libri omnium optime & accuratiſſime editi ſunt a Io. *Clerico* Amſtelodami 1709. 8. & in complures linguas verſi, non tantum europæas, ſed etiam orientales, ut arabicam & perſicam, meritoque laudantur a *Colomeſio* p. 822. atque in *Extractis menſtruis*, quæ ſub directione illuſtris Leibnitii prodierunt, A. 1701. m. Mart. p. 64. nec eis nocere poſſunt ſiniſtra *Mareſii* & *Vedelii* iudicia apud Cren. Animadv. P. IIX. 204. Plures auctores, qui de V. R. C. ſcripſerunt, indicantur a M. F. *Dyrois* in Probat. & præiudic. pro relig. chriſt. (Act. erud. 1683. 367.) & I. Alb. *Fabricio* Biblioth. gr. l. 7. 96. interque eos, *Struvii* in Biblioth. philoſ. 94. iudicio, præcipuus haberi debet Eduard. *Stillingfleet.* Io. *Henichius* A. 1667. iſtos Grotii libros non refutavit, uti quidem *Tentzelius* refert in Colloq. menſtr. A. 1693. 230. ſed prolixius tantum explicuit.

In Tomo I. & II. Supplementorum

Continentur partim Annotationes in libros biblicos, partim Tractatus. Nos autem in recenſione hac divellemus ordinem, & primo Tractatus, deinde Annotationes commemorabimus, ea fini, ut hæ ſeorſum & quaſi in tabula ſimul queant conſpici. Neque tamen hoc prætereundum, in Tomo I. exhiberi Io. DRVSII, Sixt.

Sixt. AMAMÆ & Chriſtoph. CARTWRIGHTI Notas in Geneſin, Exodum & Leviticum. Et Druſianæ quidem, ſunt maiores, ut vocantur; Cartwrightianæ, Electa thargumico-rabbinica; Amamanianæ vero, ex parte in Antibarbaro eius biblico continentur. Præmittitur Faſciculus, ſiſtens Sixt. AMAMÆ Cenſuram vulgatæ verſionis, cum excerptis ex Fr. *Luca* libello altero variarum lectionum in Bibliis latinis, 2. Vitam Hug. Grotii, cum epiſtolis ſereniſſimi Principis naſſov. *Fr. Henrici*, & auguſtiſſimæ Suecorum reginæ CHRISTINÆ, teſtantibus de amore & æſtimatione magna, quam apud ipſos obtinuerit Grotius. 3. *Cartvvrichti* Præfationes in Electa thargumico-rabbinica, quibus commendat ſtudium ebrææ linguæ & rabbinicorum ſcriptorum ad recte intelligendos ſcripturæ ſacræ fontes. Editor autem in præfatione promittit, quæcunque Batavi operi Criticorum ſacrorum in poſterum aſſuturi ſint, ſeſe fideliter recuſurum, & tandem Indicibus locupletiſſimis coronidem ei impoſiturum.

In Tomo II. Supplementorum.

MOSIS BAR CEPHÆ tractatus de Paradiſo. 327. Quem ſtatuit fuiſſe in oriente: homines tantiſper in eo manſuros fuiſſe, priusquam traducerentur ad regnum cœleſte, donec prole & poſteris æquarent lapſorum numerum angelorum: paradiſi incolas ſine concubitu generaturos fuiſſe.

D. BASILII Anaphora, ſeu Liturgia. 435. Quæ brevior eſt quam græca, adeoque ſimplicior & purior. Vid. *Rivetus* Crit. ſacr. l. 3. c. 20. *Cocus* in Cenſura 252. *Cave* Hiſt. liter. 136. Subiungitur etiam *Baſilii* oratio poſt operationem ſacrorum. 448.

MOSIS MARDENI Fidei profeſſio. 456. Romæ edita A. 1552.

SVLAKÆ ſiue SIVD Fidei profeſſio. 456. Ore & ſcripto edita Romæ A. 1553. Cui præmittuntur duæ Epiſtolæ, altera *Populi neſtoriani* in Mozal, altera LXX. *Neſtorianorum*, qui patriarcham ſuum Ieruſalemum deduxerant. In utraque Papa romanus agnoſcitur & ſalutatur Chriſti Vicarius, & Pater univerſi populi chriſtiani, eumque rogant, ut electum patriarcham, ſive, ut vocant, Catholicum ſuum ordinet, eique poteſtatem det conferendi gradus eccleſiaſticos, & ut ligare poſſit & ſoluere pro conſuetudine Pa-

Patrum & Canonum apoſtolicorum. Enim vero ſciendum, Chriſtianos, qui præter Græcos & Armenos, per Syriam, Perſiamque, & reliquas orientis regiones paſſim habitant, in 4. fere ſectas diſtingui, videlicet in Neſtorianos, Iacobitas, Maronitas, & Ægophtos, qui & Cophti appellantur. *Iacobitæ* ab Euthyce & Dioſcoro profecti, hæreſes eorum maxima ex parte abdicaſſe videntur, niſi quod ſententiam de una Chriſti natura pertinacius retineant. Hi paſſim ſuas per orientem habent eccleſias, ſed non admodum frequentes. *Maronitæ* romani Pontificis doctrinam plane obſervant, ſed fere non latius, quam ſe mons Libanus porrigit, habitationes ſuas extenderunt. *Ægophti* vero (ſic enim Syri vocant) magis ad Ægyptum vergunt, unde nomen habent, & ad Habeſſinos atque Æthiopas. At *Neſtoriani* & late, & magno numero per univerſum orientem ſuos habent cœtus ſacros, & in una Mozal, quæ eſt Seleucia Parthorum ad Tigrim, ubi & Patriarcha eorum ſedere ſolet, XV. ædes ſacras. Iam cum ſedes hæc A. 1551. vacaret, populus neſtorianus tam ſacri, quam profani ordinis, primo in Gezerta, Tigris inſula, deinde in urbe Mozal congregatus, unanimiter elegit *Sulacam*, arabice *Siud* dictum, virum ſpectatæ pietatis, nec contemnendæ eruditionis. Cum vero non haberent 4. aut minimum 3. Metropolitanos, qui eum ordinarent, veterum autem traditione, & *Marai* exemplo, quod contigit ſeculo XII. conſtaret, tali in caſu electum Romam mittendum eſſe ad Pontificem, tanquam principis apoſtolorum ſucceſſorem, ideo & Siudum literis commendatitiis, tribusque comitibus, viris honeſtis, quorum duo tamen in itinere mortui ſunt, inſtructum ad urbem ablegarunt, qui ibi per manus Papæ, ſicut & poſtea factum, ſollemni ritu conſecraretur. Atque ſic nata eſt eius Profeſſio, quam publice in actu conſecrationis recitauit. Hæc ex relatione Andr. *Maſii*, quæ legitur in Dedicat. ad Augerium a Busbeck p. 436. Atque hæc IV. ſcripta, quæ commemoravimus, videlicet Moſis Bar Cephæ, Baſilii, Moſis Mardeni, & Siudi, cum binis Neſtorianorum Epiſtolis, idem *Maſius* ex ſyriaco tranſtulit in latinum.

Pet. Dan. HVETIVS de navigationibus Salomonis. 693. Vbi putat, naves Hirami Tyro Aſiongabarem per alveum a Nilo ad Mare rubrum eſſe transmiſſas; Ophiram eſſe Sofalam, ad Africæ oram orientalis, Tharſim autem, oram occidentalis Africæ & Hiſpa-

Hiſpaniæ, & in primis loca Bætis oſtiis proxima; navigationem quoque circa Africam iam Salomonis tempore frequentatam: *Par, Vphar*, & *Parvaiim* nihil aliud eſſe quam Ophir: ligna *almuggim* eſſe thya, ſeu citrum: *ebur* non tantum de elephantino, ſed etiam de eo, quod dant hippopotami, intelligendum: *thukkiim* eſſe pſittacos, *tharſis* gemmam chryſolithum.

Eiusdem tractatus de Situ paradiſi terreſtris. 737. Nunc primum latine redditus, ab auctore recognitus, emendatus, & auctus. In eo hanc tenet ſententiam, paradiſum terreſtrem in parte Edenis orientali extrema ſitum fuiſſe, prouinciæ Babyloniæ vel Irachiæ, quæ per longum tractum ad communem duorum fluviorum, Tigridis & Euphratis, rivum ſe extendebat, prope locum, ubi antiqua urbs Erech aut Aracca fuit: *Chavilam* eſſe partem Arabiæ, verſus extremitatem ſinus perſici, h. e. incipientem ab occident. oſtio illius alvei, qui ex Euphratis & Tigridis confluxu oritur, *Phiſon* dictus, & pertingentem verſus meridiem iuxta latus occidentale eiusdem ſinus, usque ad Catipham: per *bdolach* intelligi margaritas: de *ſchoham*, quem alii onychem ſeu ſardonychem, alii praſinum, alii ſmaragdum, alii aliter vertunt, nihil certi afferri poſſe; fuiſſe autem ſine omni dubio lapidem pretioſum, qualibus Arabia admodum fœcunda fuerit: *Gichonem* eſſe alveum orientalem inter duos illos, qui confluentem Euphratis atque Tigridis in duos ramos dividunt: *Chiddekel*, *Diglath*, & *Tigridem* eſſe eiusdem fluvii nomina diverſa, deque eo dici, quod vadat verſus Aſſyriam, intuitu quidem paradiſi terreſtris, & pro diſpoſitione alvei ipſius Tigridis.

Tabula Annotat. in libros biblicos.

Io. DRVSII, Sixt. AMAMÆ, & Chriſtophori CARTWRIGHTI Notæ in Geneſin, Exodum, Leviticum. In Tomo I. Supplement.	Gen. Exod. Levit.
DRVSIVS & AMAMA in librum Numerorum. In Tomo II. Supplem. p. 1.	Numer.
AMAMA, & partim *Maſius*, in Deuteronom. 256.	Deuteronom.
MASIVS & AMAMA in Ioſuam. 459. Et hæ quidem Maſii Annotationes diſtinguendæ	Ioſ.

 ſunt

ſunt ab eiusdem Commentario prolixiore, qui Tomo I. Criticor. ſacror. inſertus eſt.

AMAMA in librum Iudicum, Ruth, libros Samuelis, Regum, Paralipomenon. 545. — Iud. Ruth. Sam. Reg. Paralipom.

AMAMA in Eſtheris librum & Pſalmos. 789. — Eſther. & Pſalm.

Auguſtin. IVSTINIANVS in octapla Pſalterii. 1144.

DRVSII Scholia in B. *Hieronymi* verſionem Pſalterii. 1212.

Idem in Pſalmos XIX. priores. 1237.

AMAMA in Proverbia. 1402. — Proverb.

DRVSIVS in Proverbia, iuxta ordinem alphabeti per locos communes digeſta. 1463.

AMAMA in Eccleſiaſten. 1528. — Eccleſiaſt.

DRVSIVS in tria capita priora Ieſaiæ. 1666. — Ieſ.

MASIVS in cap. 2. 3. 4. Ieremiæ. 1675. — Ierem.

DRVSIVS in Hoſeam, & reliquos minores prophetas, excepto Malachia. 1677. — Proph. minor.

MASIVS in quædam capita IV. euangeliſtarum. 1783. — IV. euangel.

Claudii SALMASII, ſub nomine Ioannis *Simplicii*, Notæ in Hug. Grotii Commentar. ſuper 2. Theſſal. 2. p. 1790. Sed errat, quicunque hoc rubrum fecit: Simplicius enim iſte neque Salmaſius eſt, neque Marcſius, ſicut Th. *Ittigio* in Diſſert. de Hæreſiarchis, & Io. Frid. *Mayero* in Biblioth. bibl. p. 156. videbatur, ſed Ionas *Slichtingius*, teſtibus *Placcio* de Pſeudon. 569. *Clerico* in Biblioth. ſel. T. II. 265. & *Heumanno* de Anon. & Pſeudon. 153. Videtur autem, errorem exinde ortum eſſe, quod *Simplicius Verinus* (quem Claud. Salmaſium eſſe aiunt) ſcripſit ad Iuſtum Pacium epiſtolam ſive Iudicium de libro poſtremo H. Grotii, Hagiopoli impreſſum A. 1646. atque ſic confuſus eſt Ioannes Simplicius cum Simplicio Verino. — 2. ad Theſſal. 2.

Nar-

Nortoni KNATCHBVLLI Animadverſiones in libros N. Tti. 1825. Iuxta alteram, eamque emendatam editionem. Exponuntur & reſtituuntur ab auctore ſexcenta & amplius loca. | N. T.

Iam etiam Præfationes & Dedicationes huius operis, præcipue illæ, quarum nec fecimus mentionem, nec quid inde excerpſimus, & poſtea errores quoque, a viris eruditis obſervati, indicandi ſunt.

In I. Tomo

Se ſe offerunt Præfatio Nic. *Gurtleri*, novi editoris, aut certe novæ editionis promotoris: Quatuorvirorum anglicanorum, ſeu *Collectorum operis*: Seb. *Munſteri* in novam V. Tti verſionem, pronunciantis, inepte illos agere, qui contemptis ebræis doctoribus conantur interpretari libros vet. inſtrumenti: *Eiusdem* in V. T. cuius hæc ſunt capita, ebræos commentarios non eſſe contemnendos; qua ratione conſiliove ipſius editio facta ſit; de canonicis libris V. T. & eorum ordine; quo ſtudio ſint legendi libri V. Tti, videlicet maximo, quia apoſtoli, & Chriſtus ipſe, inde teſtimonia doctrinæ ſuæ adduxerunt, eiusque auctoritate ipſum confirmarunt euangelium: P. *Fagii* in Fuſiorem expoſitionem IV. primorum Geneſeos capitum, eum in finem inſtitutam, ut inde aliqua ex parte liqueat, quantum ebrææ linguæ cognitio ad intelligendas S. litteras momenti habeat: indigniſſimam enim homine theologo rem ſibi videri, eam ignorare linguam, quæ fons eſt ſincerioris theologiæ: *Eiusdem* in paraphraſin chaldaicam latine ab ſe redditam, cum ep. dedicat. ad FRIDERICVM Electorem palatinum: Rob. *Stephani* in Biblia utriusque teſtamenti, A. 1557. edita: Seb. *Caſtalionis* in Biblia ab ipſo latinitate donata, cum dedicatione ad EDVARDVM VI. Angliæ regem, Oſtenſione viæ ad intelligendas ſacras ſcripturas, & Iudiciis doctorum virorum de hisce Bibliis: Iſidori *Clarii*, dicentis, propoſitum ſuum fuiſſe & corrigendi errores vulgatæ editionis, & loca obſcuriora explicandi: Fran. *Forerii* in Explicationem prophetarum, Iobi, Davidis & Salomonis, ubi ſingulas auctor dictiones examinat, ebræorum formulas dicendi obſervat, & vulgatum interpretem, quan-

tum fieri poteſt, defendit: alia *eiusdem* ad amicos, in commentarium Ieſaiæ: Andr. *Maſii*, cuius etiam præmittitur dedicatio ad PHILIPPVM, Regem catholicum, in græcam editionem Ioſuæ, atque Annotationes ſuas: *Eiusdem* in Commentarios in Ioſuam, cum Henr. *a Wize* epiſtola de morte Maſii: Sixt. *Amama* ante I. Druſii commentarium ad loca difficiliora Pentateuchi: I. *Druſii* de libris V. Tti, qua docetur, V. T. libros XXII. a iudæis in tres claſſes diſpertiri, videl. in Legem, Prophetas & כתובים ſive Hagiographa; hanc partitionem eſſe ab Esdra, immo a Spiritu ſancto; Davidem & Danielem exemptos fuiſſe e numero prophetarum, quod tales non eſſent ſive miſſione ſive munere, quamvis fuerint prophetæ reſpectu futurorum, quæ prædixerunt; differentiam eſſe inter prophetiam & Spiritum S. quod illa eveniat homini dormienti, hic vigilanti; minores prophetas dividi in priores & poſteriores, non ut tollatur trichotomia librorum ſacrorum, ſed ad indicandum, poſteriores, nempe Haggæum, Zachariam, Malachiam, poſt captiuitatem vixiſſe babylonicam; omnes libros canonicos eſſe propheticos, & non omnes, pro diverſa acceptione vocabuli *prophetæ*, & *libri prophetici*: *Eiusdem* in librum Ruth, in cuius annotationibus phraſes & locutiones, ebrææ genti peculiares, cum cura explicantur: *Eiusdem* in librum Eſtheræ: Bernh. *Fullenii* in Iobum Druſii, qua laudat Druſii verſionem ut planiſſimam, & Notas, ut eas, in quibus congeſtum, quidquid hebræi, græci & latini interpretes præclare protulerunt ad arduum ſacri ſcriptoris ſtilum recte intelligendum: *Eiusdem* ad Druſii fœtum poſthumum, videlicet verſionem Eccleſiaſtæ, & breves in eandem Notas, ubi refertur, Druſium ab illuſtriſſ. STATIBVS GENERALIBVS ad novam Bibliorum, ac præcipue V. T. interpretationem belgicam annuo 400. florenorum ſtipendio conductum & adiutum fuiſſe; tam male autem pinxiſſe litteras, ut Dædalo opus fuerit ad ſcripturam eius legendam: Sixt. *Amama* in Druſii Prophetas minores; cumque lectiones in IV. hosce, Micham, Haggæum, Zachariam & Malachiam, ante complures annos fuiſſent habitæ, non mirum, non nullas ſententias & expoſitiones, a quibus ipſe poſtea diverſus abiit, in iis reperiri: *Eiusdem* ad Druſii Comment. in Prophetas minores, Marino *Merſenno*, (quem neſcio cur Marſennum & hic, & in Antibarbaro biblico vocet) ordinis Minimorum Franciſci a Paula

Paula inſcripta, eiusque maledicentiam & hæretificandi (ſit venia verbo in re barbara & inhumana) ſtudium, nec non ignorantiam linguæ ebrææ acriter perſtringit, & meliorem homini mentem commendat, indicans pariter Antibarbari biblici argumentum & ſcopum: *Druſii* Epiſtola de Aquila, Symmacho, & Theodotione, trium editionum ſeu verſionum græcarum auctoribus: *Eiusdem* alia de Quinta, (initium enim numerandi fit a verſione LXX. interpretum) Sexta, Septima: *Eiusdem* Præfatio ad Tobiam, quem ex editione romana exſcribendum curavit, auctorem, Bullingeri iudicio, quod ibi mox ſequitur, multo felicius Xenophonte & Ariſtotele œconomiam tradentem: *Eiusdem* in Eccleſiaſticum; quo vocabulo non auctor libelli, ſed ſcripturæ qualitas cognominata ſit, quod nimirum ſit libellus præcipue dignus, qui in eccleſia ad populi chriſtiani ædificationem legatur; auctor autem eius eſt Ieſus, qui vixit tempore LXX. interpretum, pater Sirachi, avus Ieſu Siracidis, qui avi ſcriptum, Parabolarum titulum præ ſe ferens, alias quoque, ob ſcriptoris ſapientiam & diſciplinam, quam cum Salomone communem habet, *Sapientia Salomonis* dictum, ex ebræo in græcum tranſtulit: *Eiusdem* in librum I. Maccabæorum, qui ebraice primum ſcriptus fuit: Eduardi *Livelei* in V. minores prophetas, fatentis, perfectam quidem omnium librorum ſacrorum translationem non eſſe paucorum, nedum unius hominis, poſſe tamen illam concinnari, ſi Principes magnique Proceres ad eam rem adhiberent plures viros eruditos, qui verſiones variarum linguarum inter ſe, & cum fontibus conferrent, atque id, quod optimum eſt, ſeligerent ac retinerent. De ſuis Annotationibus ait, fieri poſſe, ut illæ multis leviores videantur, eo quod explicationis genus grammaticum fere contemni ſoleat; attamen, ad verum multorum locorum intelligentiam utiles fore, ſe perſuaſum eſſe: Dav. *Hæſchelii* in Eccleſiaſticum, unde ſalutaria vitæ ac morum præcepta ſumi queant: hunc enim libellum ab auctore ita concinnatum eſſe, ut nulli non hominis ætati viam & apertam & directam ad bene beateque vivendum, quæ ſola ſit vera ſapientia, ſternere poſſit; non itaque ad gentiles aliosve ſcriptores abeundum eſſe, doctrinam moralem hauriendi cauſſa, cùm ea abunde ac pleniſſime inveniatur in ſacris litteris, ac potiſſimum in Sapientia Siracidis: denique Hug. *Grotii* in Annotata ad V. T. ubi ait, ſe annotaſſe ad latinam

verſionem quidem receptam, plurimique a ſe ſemper factam; ſecutum eſſe interpretationes *Hieronymi*, *Chryſoſtomi*, *Vatabli*, *Iunii*, *Menochii*; in lege ſenſum & cauſſas præceptorum, moresque eo pertinentes ab antiquis iudæorum magiſtris petiiſſe; in prophetiis dediſſe operam, ut ſingulas ad reſpondentes ipſis hiſtorias referret; ſententiis ebræorum moralibus aut civilibus ſimiles addidiſſe ex præſtantiſſimis ſcriptoribus græcis & latinis; attuliſſe etiam ex hiſtoriis externis, quidquid ad ſacræ hiſtoriæ confirmationem aut explicationem pertineat; & iudæis convincendis vel pauca, Chriſtum & tempus, quo is venturus erat, directe deſcribentia, ſufficere.

In Tomo IV.

Præfatio Seb. *Munſteri* in euangelium Matthæi ebraicum, quod ab eo redintegratum & in unum corpus redactum fuit; in eademque linguam ebræam & græcam, ut neceſſarias ad cognoſcendos codices ſacros, commendat: Iacobi *Revii*, Laur. Vallam ab iniquis eruditorum cenſuris vindicantis, meritoque reprehendenda indicantis: *Eraſmi* Roterodami in editionem notarum Laur. Vallæ in N. T. quem maſcule defendit contra hoſtium oppugnationes, ſtatuens, Laurentinum nomen apud omnes, qui bonas amant literas, pro invidioſo gratum ac venerandum haberi debere; licere omnino diſſentire in literis ac docendi ſtudio, ſi veteris interpretes fœderis alicubi erraverint; in his præſertim, ubi fides non violatur, fieri potuiſſe, ut laberentur & novi; neque cor, neque frontem eſſe iis, qui audeant non ſolum in ſacros, ſed omnino in ullos veterum libros ſcribere, ni literaturam utramque mediocriter teneant: *Eiusdem* in ſuas N. Tti Annotationes, ubi quædam admixta ſunt, quæ non ad primam earum editionem, A. 1515. factam, ſed ad tempus poſterius pertinent; dicit autem, ſe recognoviſſe illud ad græcam veritatem, ad fidem vetuſtiſſimorum latinæ linguæ codicum, ad probatiſſimorum auctorum vel citationem vel emendationem, vel enarrationem; adnotandi diligentiam ita ſe moderatum eſſe, ut nec ſuperſtitione moleſtus, nec indiligentia diminutus videretur: Tac. Nicol. *Zegeri* in Annotationes in N. Ttum, quas Scholia vocat, non commentarios, in qua ille ſtudet eum indicare ſenſum, qui auctoris primarius cenſetur, easque

Digitized by Google

que removere ſalebras, ad quas ſimplex lector, aut etiam mediocriter eruditus reſtitare poſſet, denique vulgati etiam interpretis verſionem priſtinæ fidei atque integritati, quoad fieri poteſt, reſtituere annititur, cauere autem ſedulo, ne temere Momum aut cenſorem alienorum agat dictorum: Henr. *Stephani* Dedicatio N. T. præfixa, qua perſtringit Caſtalionis latinitatem: *Eiusdem* Exhortatio ad lectionem librorum N. Tti carmine græco: *Eiusd.* Præfatio in editionem N. Tti, qua agit de ſtilo N. Tti, oſtendens, ſcriptores eius ſelectis & valde ſignificantibus uſos vocabulis ſatis etiam græce locutos eſſe; ac præterea multa vocabula, phraſes & particulas explicat: Io. *Druſii* in libros Præteritorum, ubi rationem huius appellationis reddit: Abeli *Curiandri* in editionem Druſiani Commentarii ad loca difficiliora V. Tti, ubi mortem iſtius ſoceri ſui deſcribit, & Vitæ, operumque Ioannis Druſii delineatio: Lud. *Cappelli* Præfatio in Myrothecium Cameronis, in quo ex editis eius ſcriptis ea excerpta ſunt, & ordine digeſta, quæ ſpecialiter ſpectant locorum quorundam N. Tti illuſtrationem atque explicationem, additis etiam nonnullis, quæ nusquam in editis Cameronis ſcriptis inuenias, ſed quæ Cappellus adeptus eſt ab iis, qui cum Camerone familiariter conuerſabantur: *Eiusdem* Icon ſeu deſcriptio vitæ Cameronis: Abr. *Sculteti* Oratio de quæſtione, Vtrum theologo ſcripturam ſanctam interpretanti, externas etiam diſciplinas & ſcriptores profanos in ſubſidium advocare liceat? Adfirmat auctor, idque probat rationibus & auctoritatibus: *Eiusdem* Præfatio in euangeliſtas Matthæum & Marcum, & alia in Exercitationes evangelicas, in quarum illa profitetur, ſe obſervationibus in euangeliſtas ſuam quaſi ſymbolam ad novam Bibliorum verſionem belgicam, qua de in Synodo conſultatum dordracena, adferre voluiſſe: Othon. *Gualtperii* in Syllogen vocum exoticarum N. Tti, qua dicit, vitam humanam & politicam, ut ſine liberalium artium & diſciplinarum ſcientia atque tractatione conſervari feliciter nequeat, ita nec ſine earundem adminiculo, hoc eſt, linguarum cognitione florere unquam poſſe, easque ad recte cognoſcendas SS. literas non tantum utiles, ſed etiam neceſſarias eſſe, ſeque in Sylloge non nudas expoſuiſſe voces, ſed etiam res utiles admiſcuiſſe, & explicationes uberiores addidiſſe: Lud. *Cappelli* in fratris Iac. Cappelli Obſervationes in N. Ttum, quem laudat, ut eum, qui ſibi

bi

bi ab ineunte ætate non tantum parentis, ſed etiam præceptoris vices præbuerit, nec Obſervationes ſuas prius edi voluerit, quam poſt fata ſua ab ipſo fuiſſent reviſæ, completæ & elucubratæ: *Eiusdem* in Spicilegium, de quo ait, ſe Obſervationes iſtas in N. Ttum, aliud agendo, prout ſe inter legendum dabat occaſio, in adverſaria ſua, nunc hanc, nunc illam, olim retuliſſe, iam vero in unum collectas exhibere; pleraſque earum criticas potius, quam theologicas eſſe; penitiorem N. Tti, cuius voces quidem græcæ, phraſis autem ſit hebraica, intelligentiam pendere a linguæ hebraicæ, ſyriacæ, chaldaicæ, rabbinicæ, earumque propriæ phraſeos cognitione; multa eſſe, in quibus alludatur ad ea, quæ in V. ſunt Tto, multa item, in quibus Chriſtus eiusque apoſtoli reſpiciant ad mores, placita, dogmata, uſum, conſuetudinem, ſententias, prouerbia, parabolas, & gnomas veterum iudæorum, ideoque & horum omnium cognitionem ab interprete N. Tti requiri ac poſtulari.

Atque hæc de contentis præfationum & Dedicationum ſufficiant. Quibus iam annectimus errores, quos viri eruditi obſervaſſe ſibimet viſi ſunt.

In Tomo I.

Grotius ad Lev. 6, 2. *Contemto Domino.*	At *contemto Domino* non eſt in textu, nec verſio eſt ferenda: Centemtus enim Domini formale eſt peccati per ſuperbiam commiſſi, aut quod elata manu fit: de quo hic quidem non eſt ſermo. *Epiſcopius* T. I. opp. a 76.
Druſ. ad Num. 20, 29. Ioſephus de Bello iud. l. 3. c. 15. clare teſtatur, *luctus tempus apud Ægyptios* fuiſſe XL. dies.	Non ibi extat.
Idem ad Ioſ. 8, 30. Poſt everſam Hai. *Maſius.* Poſtquam circumciſi paſcha celebraſſent. *Alii.*	Poſtquam circumciſi paſcha celebraſſent. *Maſius.* Poſt everſam Hai. *Alii.*

Gro-

Digitized by Google

Grotius ad Ioſ. 15, 3. Maccabæorum 5, 3.	Maccabæorum l. 1. c. 5. v. 3.
Idem ad eiusd. capitis v. 15. Gymnaſium Phœnicum Xenophonti.	*Gymnaſium* ætate Xenophontis non ſcholam literariam ſignificauit, ſed *locum exercitiis corporis deſtinatum.* Deinde Xenophontis ævo non fuit amplius in uſu appellatio priſca illa, Kiriath Sepher, ſed *Debir*, nec ulla ibi Schola celebris fuit. *Conring.* de Antiqq. academ. 211.
Idem ad 1. Sam. 12, 1. *Priorem* ſententiam tuetur Tremellius.	*Poſteriorem* debebat ſcribere.

In Tomo II.

Vatablus ad 1. Reg. 11, 3. Regibus Iſraël licuit ducere uxores *uſque ad ſeptenarium*, Hebræorum ſententia.	Chaldæus & alii ap. Schickardum de Iure reg. c. 5. theor. 9. allegati inficiantur, & numerum illum *octodecim* mulieres complecti, affirmant. *Hackſpan.* In Deut. 17, 17. p. 552.
Munſterus ad 1. *Reg.* 18, 30. Putant, altare illud prius *a Saul* in monte illo exſtructum, quod cultores Baal deinde diruerunt.	Inſultarunt in altare, quod fecerat, ſcilicet *Elias.* Sal. *Glaſſ.* Philol. S. l. 4. tr. 2. p. 1198.
Grotius ad 1. *Reg.* 19, 16. *Vngebantur* Reges, *Prophetæ*, Sacerdotes.	De prophetis negat *Lundius* in Iud. Heiligthum. 155.
Idem ad 1. Reg. 22, 34. In ea parte, *ubi lorica cum inferiori armatura* coniungitur.	De *fibulis loricæ* ſermo eſt, non de commiſſuris femoris & ventris. I. Fr. *Durr* diſp. 2. de veterum armis bellicis, ad Eph. 5. p. 16.

In Tomo III.

Idem ad *Ier.* 31, 32. LXX. *pro* בעלתי *legebant* בחלתי ideoque verterunt, *εγω ημελησα αυτων.*

Negat Io. *Pearſon* in Commendat. & defenſ. LXX. verſionis §. 17. easque ait *legiſſe* בעלתי cum, & iudæis aſſerentibus, & arabica lingua atteſtante, בעל ſignificet aſpernari, faſtidire, repudiare.

Idem ad Abd. ✠. 20. Hebræorum ספרד eſt *finis dominatus.*

Immo eſt *Sipphara* urbs Babyloniæ. Herm. *Von der Hardt* de Sipphara Babyloniæ 25. 45.

In Tomo IV.

Idem ad Matth. 1, 16. p. 43. *Epiphanius ita legem Moſis* (Num. 36.) *interpretatur.*

Nihil aliud dicit, quam *præſtitutam ab infallibili providentia divina Ioſepho ſortem*, qua ei Maria ohtigerit: nec de hereditatibus, aut earum iure, ullatenus eſt capiendus. *Selden.* de Succeſſion. in bona defunct. c. 18. p. 61.

Idem ad *Matth.* 2, 1. *Tertulliani ſententia, ab Arabia* veniſſe hos ſapientes.

Male ad hoc probandum adducitur Tertullianus, teſte ac iudice C. *Cellario* Programm. XXIX. 197.

Eraſmus ad *Matth.* 4, 23. Miror, euangeliſtæ interpretem hoc verbo (*θεραπευειν, quod omnino ſignificat mederi pharmacis*) abuſum: quod magis videbatur fugiendum.

Θεραπευειν proprie quidem eſt pharmacis, miniſterioque ac methodo adhibitis curare & ſanare, ſed deinde *etiam accipitur de ſanationibus ſine adhibitis medicamentis virtute divina factis*, ſicut exempla dantur plurima vocum a ſignificatione quadem ſpeciali & propria ad quamcunque in genere translatarum. Eraſm. *Schmidius* in Matth. 4, 23.

Clarius ad *Matth.* 5, 32. Si ob fornicationem dimiſerit vir uxorem, *ille, ſicut mulier, absque coniuge perſiſtere debet, aut uxori reconciliari.*

Apoſtolus Paulus 1. *Cor.* 7, 11. de muliere tantum loquitur, quod huic ſexui apud iudæos non eſſet ullum ius repudiandi. Virum hortatur duntaxat, ne ob offenſas leviores uxorem abiiciat. *Non addit* autem: *quodſi abiecerit, maneat cœlebs,* aut *uxori ſuâ reconcilietur.* Neque etiam vult, ut mulier, quæ diſceſſit, perpetuo cœlebs maneat, ſed ne *pratinus* alteri ſe adiungat marito, & reditum ad priorem ſibi intercludat. *Eraſmus* in 1. Cor. 7, 39. p. 105.

Camero ad *Matth.* 16, 18. Verbum Οικοδομεῖν *bis tantum* in V. T. metaphorice ſumitur, videlicet Gen. 16, 2. & c. 30, 3.

Immo *etiam Deut.* 25, 9. *& Ruth.* 4, 11. *Hackſpan.* Miſcellan. ſacr. 157.

Druſius ad *Matth.* 22, 16. Herodiani erant *natione græci, quos Herodes e deſerto adduxit,* quique natalem eius celebrabant, credentes, eum eſſe Meſſiam.

Hæc ſententia *refutatur a Dilherro* Diſpp. T. II. 316. & *Crenio* Animadverſ. P. V. 120.

Idem ibid. Auctor Lexici, qui Baal Aruch Ebræis: *Herodes rex adduxit græcos e deſerto,* & educavit eos in terra habitabili, feceruntque תרבות

Sed abſit, ut ex columbis fiant Græci. Sic enim verba Lexici ſunt vertenda: Herodes rex adduxit ſecum יונים *columbas* e deſerto, & educavit eas in terra habitata, *factaque ſunt* תרבות *manſueta,* vocatæque ſecundum nomen eius Herodianæ. *Crenius* l. c. p. 123.

Caſaubonus ad *Matth.* 22, 15. Sic *alibi* υἱὸς ὀλέθρου vocatur Iudas iſcariota.

Non in ſacris literis, ſed a *Nonno* ad Io. 17, 12. *Crenius* Animadv. P. I. 87.

Idem ibid. Varro inconſtantiæ filium dicere non dubitavit, *de homine inconſtantiſſimo* cum loqueretur.	Immo vero cum loqueretur *de pœnitentia*. Thom. *Crenius* l. c.
Eraſmus ad *Mar*. 7, 31. Decapolis regio eſt *trans* Iordanem.	*Et cis & trans* Iordanem. *Lightfoot* in Decade chorograph. Marco præmiſſa c. 7. §. 6. p. 570.
Grotius ad *Luc*. 3, 36. *Et alter codex* (N. Tti græcus MS.) in Angliam e Græcia nuper miſſus.	*Non alius codex* in Angliam venit, quam is, quem ex Græcia olim in Galliam perlatum, atque in ſuburbii lugdunenſis monaſterio S. Irenæi repoſitum, ſed flagrante civili bello A. 1562. inde ablatum, Theod. *Beza*, ad cuius manus ille peruenit, A. 1581. academiæ cantabrigienſis bibliothecæ publicæ donauit. Atque hic codex IV. euangeliorum & Actorum apoſtolicorum hiſtorias complectens, eſt *græcolatinus*, in antiquiſſimis membranis literis maiuſculis, ſine ſpiritibus & accentibus, deſcriptus. Sic teſtatur oculatus teſtis Iac. *Vſſerius* Diſſert. de Cainane Arphaxadi (T. VII. Criticor. ſacr. 3270.)
Idem ad *Luc*. 14, 1. Puto, *Hieroſolymis hæc geſta*. (quod nempe Chriſtus conviva fuerit principis cuiusdam phariſæorum, & hydropicum ſanaverit) Nam *ἄρχοντας plerumque appellari video eos, qui Synedrium participant.*	Ex collatione antecedentium & ſequentium capitum abunde patet, *etiam in Galilæa* fuiſſe *ἄρχοντας*, qui quidem fuerint *principes Synagogarum*; hic autem eo dictus princeps Phariſæorum, *quod ſecta add ctus eſſet phariſaica*. *Lundius* Iud. Heiligth. 810.

Idem

Idem ad *Io.* 1, 28. *Lectionem hanc, ἐν* Βηθαβαρᾳ *eſſe vetuſtiorem*, magno conſenſu Græci tradunt.	Immo *Bethania* eſt vetuſtior lectio. R. *Simonius* Hiſt. crit. N. T. part. III. 812.
Idem ad *Io.* 8, 5. Vir aut *mulier* lapidandi ſtatuebantur *parte aliqua nudi.*	Femina nequaquam nuda, ſed *interulam aliquam induta.* I. C. *Wagenſeil* (ex cod. ſuo MSto Ez Hechaiim Hilch. Dine Mammon. Vnephaſch. c. 6.) in Sota c. 3. p. 455.
Eraſmus ad *Act.* 2, 22. Petrus *apud imperitam multitudinem* magnifice laudat Chriſtum.	Non tantum apud imperitam multitudinem, ſed *etiam ad viros iſraëlitas*, inter iudæos Ieroſolymæ commorantes, viros religioſos ex omni natione ſub cælo, inter quos erant, qui Chriſti ſermones ipſi audiverant, eiusque præſtantiſſima opera & miracula ſuis ipſi viderant oculis. ℣. 5. 14. 22.
Druſius ad *Act.* 2, 27. *Inepte* faciunt, qui hunc locum (Non relinques animam meam in inferno) aliter enarrant, quam *de ſepulcro.*	Bona verba, quæſo. Aliter, nec tamen inepte, enarrant eruditiſſimi eccleſiæ *Patres*, & ex tuis (ne quid de aliis dicam) *Fagius*, *Martinius*, *Ravanellus*, *Schotanus*, *Colomeſius*, ſcientes ac fatentes, Scheol ſive ᾅδην ſignificare potius *communem illum ſtatum omnium defunctorum*, tam priorum, quam impiorum hominum. M. S. *Grabius* in Append. apologet. ad Vrb. Regii Form. caute loq. 219. Io. *Pearſon* Expoſit. Symb. apoſtol. art. V. p. 403.

Digitized by Google

Caſaubonus ad *Act.* 6, 7. Vnica vocula (*και*) commode fortaſſe poſſit hic locus reſtitui, ſi ita nimirum legerimus, *πολυς δε οχλος, και των ιερεων υπηκουον τη πιστει.*

Videtur ſic transferendum: *Plures inferiorum ſacerdotum. Sainjore* (Rich. Simon.) Tom. IV. de la Biblioth. crit. 311.

Grotius ad *Act.* c. 6, 3. על מלאכת הזות exemplo ſcilicet illorum, qui in Synagoga dicebantur חזנים *Epiphanio Αζανται.*

Confundit vir ſummus *τους διακονουντας ταις τραπεζαις* menſis miniſtrantes cum Hebræorum חזנים. Neque *επι της χρειας ταυτης* Hebræis dicitur על מלאכת הזות, ſed על הצרך הזה vel, uti paſſim legitur, על צרכי ציבור, ſuper negotiis coetus. *Rhenferd* de X. otioſis Synag. Diſſert. II. §. 32. p. 150.

In Tomo V.

Zegerus ad 1. *Cor.* 9, 22. In archetypo aut *ινα παντας τινας σωσω legendum eſt*, aut certe *ινα παντας σωσω*. Hoc ipſum ſequuntur *Ambroſius, Chryſoſtomus.*

Neutra iſtarum lectionum neceſſaria eſt: neque commentarius in epp. paulinas eſt *Ambroſii*: & *Chryſoſtomus* legit *παντως*. I. A. *Schmidius* diſp. de Miniſtro eccl. Omnibus omnia §. 2.

Idem ad *Rom.* 9, 5. *Ex Syro* apparet, veteres codices non habuiſſe vocem *Deus.*

E quanam quæſo *editione* ſyriaca? Rich. *Simon* l. c.

Idem ad *Act.* 13, 20. Anni illi ferme quadringenti & quinquaquaginta *incipiunt ab exitu ex Ægypto*, & *deſinunt in illud tempus, quo David ex Sione eiecit Iebuſæos.*

Rectius ſtatuitur, annos iſtos numerandos eſſe *a nato Iſaaco usque ad terræ cananææ diſtributionem*, qui quidem ſunt 447. *Simon.* Hiſt. crit. N. T. part. III. 814.

Iac. *Cappellus* ad *Hebr.* 8, 9. Is (LXX. interpr.) qui locum hunc eſt interpretatus, procul du-

געלתי בכם nusquam legitur, ſed potius געלתים *Lev.* 26, 44. *Pearſon* Defenſ. verſ.

Digitized by Google

bio codicem habuit, in quo ſcriptum erat געלתי quod ſignificat *deſpexi.*

H. *Grotius* in 2. *Pet.* 1, 20. p. 1749. (ἰδίας ἐπιλύσεως) Omnino aſſentior iis, qui hic legendum cenſent ἐπηλύσεως. Non eſt prophetia *res noſtri impetus. Non habet eam, qui vult.* Spiritus ubi vult, ſpirat.

verſ. LXX. interpp. §. 17.

Intempeſtiva & incauta coniectura, nata ex ignorantia ſignificationis vocis ἐπιλύσεως, quippe quæ h. l. non ſignificat interpretationem, ſed *ſolutionem, diſſolutionem, deſtructionem*, ita ut ſenſus ſit, nullam prophetiam ſeu prædictionem divinam poſſe aboleri aut diſpungi, ſed omnes eſſe veriſſimas, indiſſolubiles, inexpugnabiles, inextinguibiles. H. *Von der Hardt* in huius loci Nodo ſoluto 81. 70.

Laur. *Valla* in 2. *Ioh.* 1, 1. Hunc Iohannem negat Hieronymus eſſe euangeliſtam, ſed alium cognomine *Presbyterum*. Vallam ſequitur *Grotius* ad eund. locum.

Io. *Creyghton* in Explicat. trium S. Ioannis epp. p. 427. (Act. erud. A. 1705. 270.) Vallæ & Grotio opponit *Irenæum, Clementem* Alex. *Tertullianum, Gomarum*, & *Hammondum*, qui epiſtolam iſtam, ſicut & tertiam, *Ioanni euangeliſtæ* tribuant.

In Tomo VI.

Caſp. *Waſerus* l. 2. de Antiq. numis Hebræor. c. 20. p. 1028. Vel eo gravius fuit iudæis, tributum Romanis pendere, quod ultra diſpendium argenti, *Cæſaris* etiam *imaginem* conquirere, manibus contrectare, atque adeo illi afferre cogerentur, cum memores illi divinæ legis, omne ſculptile,

Hoc *talmudica de promiſcuo imaginum qualiumcunque*, nec cultarum, nec in cultum factarum uſu doctrinæ, ipſisque *ebræorum moribus* adverſum eſt. *Seldenus* de I. N. & G. l. 2. c. 8. p. 229.

omnem-

omnemque imaginem deteſtarentur. Idem ſentit Marq. *Freherus* diſſert. de Numiſm. cenſus (Tom. VII. Crit. ſacr. 1422.)

Antonius *Nebriſſenſis* Quinquag. c. 39. p. 1200. Subiit mihi quædam ſuſpicio, alium fuiſſe apud antiquos ſedendi ordinem, quam qui ſit noſtris temporibus, ut videlicet, *qui ſederet ad ſiniſtram, eſſet potior eo*, qui ſederet ad dextram.

Contra hanc ſententiam diſputat *Dilherrus* Diſpp. T. I. p. 385. contendens, *dextrum locum ſiniſtro apud veteres fuiſſe honorificentiorem.*

Druſius Obſervat. l. I. c. 11. p. 1336. *oculum poſuit pro dentibus*, dum ebræorum adagium, Exime ex dentibus tuis feſtucam, ſic extulit: Exime ex oculis tuis trabem.

Sed *ita etiam legitur in cod. talmud.* ערבין: Tolle feſtucam ex oculis tuis. *Dilherr.* Diſpp. T. II. 319.

Idem in Scholiis ad Pauli burgenſis Quæſt. de nomine divino, qu. 5. p. 2185. Nicolaus vocatur Lyranus a Lyra, oppido *Brabantiæ*,

Immo vero ab oppido *Normanniæ. Olearius* in Abac. patrolog. 328.

In Tomo VII.

Nic. *Fullerus* Miſcell. ſacr. l. I. c. I. p. I. Semper mihi inſolita ac plane peregrina viſa eſt loquendi formula, quam adhibet Lucas c. 14, 18. Cœperunt *απο μιας* ſe excuſare. Quid ſi dicamus, *απο μιας* idem omnino eſſe, atque *εξ αυτης*, & Lucam, natione ſyrum, uſitatiſſimum illud *apud Syros* adverbium מחרא, quod

Nobis *optime græcum* videtur, ac quod nihil quicquam habeat commercii cum Syrorum מחרא. Quid enim frequentius Græcis, quam *ad adiectiva commoda ſubſtantiva ſubaudire?* & hic quidem vel *φωνης*, vel *γνωμης*, vel *ωρας*. Io. Eric. *Oſtermannus* Poſit. philol. diſp. I. §. 25.

παρα-

Digitized by Google

παραχρημα, ευθυς vel ευθεως, i. e. illico, continuo, ſtatim, itemque *non* iam, ſignificat, hac ratione exprimere voluiſſe?

Idem lib. IV. c. 1. p. 174. *Syrus*, cum phraſi Lucæ 14, 8. απο μιας deeſſe autumaret vocem γνωμης, aut βελης, aut etiam καρδιας, ad ſenſum abſolvendum vertit מן חד, quaſi dicas מן חד רעין vel potius מן חד לב.

Syrus interpres græco idiomati ſuam reliquit pariter & aſſeruit indolem, nec quicquam ſubeſt cauſæ, quare in præſenti loco a nativo Græcorum, maximeque domeſtico loquendi genere velimus recedere. *Oſtermann.* l. c. §. 27.

In Tomo II. Supplem.

Knatchbull in *Io.* 11, 33. p. 1841. Αλογον enim ſiue *abſurdum* foret dicere, *Ieſum turbare ſemet ipſum.*

Non eſt abſurdum dicere, Ieſum turbaſſe ſe ipſum, nam εμβριμαομαι, teſte Heſychio, eſt μετ απειλης εντελλομαι, *cum iracundia & auſteritate ac minis præcipio.* Infremuit igitur Chriſtus in ſe ipſo, & ira commotus eſt, neque vero ira vitioſa, ſed iuſta. *Hombergk* Parerg. ſacr. p. 170.

Idem in 1. *Cor.* 2, 2. p. 1866. *Eos, qui in vobis*, vel inter vos ſunt.

Verſus ſequens oſtendit, *apoſtolum de ſe loqui*, non autem de aliis. *Hombergk* l. c. p. 244.

Idem in 1. Cor. 11, 10. p. 1870. Habere i. e. *tenere, æſtimare, vel agnoſcere*: in quo ſenſu Habere accipitur apud Latinos, ut το εχειν apud Græcos. In capite, eſt, in viro: verſu enim 3. vir vocatur caput mulieris. Δια τες αγγελες per vel propter angelos, i. e. *per vel propter Deum*, qui per miniſterium ange-

Εχειν, cum *de tegumento* agitur, *proprie* accipitur apud Græcos. Neque etiam ullus in divinis litteris locus extat, ubi nomen *angelorum*, in numero multitudinis, *de Deo* uſurpatum legeris. *Rechenberg* Exercitat. in N. T. p. 84. & 90.

Digitized by Google

lorum creavit illos, per idemque impoſuit mulieri legem ſubiectionis.	
Idem in 2. *Petri* 1, 20. pag. 1898. Senſus mea ſententia eſt huiusmodi: Omnis prophetia *non perficitur ſecundum literalem interpretationem* Scripturæ. Vel reddi poterit: Omnis prophetia Scripturæ *propria interpretatione* vel ſolutione non fit.	S. Petrus non agit de ulla Scripturæ interpretatione, ſive litterali ſive myſtica, ſed immotum divinarum promiſſionum robur commendat, quod nulla hoſtium ars vel iniuria convellat. Herm. *von der Hardt* in Nodo huius loci ſoluto p. 71.

Sed & illa a nobis ſunt aperienda, atque in lucem producenda, quæ in hisce tomis tecte & obſcure proponuntur. Nempe enim in Tomo IV. p. 86. *Eraſmus* ad Matth. 3, 4. per *lexicographum* intelligit Calepinum: *Druſio* ad Act. 6, 1. *vir doctus, quem falli* ait, eſt Salmaſius: *idemque* ad Rom. 13, 12. per *nuperum interpretem* inſinuare vult Bezam. In Supplem. Tomo II. p. 1836. ad Mar. 11, 13. per *virum clariſſimum* intelligit *Knatchbull* Dan. Heinſium.

Iudicium de hoc opere ſi legere cupis, adito Rich. *Simonium*, qui in Hiſt. crit. V. T. l. 3. c. 15. id pro more ſuo libere & ingenue tulit, laudans & notans auctores hic comprehenſos, prout ipſi viſum eſt. Io. Frid. *Mayerus* Biblioth. bibl. p. 157. alios indicavit ſcriptores, quorum libri duobus novis Criticorum ſacrorum tomis inſervire poſſent. Ita facile eſt inventis addere; & qui non poſſint nominari plures? Sacrorum horum Criticorum, aliorumque interpretum, exceptis libris & partibus apocryphis, Synopſin dedit Matthæus *Polus* londinenſis, impreſſam Londini, Vltraiecti, & Francofurti ad Mœnum, de qua videri poſſunt Rich. *Simon* Hiſt. crit. V. T. l. 3. c. 15. p. 446. *Acta erud* A. 1683. 135. & *Supplem.* T. I. 186. *Mayer* l. c. p. 159. & Marcus *Meibomius* apud S. W. Sluterum in dedicat. Catechiſmi p. 5. ubi Polum excuſans *Sluterus* ait, meliorem interpretationem ultimo ſemper loco poſuiſſe. Idemque Polus notas in totam Scripturam ſcribere aggreſſus eſt, ſed per fata ei ultra Eſaiam progredi non licuit. Interim viri docti ei ſuccenturiati opus abſolverunt, in id intenti, ut planum proponerent Scriptu-

Scripturæ ſenſum, atque apparentes contradictiones conciliarent, quoad nempe poterant ſcripturam explicare per ſcripturam, omnium optimum interpretem. Titulus operis illius eſt, Annotations upon the holy Bible, Londini 1688. f. 2 tomi. Neque etiam hoc prætereundum, Ioannem *Thilonem*, eccleſiaſten lipſienſem, ex Poli Synopſi collegiſſe Medullam theologiæ V. T. exegeticæ, thetico-polemicæ, & homileticæ, ſeu epitomen Bibliorum regiorum, criticorum, exegeticorum & vindicatorum, quantum ad V. Tti loca claſſica numero 325. Lipſiæ 1683. 4. De qua videantur *Acta erud.* A. 1683. p. 135.

Nunc quædam ex noſtris annotationibus communicabimus, poſtea de ſingulis auctoribus, quorum libri aut tractatus Criticorum voluminibus ſacrorum inſerti ſunt, dicturi.

Critici ſolent quidem theologos contemnere, ut *Molinæus* ait in Crenii P. V. Animadverſ. philol. 95. ſed non veros ſolideque eruditos: ſunt enim circa genuinum ſenſum grammaticum occupati, quem ſapientes theologi nec ipſi aſpernantur. Hinc merito exclamat *Druſius* in Deut. 26, 5. O divina criſis, quam multa ſæpe ignorant, qui te ignorant! Idemque legendus eſt in annotat. ad *Iud.* 3, 25. & *Matth.* 21, 9. contra miros quosdam, nec ſatis idoneos ſcripturæ interpretes. Iudæi ſunt in interpretando interdum audaces, fatente *Druſio* in Iud. 4, 6. adeoque non eſt eis ſemper fides habenda; ſed propterea eorum libri non ſunt contemnendi, ut egregie docet *Munſterus* præfat. in Annotat. bibl. a 2. Interpretes ſe mutuo exſcribere, notat *Morhofius* Polyhiſt. T. I. l. 1. c. 22. n. 28. & ecce in præſenti opere effati huius exempla: nam *Vatablus* exſcribit Fagium, ſicut *Fagius* & *Clarius* Munſterum.

Seb. *Münſter*, Ingelhemio-palatinus, & tertius inter Germanos, qui efflorescentibus litteris ebræam linguam excolere cœperunt, (primus enim fuit Io. *Capnio*, ſiue *Reuchlinus*, ſecundus Conr. *Pellicanus*) honores ſcholaſticos neglexit, non contempſit, *Germanorum Esdras Straboque* dictus, (vid. Melch. *Adam.* in Vit. Philoſoph. 143.) obiitque anno 1552. Baſileæ linguam profeſſus eſt ebræam, & primus Grammaticam chaldaicam conſcripſit. Alia eius ſcripta recenſentur, in *Epit.* Biblioth. Geſner. p. 747. Idem *Tobiam* ex lingua latina in ebræam convertit; quæ verſio Paulo Fagio falſo tribuitur, docente *Placcio* de Autor. pſeudon. 267.

Digitized by Google

Coſmographia eius potius eſt Germanographia, quia in ea agitur de Germanorum & Helvetiorum regionibus, & oppidis, eorumque ſitu, & origine, ac deſcriptione populorum. *Cren.* Animadverſ. P. VIII. 94. *Nota* eius, ex iudicio Rich. *Simonii* l. 3. Crit. V. T. c. 15. nimis repletæ ſunt iudaiſmo. *Becmannus* c. 1. Hiſtor. orb. terr. n. 7. eum appellat virum diligentiſſimum, ſed in quo paulo plus accurationis deſideres. Vide plura apud prædictum *Simonium* c. 21.

Iſidorus *Clarius*, brixianus, monachus caſinenſis, ac poſtea epiſcopus fulginienſis, obiit A. 1555. æt. 60. *Polus* in præfat. Synopſ. crit. * 2. ſcribit, Clarium utrumque Teſt. vertiſſe ex ebræo & græco; cum ille tantum emendaverit verſionem vulgatam, eique ſcholia addiderit. *Mayer* Biblioth. bibl. 58. Rich. *Simon* H. crit. V. T. l. 2. c. 20. & l. 3. c. 15. item Hiſt. crit. des Comment. du N. T. c. 39. aliique notant, eum manifeſtum eſſe plagiarium, quippe qui tam res, quam verba exſcripſerit e Seb. Munſtero, ſicut *Vatablus*, aut potius pſeudovatablus ex Fagio; ſed defenditur a Iac. *Le Long* Biblioth. S. part. I. p. 599. 601. oſtendendo, ipſummet faſſum eſſe, ſe ſe aliorum ſequi veſtigia. Reliqua eius ſcripta commemorat *Epitome* Bibliothecæ Geſner. p. 521. Ceterum de eo videantur *Thuanus* Hiſtor. l. 23. *Souſſay* in Continuat. Bellarm. de ſcriptor. eccleſ. 34. *Ghilini* nel Teatro d' huom. letter. P. I. 273. & *Canus* LL. theol. l. 2. c. 13. p. 59.

Hugo *Grotius*, delphenſis batavus, primum advocatus hagienſis, tum fiſci hollandici advocatus, & civitatis roterodamenſis ſyndicus, inde ob imputatas in religione & rep. novationes carceri perpetuo addictus, ſed a fida coniuge callide liberatus, demum CHRISTINÆ, Suecorum Reginæ, ad Gallos legatus, obiit Roſtochii A. 1645. æt. 62. & quidem pie ac in fide in Chriſtum, teſte Io. *Quiſtorpio* in epiſtola, quæ legitur in *Spizelii* Templo honor. reſerato p. 200. Inter libros eius, qui indicantur a *Witte* in Diar. biograph. T t 4. ſunt Votum pro pace eccleſiaſtica, Chronicon Hollandiæ, Mare liberum, liber de Antiquitate & ſtatu Reip. batavicæ, Annales de rebus belgicis, Introductio in Iuriſprud. batavicam, & Poëmata. Decalogi, ut græce exſtat, Explicatio, quæ & Criticis ſacris in V. T. tomo I. p. 555. inſerta eſt, ipſius quoque eſt Grotii, teſtibus *Placcio* de Anon. 106. & Iac. *Laurentio* præfat.

in

in Hug. Grotium papizantem. Quamvis autem modo papizationis, modo ſocinizationis (ſit venia verbis) accuſetur, a *Priceo* tamen, *Clerico* dans la Biblioth. anc. & mod. T. 1. 209. & T. 2. 325. *Colomeſio* 430. & 656. ac *Räſcvvizio* in Altchriſtl. Gedanck. 56. pro optimo habetur ſcripturæ interprete, a *Conringio* & *Boineburgio* incomparabilis vocatur, Notæque eius in euangeliſtas reliquis omnibus præferuntur: ac notandum, *Borboritam* & *Frontonem*, quos in tractatu Notis in N. T. ſubiuncto refutat, eſſe Sam. Mareſium, & Pet. Molinæum. Varia de eo iudicia reperies apud *König*. 366. *Magirum* 404. *Blount* 945. *Oſiandrum* in prolegom. in libros de I. B. ac P. 25. Gerh. *Titium* in Caſtigat. Animadverſ. Viti *Ebermanni* 52. *Conringium* in Conring. epiſtolicis 68. Car. *Arnd* Contin. Biblioth. bibl. Mayer. 13. *Seldenum* de Synedr. vet. ebr. l. 1. c. 16. p. 360. Guil. *Forbeſ.* Conſid. controverſ. 44. *Colomeſ.* 403. *Heidegger.* in vita I. L. Fabricii 138. *Gatacker.* T. 1. opp. 502. *Epiſt.* præſt. viror. p. 475. 663. 797. *Ruar.* P. I. Epp. 158. 242. 255. 276. 292. 465. Staniſl. *Lubienicium* in epiſt. Operibus Slichtingii præfixa, *Limborch.* Theol. chriſt. l. 7. c. 12. *Brunnemann.* Iur. eccleſ. l. 1. 2. §. 1. *Freinshem.* præf. in Tacitum Berneggeri p. 13. & *Schurzfleiſch.* in Epp. ſelect. 564. In Rabbinorum locis citandis & explicandis non raro fallitur, aliorum quippe fidem ſecutus, nec ſatis linguarum orientalium gnarus, ſicut plurima eiusmodi errorum ſpecimina Morhofio, quod ipſe Polyhiſt. T. 3. l. 5. n. 15. teſtatur, oſtendit Esdr. *Edzardus*, ſeque etiam talia collegiſſe ſæpius mihi adfirmavit *Wagenſeilius*, quæ tamen nunquam in lucem produxit. Omnia eius opera edita ſunt Amſtelodami 1679. f. IV. volum.

Andr. *Maſius*, Bruxella-brabantus, vir πολυγλωττος, (nam præter italicam, gallicam, hiſpanicam, græcæ, ebraicæ atque ſyricacæ cognitione non vulgari claruit, adeoque ſcriptoribus, qui fontes urgent, accenſendus eſt. *Hottinger* Bibliothecar. 190.) Cliviorum Ducis a conſiliis, immo & exterorum quaſi oraculum, atque a PHILIPPO II. Antverpiam evocatus, & regiæ Bibliorum editioni adornandæ, una cum Ben. *Aria* Montano, Guidone *Fabricio* aliisque præpoſitus, obiit Zevenariæ Cliviorum A. 1573. Aub. *Miræus* in Elog. belg. p. 132. Laudatur in *Scaligeranis*, item a *Glaſſio* & *Polo* apud Blount in Cenſura celebrior. autor. 704. & Rich. *Simone* H. crit. V. T. l. 3. c. 15. Henricus a *Wèze* in epiſt. de eius morte ad

Plantinum (quæ præmiſſa eſt primo tomo Crit. ſacr.) laudem ei tribuit candoris, quod nihil in eo fuerit fictum aut ſimulatum. Prodiit eius Commentarius Antverpiæ A. 1574. & 1699. dignus, iudice Sim. de *Muis*, qui æternum excudatur & recudatur. Vide etiam ſis *König.* in B. V. & N. 516. *Voſſ.* in Reſp. ad iudicium Ravenſperg. de libro Grotii p. 6. *Druſ.* in Ioſ. 10, 12. 13. *Hotting.* Theſ. philol. 319. Ceterum primus ſcripſit Grammaticam & Lexicon ſyriacum, obiitque A. 1573. æt. 40. adeoque Comment. ſuum in Ioſ. non potuit videre impreſſum.

Io. *Druſius*, alias *Van den Drieſſche*, Aldenarda-flander, ebraicas literas docuit Lugduni Batavorum & Franekeræ, atque hoc in loco obiit A. 1616. æt. 66. Eius vita cum catalogo librorum præmiſſa eſt Tomo Criticor. SS. in N. T. (d) Vid. etiam *Mayeri* Biblioth. bibl. 92. Laudatur a *Quenſtedt*, *Leigh*, & Rich. *Simonio* l. 3. H. crit. V. T. c. 15. culpatur autem *Scaligero* in Scaligeran. 131. & apud Blount p. 887. Adde *Magiri* Eponymol. crit. 293. *Cartvvright.* præfat. in Annotat. in Gen. d. & *Franz.* de interpr. Script. 89. 630. 838.

Phil. *Codurcus*, ex reformato factus catholico-romanus, commentatus etiam eſt in epiſtolam ad Hebr. qui liber prodiit Pariſiis A. 1632. Rich. *Simon* in Hiſt crit. V. T. l. 3. c. 15. fatetur, commentarium eius eſſe litteralem; reprehendit autem hoc, quod nimis ſæpe citet paraphraſten chaldæum, deſcendat ad minutias, & multum verborum impendat rationi reddendæ de menſura verſuum libri Iobi. Vid. porro idem *Simon* H. crit. des Comment. du N. T. c. 52.

Ben Sira בן סירא diſtinguendus a R. זירא doctore gemarico, cum Siracide autem, qui בן סירה vel בן סירא, aut בן סירח, immo & יהשע בן סורק, vel הושיע בן סירו, rectiſſime omnium vero ישוע בן סירך adpellatur, *Ganzii*, *Schalſcheleth*, *Huetii*, *Druſii* (in Quæſt. hebr. III. 23.) *Sgambati*, I. Alb. *Fabricii*, & I. C. *Wolfii* in Biblioth. hebr. 261. iudicio unus idemque, hieroſolymitanus, vixit ſententiasque ſuas hebraica lingua conſignavit tempore Oniæ primi, & Simonis iuſti, ſeu tempore PTOLEMÆI Philadelphi,, græcam autem earum interpretationem perfecit Ieſus Siracidæ nepos, tempore PTOLEMÆI Euergetæ, qui Philometori ſucceſſit. *Wolf* l. c. 256. *König* 101.

Rudolph.

Digitized by Google

Rudolph. *Baynus* cantabrigienſis, L. ebr. profeſſor regius Pariſiis, in ſenſu litterali exponendo occupatur, & obiit A. 1560. Commentarium in Proverbia ſeptem linguis edendum curavit Pariſiis A. 1555. R. *Simon* H. crit. V. T. l. 3. c. 15. p. 445.

Fran. *Forerius*, Vlyſſipone luſitanus, ex ordine S. Dominici ſeu Prædicatorum, vir latinæ, græcæ & ebraicæ linguæ peritus, theologus & philoſophus, Luſitaniæ Regis concionator, cumque aliis viris doctis a Concilio tridentino ad Chriſtianæ bibliothecæ cenſuram electus, vertit & commentariis illuſtravit etiam hagiographos libros, ac tandem pavore ſeu moerore obiit A. 1580. ſexagenario maior. *Sixtus* ſen. Biblioth. S. l. 4. p. 287. *Thuanus* lib. 70. p. 17. R. *Simon.* H. crit.. V. T. l. 3. c. 15. *Crenius* de Furib. librar. 56.

Eduard. *Liveleius*, anglus, in acad. cantabrigienſi ebr. linguæ & poſtea theol. profeſſor, obiit, ſi *Kœnigio* & *Witteo* in Diar. biograph. credendum, A. 1605. Laudatur a *Caſaubono* in Exerc. XVI. ad Annal. Baronii p. 413. Vide tamen, quid in eo deſideret Rich. *Simon.* l. c. videlicet eum nimis affectaſſe eruditionem. Cœpit etiam ſcribere, ſed non abſolvit Chronicon, eidem laudatum *Caſaubono* p. 182. & 413.

Dav. *Hœſchelius*, auguſtanus, atque in patria urbe ludi moderator & bibliothecarius, inſignis philologus, in iuventute, non tantum litteris græcis & latinis, ſed etiam pietate erudienda, omnem movens lapidem, vivere deſiit A. 1617. æt. 61. Edidit multa ſcripta græca, interque illa Photium cum notis, & Procopium. Illius nomine laudatur a *Scaligero* & *Caſaubono*, apud Spizelium in Templo Honoris p. 331. hunc vero maluiſſent prodire cum nova Hœſchelii verſione; nam Schottiana ipſi Hœſchelio improbatur, ibid. p. 332. *Magirus* p. 450. *Kœnig* 414. *Blount* p. 900. & *Colomeſius* 492. Scriptorum ab ipſo in lucem datorum catalogus exſtat in *Spizelii* Templo Hon. p. 332.

Laur. *Valla*, patricius romanus, & canonicus S. Ioannis lateranenſis, grammaticus, rhetor, philoſophus, & theologus clariſſimus, obiit A. 1457. Scripſit etiam de geſtis FERDINANDI, Arragoniæ regis, Herodotum & Thucydidem latine tranſtulit, ipſique etiam opus de falſa Donatione Conſtantini M. attribuitur. De eius propoſito vertendi Biblia, aut certe N. T. & reformationibus latini interpretis vide R. *Simon* P. II. Hiſt. crit. N. T. c. 21. & P. III. c. 34.

&

& *Stunicam* in præfat. Annot. contra Eraſm. T. VII. Crit. ſacr. p. 1230. Nempe primus fuit, qui privato ſtudio Biblia in latinam linguam traducere ſuſtineret; primus etiam fuit, qui ſcriberet Notas in N. T. ſecundus Eraſmus, tertius Camerarius. *Scaligerana* 400. A nonnullis ei obiicitur ac exprobratur mordacitas, qua in ſcriptis ſuis adverſus alios fuerit uſus; ſed *num ideo falſum dixit*, inquit *Eraſmus* epiſt. 2. *quia verum mordacius dixit?* Idem hoc in loco negat, Athenas, & Athenarum victricem Italiam vidiſſe unquam doctiorem, eumque etiam vindicat in ep. 103. His adde *Kœnig.* 828. *Magirum* 787. *Blount* 462. *Voſſ.* de Hiſtor. lat. 180. *Cren.* Animadverſ. P. XVI. 5. & *Lexic. univ. hiſt.* T. IV. 601.

Iac. *Revius*, dauentrienſis, primo in comitatu Zuthphaniæ, deinde in patria eccleſiaſtes, demum theol. D. & collegii theologici leidenſis regens, obiit A. 1658. æt. 72. Scripta eius recenſentur a *Witte* in Diar. biogr. M m m 3. inter quæ eminent Hiſtoria pontificum rom. contracta, Hiſtoria Dav. *Georgii*, Examen diſſert. *Nic. Vedelii* de epiſcopatu Conſtantini magni, *Suarezius* purgatus, & Anticarteſiana non nulla.

Deſider. *Eraſmus*, antea *Gerardus Gerardi* dictus, Roterodami & natus & educatus, relicto monaſterio monachorum regularium, & commutata veſte cœnobitica cum ſacerdotali, docuit privatim & gratis Lovanii, Cantabrigiæ & Lutetiæ, pileumque doctoralem iu taurinenſi accepit academia. Vixit ſine ſtipendio, contentus munuſculis, quæ hinc & inde acciperet, nec tamen deceſſit pauper; & aliquandiu quidem vixit Baſileæ apud Frobenium, Friburgi autem VII. annos, indeque Baſileam reuerſus, & Eccleſiaſten editurus, ſupremum vidit diem A. 1536. æt. 70. relicto theſauro 7000. aureorum, qui, ex ipſius voluntate ſuprema, in ſanctiſſimos uſus erogandi erant. M. *Adam.* in Vit. philoſoph. 86. Ioach. Frid. *Feller* Monum. var. inedit. 407. Vitam eius, præter ipſummet, deſcripſerunt Paul. *Iovius*, Aub. *Miræus*, Io. Iac. *Boiſſardus*, Valer. *Andreas*, & qui edidit eius Colloquia Francofurti A. 1550. 8. Chriſtianus autem *Thomaſius* in Not. ad Puſendorfii Monarch. ſpirit. 181. optat, ut quis accuratius vitam illius deſcribat, virique tam vitia, quam virtutes recenſeat: laudatur enim ab his, culpatur ab illis. Culpatur autem præcipue a rigidioribus Pontificiis, melius inter eos ſentientibus Lud. *Vive*, G. *Caſſandro* p. 1175. *Huetio* de

clar.

Digitized by Google

clar. interpretibus, auctore *Delineat. eccl. cathol.* (des Abriſſes der cathol. Kirchen) p. 68. 73. 259. 261. 331. 656 878. & Rich. *Simſonio* Bibl. choiſ. T. II. 254. Quidam eum conantur ſuſpectum reddere arianiſmi, ſicut & ipſe *Socinus* in epiſt. ad Fran. Davidis, cuius excerptum exſtat in Gerhardi Patrol. p. 693. ſed Mart. *Lydius* peculiari apologia iis ex aſſe reſpondit. Nec defuere, qu atheiſmi arguerent; quam calumniam ſancta viri ſcripta ſatis, immo plus ſatis repellunt. De eius latina N. Tti verſione vide Rich. *Simonium* Hiſt. crit. V. T. P. II. c. 21. p. 242. & c. 23. p. 258. item *Le Long* Biblioth. S. part. I. 443. Atque hæc uerſio uarios ei aduerſarios excitavit, interque eos *Dorpium* (qui tamen melius edoctus, poſtea ceſſit) *Stunicam*, & *Sutorium*. Notæ eius in N. T. excuſæ ſunt Baſileæ A. 1516. 1519. & 1555. atque hæc eſt auctior. *Crenius* optimam eſſe iudicat quintam, P. II. Animadv. 200. In præfatione ſcopum ſuum oſtendit Eraſmus. Laudantur a Ioach. *Camerario*, Ioſ. *Scaligero*, & *Huetio*, apud *Blount* 527. nec non a *Brelero* in ep. dedicat. Vindiciarum Io. Arndii (b) 3. ita, ut eas vocet opus profecto diuinum, & omni laude prædicandum. *Barlæus*, citante eodem Brelero l. c. a 7. ſcribit, neminem Eraſmo de rebus theologicis iudicaſſe rectius: & LEO X. papa, cuius elogium omnibus aliis præferendum eſt, lucubrationes iſtas fatetur non vulgari, ſed noua & inſigni quadam eruditione præſtare, omniumque doctorum calculo plurimum laudari. Plura eruditorum de eo iudicia exhibent *Kœnig* 277. *Magirus* 315. *Blount* 526. Wolfg. *Fabricius*, Capito cognominatus, & *Bucerus* apud Chytræum Hiſt. aug. conf. 668. Io. *Gerhardus* Conf. cathol. 11. Georg. *Richter* Orat. VII. pag. 198. X. 262. 302. 303. XXIII. 61. 66. XXV. 109. *Colomeſius* 844. *Glaſſ.* in præfat. in Grammat. S. p. 13. Io. *Sylvius* Apolog. p. 223. *Apologie* des Proteſtans diſtinguez par le baptême 24. 174. Nulli quidem diſſidentium partium, ut *Crenius* notat Animadv. P. V. 239. ſatisfecit: ſed nec ſententias ſectariorum approbavit, teſte Rich. *Simonio* Biblioth. choiſ. T. II. 254.

Nicol. *Zegerus*, dieſtenſis, minorita, obiit A. 1559. ſcripſitque Scholia in IV. euangel. & epp. paulinas, atque Apocalypſin, uti *Kœnig* refert p. 881. Sed in *Epitome* Bibliothecæ geſner. 635. dicitur, eum ſcripſiſſe in omnes N. Tti libros, & partem primam ac ſecundam iſtorum Scholiorum impreſſam eſſe Coloniæ A. 1553. 8. &

recte quidem: nam eius Annotationes non tantum in quosdam, ſed omnes N. Tti libros etiam hic comparent. In peroratione, ſeu fine Annot. in Apocal. p. 2137. negat ſe pro ſuo agnoſcere, ſi quid a ſe ſcriptum ſit contra romanæ ſententiam eccleſiæ.

Ioſ. Iuſtus *Scaliger*, Aginni apud Nitiobriges natus, Iulii Cæſaris (Scaligeri) a Burden filius, Audecti frater, Principum veronenſium nepos, deſcendens ex filia *Leopoldi*, Comitis habspurgenſis, tanta oculorum acie præditus, ut expergefactus ſæpe media nocte, atque in denſa caligine valeret legere & ſcribere, feliciorem que reminiſcentiam quam memoriam habens, imperium maioribus ereptum ingenio excelſo, labore indefeſſo, eruditione inuſitata, in re litteraria publica, quaſi fataliter recuperavit; nec enim, quanquam in plurimis *αυτοδιδακτος*, philologus tantum fuit, ſed etiam philoſophus, theologus, ICtus & medicus, nihil ſcribens quod ſcriptum eſſet prius, academiæ leidenſis, quanquam non legeret, per XVI. annos ingens decus, ibidemque obiit A. 1609. æt. 69. Domin. *Baudius* in Wittei Memor. philoſ. P. I. 29. Dan. *Heinſius* in II. Orat. in fun. ſummi viri habitis, *Colomeſius* 112. *Scaligerana* 241. 353. *Craſſus* Elog. P. II. 151. *Academia leidenſ.* 185. quorum plurimi ſcripta eius recenſent, omnes autem laudes atque elogia eiusdem adferunt. Quibus quaſi ſocios, ſimiles tibias inflantes, addere licebit *Magirum* 731. *Blount* 808. *Caſaubonum* in Epp. 647. 653. *Putſchium* in ep. dedicat. Grammaticor. antiq. Sed & a multis reprehenditur, eorumque aliquot adducit *Colomeſius* p. 140. Nec mirum, quia & ipſe erat pronus ad reprehendendum alios, præfidens, ut *Voſſius* ibi loquitur, ſæpe etiam turgens loliginis ſucco, ac, ſi quis non per omnia aſſentiret, alieni nominis obtrectator. Adverſarios habuit *Scioppium*, Io. *Fabrum*, *Inſulanum*, *Serarium*, Dan. *Engelbartum* ſeu *Angelocratorem*, pluresque alios.

Iſ. *Caſaubonus*, genevenſis, (vocavit ſe aliquando *Hortibonum*, ſive Hortum bonum, quia *Caſau* Delphinatibus ſignificat hortum) primum profeſſor genevenſis, deinde montiſpeſſulanus, poſt hæc regiæ bibliothecæ, quæ Lutetiæ eſt Pariſiorum, præfectus, & prof. honorarius, denique a IACOBO, Britanniæ rege, accitus Londinum, munifice fotus, ac conſiliarii regii honore affectus, pacis eccleſiaſticæ amantiſſimus, & lucubrationibus valde deditus, obiit ibidem A. 1614. æt. 55. *Menagiana* T. IV. 320. Vitam eius ſcripſit *Mericus* filius

filius ſub titulo, *Pietas*; ſed non eſt ille, qui ad romanam tranſiit eccleſiam; hic enim fuit iunior, habuitque nomen Ioannis. *Ancillon* dans le Mel. crit. P. II. p. 4. *Clericus* Biblioth. choiſ. Tom. XIX. 209. Laudes Caſauboni exprimuntur cum alibi, tum in epiſtolis HENRICI M. & IACOBI Britann. regis, nec non apud *Magirum* p. 189. *Blount* p. 882. *Ancillon* T. II. 76. & Ioſ. *Scaligerum* in Scaligeran. 127. 83. ubi vir maximus ſe ei cedere fatetur. Quid multis?

Qui noſſe vult Caſaubonum,
Non ſaxa, ſed chartas legat,
Superfuturas marmori,
Et profuturas poſteris.

Ab aliis tamen etiam reprehenditur, indicante *Critopulo* in Cenſura Eclogar. Mayeri p. 68. De ſcriptis eius vide *Wittei* Diar. biograph. L. 4. Petrus *Molinaus* in litteris ad Iac. Montacutium, bathonienſem epiſcopum, A. 1610. datis, Caſaubonum arguit, quod *ad papiſmum inclinet*, eiusque apoſtaſia metuenda ſit, niſi in Anglia ſervetur: ſed iure, an iniuria eum ita ſuſpectum habuerit, aliisque reddere voluerit, dici non poteſt.

Io. *Camero*, ſcotus, docuit Salmurii & Montalbani, obiitque 1625. æt. 46. Icon, ſeu vitæ eius deſcriptio, exhibetur in eorum ſerie, quæ præmiſſa ſunt T. I. Crit. ſacr. in N. T. (e) Opera autem omnia prodierunt in 4. & in fol. Adde his *Gœzii* Elogia germ. theol. 413. & *Cren.* Animadv. philol. P. I. 32. & de Singular. ſcriptor. 66. Lud. *Cappellus* in præfat. Spicilegii virum hunc vocat theologum præſtantiſſimum.

Iac. *Cappellus*, ſedanenſis, theologiæ in patria profeſſor & eccleſiaſtes, obiit A. 1624. æt. 56. Scripta eius, & doctorum de ipſo & libris eius iudicia recenſet *Colomeſ.* Gall. orient. p. 157. *Mayer* Biblioth. bibl. 110. & *Lex. un. hiſt.* T. I. 519. Præcipua ſunt, libri de Menſuris, Hiſtoria S. & exot. ab Adamo uſque ad Imp. VALENTINIANVM, Les trophées du P. *Gontery*, Apologie pour les Egliſes reform. La doctrine des mémes, Vindiciæ pro Iſ. *Caſaubono*, Plagiarius vapulans contra *Cotonum*, Obſervationes in epiſt. ad Ebræos.

Lud. *Cappellus*, itidem ſedanenſis, Iacobi frater natu minor, Salmurii primum ebrææ linguæ, deinde theologiæ profeſſor

& eccleſiaſtes, ad meliores ſedes migravit A. 1658. æt. 73. Eius vitam dedit Petrus *Molinaus* in Iudicio de Moſis *Amyraldi* adverſus Fr. Spanhemium libro p. 211. immo & ipſe Ludovicus ſuam & fratris vitam deſcripſit, quæ operibus illorum poſthumis præmittitur. Catalogus eius ſcriptorum legitur ap. *Colomeſ.* p. 223. *Witteum* in Diar. biograph. & *Mayerum* in Biblioth. bibl. 101. Caput autem inter illa extollunt Arcanum punctationis, & Critica S. de quibus vide doctorum iudicia apud *Colomeſ.* p. 224. & *Bibliothecar.* nulli addict. parti T. I. 480. Adde *Scaligerana* 80. Rich. *Simon.* Hiſt. crit. V. T. l. 3. c. 20. & *Blount* 971. *Morinus*, qui habebat curam correctionis Criticæ ſacræ, dum edebatur Pariſiis, quædam inde improbo auſu reſecuit, quæ erant contra ſuam ſententiam. In Spicilegio, prout ipſe fatetur in eius præfatione, quæ Tomo I. Crit. ſacr. in N. T. præmiſſa eſt (f) 4. pauciſſimæ, & pæne nullæ ſunt obſervationes theologicæ, ſed potius criticæ. Vbi etiam oſtendit, ad rectam N. T. intelligentiam, requiri penitiorem notitiam linguæ ebr. ſyriacæ, chaldææ, rabbinicæ, & ſcriptorum iudaicorum. In illo quidem aſſerit, puncta quæ vocant ebraica, non niſi ſero, & aliquot poſt Chriſti manifeſtationem ſæculis, iam extincto *Hieronymo*, in uſu eſſe cœpiſſe, & extremam doctrinæ de accentibus & punctis manum additam a nobili maſoretha *Ben Aſcher.* Antagoniſtam autem in hac ſententia habuit I. *Buxtorfium*, filium. Ceterum teſtimonia eruditorum de hoc Cappello exhibent *Magirus* p. 179. *Colomeſ.* l. c. ac *Blount* p. 971. In Spicilegium in N. T. multa, aliis nec dicta, nec obſervata, congeſſit. *Kœnig.* 163.

Otho *Gualtperius*, Rothenberga-haſſus, theol. D. ebr. græcæque linguæ in acad. marpurg. profeſſor, poſtea gymnaſii lubecenſis rector, A. 1593. rude donatus, deceſſit A. 1624. Io. *Möller* Iſag. ad Hiſtor. cimbr. P. II. 491. *Cartvvright* in præfat. ad Annotat. in Geneſin. d 2. ait, eum pleraque ex Fagio ſumſiſſe, nec videri intellexiſſe Rabbinos.

Abr. *Scultetus*, ſileſius, theol. D. & prof. heidelbergenſis, nec non Electoris palatini FRIDERICI V. a conſiliis eccleſiaſticis, ac concionibus ſacris, demum paſtor emdanus, obiit A. 1624. ætatis 59. De eo vide *Kœnig.* 742. & *Sagittarii* Introd. in H. eccl. 344. Scripſit Exercitationes ſacras in Euangeliorum loca difficiliora, Poſtillam euangelicam & pſalmicam, Obſervationes grammat. hiſtor. logic.

logic. & theol. in hiſtoriam I. Chriſti. Vid. etiam *Cren.* Diſſert. II. de furib. librar. 63. & Exercit. II. de libr. ſcriptor. opt. 47.

Sixtinus *Amama*, friſius, ebrææ linguæ in acad. franekerana profeſſor, floruit A. 30. XVII. ſæculi, & pæne innumeros verſionis Bibliorum belgicæ veteris errores detexit. Commentariolus eius de Decimis moſaicis iam præmiſſus eſt nouæ & auctiori Antibarb. bibl. editioni. Iudicium de eo vide apud R. *Simon.* Hiſt. crit. V. T. l. 3. c. 19. Guil. *Guiſius* in Parte I. Miſchnæ Surenhuſ. p. 70. vocat auctorem humi repentem, & a Ioſ. Scaligeri, præcipue in tractatu de Decimis, ore pendentem; at *Epiſcopius* T. I. Opp. a virum longiore vita, ſi Deo placuiſſet, digniſſimum.

Albericus *Gentilis*, anconitanus, frater Scipionis Gentilis, ICtus, & Legum prof. in acad. oxonienſi, ſubditorumque hiſpanorum advocatus in Anglia perpetuus, obiit Londini A. 1608. æt. 58. Scripſit de Iure belli, Legationibus, Mixtura linguarum, Verborum ſignificatione, & in Virgilium. A *Bœclero* vocatur vir magnus & præclara pleraque erudite molitus, & H. *Grotius* fatetur, ſe eius induſtria adiutum fuiſſe in componendo opere de I. B. & P. Vide *Magirum* p. 382. *Kœnig* 340. *Lexic. univ. hiſt.* T. II. 225. & *Morhof* Polyhiſt. T. III. p. 7. 23. 86.

Henr. *Stephanus*, Roberti filius, doctiſſimus typographus pariſienſis, ſcripta pro Herodoto apologia cucullatorum iram contra ſe concitans fugere coactus eſt, & poſt multas in Germania peregrinationes Lugdunum ſe ſe contulit, ubi opibus & ingenio deſtitutus vitæ in noſocomio finem fecit A. 1593. fere ſeptuagenarius. In eo culpatur μικρολογια. *Morhof* Polyhiſt. T. I. 290. De ſcriptis eius vide *Simleri* Epit. Biblioth. geſner. 333. Eminet autem inter illa, tanquam inter ſtellas luna minores, *Dictionarium* ſiue Theſaurus linguæ græcæ, quippe quod *immortale opus* vocat Mer. *Caſaubonus* de IV. linguis p. 102. & *Thuanus* auctorem eius appellat magnum linguarum ſoſpitatorem. *Magir.* 762. *Scaligerana* 145. *Supplem.* Act. erud. T. V. 508. *Cren.* de furib. librar. 102. *Neu. Bücher Saal* T. I. 963. Ant. *Teiſſer* in Elog. Gall. ſcribit, fuiſſe moroſum & ruſticanum, & cum propriam filiam, tum generum ſuum doctum Caſaubonum averſatum eſſe. *Blount* 812.

Iac. *Gothofredus*, Dionyſii filius, gallus, ICtus & prof. gen. poſtea huiusdem Reip. ſenator, obiit A. 1652. æt. 65. Edidit

dit varia, de quibus vide *Wittei* Diar. biograph. *König* 356. & *Lexic. univ. hiſtor.* T. II. 275. & inter illa Commentarium in Cod. theodoſianum, VI. volum. Notas in *Philoſtorgium*, de Imperio maris ad legem rhodiam, Hiſtoriam iuris, de Statu paganorum, de Pontificatu maximo, de Præcedentia & Velandis mulieribus. Io. *Strauch* eum vocat virum divinarum & humanarum rerum ſcientiſſimum. *Magir.* 397. *Valeſius* in præfat. ad Theodoriti H. E. c iij pro viro quidem docto ac diligente agnoſcit, ſed qui græcas litteras prioribus tantum labris deguſtaverit.

Pet. *Pithœus*, trecenſis gallus, ICtus & philologus, Turnebi & Cuiacii diſcipulus, & in Iure civ. rom. ad illud evectus faſtigium, ut de eo, eiusque præceptore Cuiacio (verba ſunt *Thuani* ad A. 1596.) dici iure potuerit, hunc diſcipulo præripuiſſe, ne primus ICtus eſſet, illum præceptori, ne ſolus: in Eccleſiæ rom. communione, ſi *Dallæo* credimus, natus & educatus, at ſi Ant. *Teiſſero* in Elog. Gall. ex relatione Scaligeri in Scaligeran. 315. Proteſtantium religionem profeſſus uſque ad lanienam pariſinam, HENRICO IV. ſuaſor fuit, ut abdicata Reform. religione maiorum fidem profiteretur. Privatam quidem vixit vitam, ſed ob conſilia, quæ magni & ſapientes viri ab eo frequenter petebant, quaſi perfectum ſummumque geſſit magiſtratum. Quatuor acerbo fato amiſit filios, reliquit autem præſtantiſſimos libros, interque eos tractatum de Duabus gentibus regum Franciæ, Collectionem ſynodorum gallicanarum, obiitque tandem in patria ſua A. 1596. æt. 57. poſtquam locum & diem mortis, quaſi vates, prædixerat. *König* 644. *Magir.* 666. *Blount* 805. *Sammarthani* Elog. P. II. 97. Ioſ. *Mercerus* in Vita Pithœi apud Leickherum de Vitis ICtor. clariſſim. p. 353. *Simlerus* Epit. Bibl. geſner. 680. *Scaliger* l. c. p. 314. ait, omnia eius opera bona eſſe, optima autem Adverſaria ſubſeciva, & Annales Francorum.

Nicephorus, CPtanus, CONSTANTINI Aug. & matris IRENES a ſecretis, deinde monachus, tum patriarcha in urbe patria, vitam cum meliore commutavit A. 828. Scripſit ſtilo facili & polito Hiſtoriæ Breviarium, a Mauritii Imp. cæde uſque ad Conſtantini copronymi & Irenes nuptias, Chronologiam tripartitam, Confeſſionem fidei ſuæ, IV. Opuſcula adverſus iconomachos, & Canones, quos in magnum Canonum volumen retulit Zonaras.

ras. *Olear.* P. II. 9. *Voßius* de Hiſtor. græc. l. 2. c. 25. *Whear* 146. *Neu* in Acceſſion. 276.

Adrianus, auctor Iſagoges in Scripturam, fuit græcus, claruitque ſecundum *Oudinum* circa annum Chriſti 500. ſecundum *Vſſerium* autem A. 433. Certe *Caßiodoro* antiquior eſt, quippe qui eius meminit c. 10. Divin. lection. Fran. *Turrianus* non uno loco vocat *Andronicum*; ſed quam ob cauſſam, *Colomeſius* ſe neſcire fatetur. Opp. p. 683. Sententiæ eius prodierunt græce & latine Lugduni Batavorum A. 1600. Iſagoge vero, quam iis, qui Scripturam primo aggrediuntur, *Photius* Cod. 2. utilem eſſe iudicat, Hœſchelii cura lucem vidit Auguſtæ Vindel. A. 1602. 4. Caſim. *Oudinus* Supplem. ſcript. eccl. p. 106. *Cave* P. I. 237.

Heſychius, quem alii *Iſycium*, alii *Iſichium*, alii *Eſycium*, alii *Iſaacium* appellant, ex presbytero ieruſalemitano factus initio ſæculi VII. eiusdem loci patriarcha, multa ſcripſit tam ante, quam in patriarchatu, quorum non nulla alius *Heſychius*, fortaſſe ſalonitanus, multis de ſuo additis, in latinam tranſtulit linguam. Scripta eius ſunt Sententiarum centuriæ II. de Temperantia & Virtute, Sermones II. de B. Virgine, Oratio demonſtratiua in S. *Andream* apoſtolum, Homiliæ de hora crucifixionis, & reſurrectionis Chriſti, & Introductio in pſalmos; ut de Commentario in Leviticum iam nihil dicam. *Cave* P. I. 312. *Olearius* P. I. 333.

Polychronius, natione ſyrus, Theodori mopſueſteni frater, Zebinæ, in provincia cyrenſi aſcetæ celeberrimi, diſcipulus, et imitator, poſtea Apameæ epiſcopus, virtutibus & miraculis inclytus, atque hoc nomine a *Theodoreto* laudatus, in vivis adhuc fuit A. 427. & reliquit Expoſitionem Cantici canticorum, Iobi, & Danielis. *Cave* P. I. 213. *Olearius* P. II. 100.

Lucianus, nobili ortus proſapia, eandem cum religionis chriſtianæ deriſore, qui TRAIANI tempore vixit, patriam habuit, Samoſatam videlicet in Syria. Fuit *Macarii* edeſſeni diſcipulus, ac poſtea presbyter eccleſiæ antiochenæ, ubi etiam Scholam inſtituit, e qua egregii viri, *Euſebius* nicomedienſis, *Maris* chalcedonenſis & *Theognis* nicænus, prodierunt. Accuſatur quidem errorum, quos cum *Paulo* ſamoſateno habuerit communes, at *Suidas* tamen p. 458. hanc ei laudem tribuit, divinorum decretorum purita-

Digitized by Google

ritatem apud eum ex omnibus illius ætatis viris maxime, ſummoque cum ſtudio conſervatam inveniri: nam & Epiſtolas edidiſſe, profecto præſtantiſſimas, ex quibus facillime quivis deprehendat, quænam huius viri ſententia fuerit de rebus divinis. Capite truncatus eſt Nicomediæ A. 311. cum perſecutionem renovaſſet crudeliſſimus chriſtiani nominis hoſtis, C. Galerius Valerius MAXIMINVS, quamvis coram eo apologiam pro fide ſua reddidiſſet; & corpus in mare proiectum, quod a delphino ad littus deportatum fuiſſe aiunt. *Cave* P. I. 76. *Rupertus* Obſeruat. in Beſoldi Synopſ. min. p. 370.

Chriſtoph. *Helvicus*, Sprendlingæ, pago prope Francofurtum ad Mœnum, natus, primum græcæ & ebrææ linguæ, deinde theologiæ profeſſor ac doctor in academia gieſſenſi, novæ didacticæ, ut in eius epitaphio dicitur, auctor & informator feliciſſimus, obiit A. 1617. æt. 36. mortuoque parentavit Io. *Winckelmannus.* Inter ſcripta, quæ *Witteus* cum in Diar. biograph. tum in Memor. theologor. p. 112. nec non *Spizelius* in Templo honor. p. 51. recenſent, celebris in primis eſt tractatus de Chaldaicis Bibliorum paraphraſibus, quem laudat *Rivetus* in Iſag. in Scripturam c. 9. & Theatrum chronologicum, quod G. *Calixtus* encomio ornat in Appar. theolog. p. 178. Vid. etiam *König* 389. & *Blount* 930. Tanneguid. *Faber* l. 1. ep. 63. notat eum duplici nomine, 1) quod non ſatis locupletis ſit fidei in ea chronologiæ parte, quæ virorum ſcriptis illuſtrium ætatem ſignat, 2) quod plerumque recentiores ſcriptores ſequatur, ſicut & *Calviſius*, ex cuius opere totus ſit Helvicus. Calviſium tamen laudat *Scaliger* in Scaligeran. 77. Cur vero? quia ipſum perpetuo ſequitur.

Io. *Buteo*, delphinas, e Germania oriundus, celebris mathematicus, ſcripſit de Sublicio ponte Cæſaris, Confutationem Orontii *Finei*, præceptoris olim ſui, de Quadratura circuli, porro de Cubo duplicando, de fluentis aquæ menſura, de libra & ſtatera, de pretio margaritarum, & alia, quæ videri poſſunt apud *Geſnerum*, eiusque Epitomen p. 415. vir in muſicis inſtrumentis, uti *Thuanus* l. 36. p. 673. teſtatur, & machinis novis fabricandis ingenioſus, ab omni ambitione alienus, neque a labore & meditatione unquam ceſſans, in ſeceſſu, ob turbas civiles facto, ex mœrore contabuit, animamque exhalavit Romanii, procul a libris ſuis, A. 1564. æt. 75.

Vid.

Vid. etiam *Magius* in Var. lect. l. 4. c. 2. & 20. ac *Petitdidier* Diſſert. hiſtor. p. 150.

Matthæus *Hoſtus*, wilhelmdorfinus, græcæ linguæ profeſſor Francofurti ad Oderam, obiit A. 1587. æt. 25. Opera eius, inter quæ eſt Hiſtoria rei numariæ veteris, eiusque Epitome, & diſſertatio de Chœnice græca, deque Menſe romano, tribus edita ſunt tomis Francofurti A. 1586. 8.

Georg. *Rittershuſius*, altorfinus, Conradi filius, apud Ser. Marchionem Brandenburgico-bayrutinum Conſilii ſecretioris aulici director, feudorumque præpoſitus, vitam cum morte commutavit A. 1664. æt. 69. Sub Eggeberti *Schaumii*, cuius ephorum egit, nomine tractatus duos edidit, unum de Annulis, eorumque iure, alterum de Oſculis. Vid. *Placcius* de pſeudon. 560. *Actus* I. doctoral. altorf. E. e 4. Conr. *Rittershuſ.* Iuris iuſtinian. p. 757. & *Voet.* Biblioth. ſtud. theol. l. 2. c. 23. p. 597.

Mich. *Rothardus*, Scholæ mülhuſanæ conrector, floruit anno 23. ſeculi XVIIImi, quo & liber eius prodiit Hanoviæ in 8.

Euſtathius, Side Pamphyliæ natus, beroënſis primum, poſt antiochenſis epiſcopus, diſtinguendus ab Euſtathio antiocheno, a IOVIANO revocato, non minus Origenis, quam Arianorum acerrimus hoſtis, ab his autem modo ſabellianiſmi, modo fœdæ libidinis, modo contumeliarum adverſus HELENAM, CONSTANTINI Imp. matrem, ſed falſo, ut aiunt, accuſatus, nihiloque minus Traianopolim relegatus, ibidem ex hac vita deceſſit, cum fortunæ pila fuiſſet, circa annum 330. Ab *Athanaſio* commendatur ob religionis pietatem ex odio Arianorum, & a *Sozomeno* ob priſcum eloquentiæ genus, & ſententiarum gravitatem. Eius ſunt Oratio brevis ad CONSTANTINVM Imp. Commentarius in Hexaëmeron, cui fabulæ de beata Virgine, eiusque parentibus, a recentiori manu acceſſerint, & alia, quorum non niſi fragmenta extant. *Cave* P. I. 98. *Olearius* P. I. 243.

Leo *Allatius*, (d' Alaſſy) chius, primum vicarius generalis epiſcopi anglonenſis in regno neapolitano, dein vicarius epiſcopi chienſis, inde doctor medicinæ, porro magiſter diſciplinæ in collegio Græcorum romano, & denique, poſt translatam bibliothecam palatinam, primus Bibliothecæ vaticanæ cuſtos, unico per XL. annos calamo ad græce ſcribendum uſus, eoqve tandem amiſſo pæ-

Digitized by Google

ne in lacrimas ſolutus, (de quo vide *Acta erud.* A. 1687. 598.) obiit A. 1669. octogenario maior. Multa ſcripſit, non nulla etiam ex græco in latinum tranſtulit; quæ omnia memorantur a *Witte* in Diar. biograph. Bbbb. & *Craſſo* Elog. P. I. pag. 402. In iis ſunt, Catena patrum in Ieremiam: Confutatio fabulæ de Ioanna papiſſa: Annotationes ad Antiqq. etruſcas: diſceptatio de Erroribus magnorum virorum in dicendo: opus de Conſenſione eccleſiæ orientalis & occidentalis. Atque hoc *Lambecius* in Additam. libri IV. comment. de Biblioth. cæſar. & l. 5. vocat doctiſſimum, præſtantiſſimum accuratiſſimeque conſcriptum; ſed ſubieſtam eius fidem taxat *Conring.* in ep. ad Io. Horneium, quæ præfixa eſt Metrophanis Confeſſioni. Plura de Allatio vide in *Biblioth. Schrader.* P. I. M 8. I. Alb. *Fabricii* præfat. in Apes urb. *Morhof.* Polyh. T. I. 84. 120. 191. l. 6. c. 1. n. 30. & T. III. 59.

Caſp. *Varrerius*, hiſpanus, ſub initium ſæculi XVII. celebris, concinnavit etiam Cenſuram de Beroſo, Metaſthene, Fabio Pictore, Porcio Catone, ſcriptoribus a Ioanne viterbienſi ſuppoſitis editisque.

Guil. *Schickardus*, wurtenbergicus, ebr. linguæ & mathemat. profeſſor tubingenſis, litteris orientalibus propemodum immerſus & innutritus, peritus quippe non tantum ebrææ, ſed & chaldaicæ, arabicæ, turcicæ & perſicæ, penultimamque ſibi propterea familiorem reddens, ut poſt acies iudæorum debellatas ipſum etiam Mahummedem oppugnaret, ſed & in mathematicis ſolito longius progreſſus (invenit enim ad planetarum theorias facilius complectendas viam, quam *Pictam matheſin* nuncupavit, novam quoque lunæ theoriam, nec non modum, quo eclipſis eſt metienda, deque refractionibus doctiſſime cœpit commentari, & in Opticæ intima penetravit) erudito orbi utriusque profeſſionis fructus reliquit, videlicet Bechinath happeruſchim, h. e. Examen interpretationum ebraicarum in Geneſin (de quo videatur *Sainjore* Biblioth. crit. T. IV. 204.) Tarich, i. e. ſeriem regum Perſiæ per annos fere 400. Alphabetum davidicum, ſeu Comment. in Pſ. 25. Paradiſum ſaraceno-iudaicum, Aſtroſcopium, Ephemeridem lunarem, Modum rationemque tabulas geographicas longe certius & peritius, quam vulgo fit, conficiendi, & alia, quæ exhibentur in *Spizelii* Tem-

Templo hon. 341. & *Witti* Memor. philoſ. P. I. 379. lueque peſtifera correptus & extinctus eſt A. 1635. æt. 43. Bibliothecam eius & MSSta rex Galliæ ære redemit ſuo, & Matth. *Eſenvvein* novam promiſit opuſculorum philologicorum editionem, in IV. tomos digerendam, quæ tamen non eſt ſecuta. Pet. *a Valle* eum laudat, ut virum ſingularis eruditionis, orientalium linguarum peritiſſimum, ac denique de litteris quoquoverſus optime meritum. Vid. etiam *Kœnig* 733. *Magirus* 737. *Morhof* Polyh. T. I. lib. 1. c. 24. n. 83. & T. III. l. 6. c. 12. n. 1.

Bonaventura Cornel. *Bertramus*, in Pictonibus natus, Ang. Caninii & Io. Merceri diſcipulus, relicto iuris ſtudio Geneuæ ſacro præfuit miniſterio, pariterque ebræam docuit linguam; ſed poſtea propter ſummas ciuitatis & eccleſiæ genevenſis anguſtias dimiſſus, Franckenthalium peruenit, ibique munere eccleſiaſtico fungens, Lucubrationes, quæ a loco ſcriptionis dicuntur Franckenthalenſes, concinnavit, Lauſanæ vero ſupremum diem vidit A. 1594. qui ipſi climactericus erat, ultimi, ut putabat, (niſi forte in latiore ſignificatu vocabulum hoc ſumſit) ſæculi. Variorum de eo iudicia collegit *Colomeſius* 73. *Cauſaubonus* in Not. ad Strabon. l. 15. p. 727. eundem vocat non ſacrarum tantum litterarum, quas diu magna cum ſua laude ſit profeſſus, ſed totius etiam humanitatis peritiſſimum. Commentarius eius de Politia iudäica, Genevæ conſcriptus, quique, uti *Thuanus* lib. 109. p. 613. refert, ex omnibus eius operibus maxime commendatur, a Conſtant. *l' Empereur* luculentis obſervationibus illuſtratus eſt.

Petrus *Cunæus*, fliſſingenſis, Io. Druſii diſcipulus, primum latinæ linguæ, deinde politices, tum & Iuris profeſſor in academia leidenſi, vir bene doctus, animo forti, diſertus, & elegantis latinitatis peritia vel cum antiquis certans, ſed melancholicus, vivere deſiit A. 1638. æt. 66. Vid. *Acad. leidenſis* 221. *Scaligerana* 117. *Witte* Diar. biograph. Mm 4. & *Blount* 938. Libri eius de Rep. hebr. laudantur a Caſp. *Barlæo* ep. 194. M. *Ruaro* Epp. P. I. pag. 41. *Clerico* in Deut. 20, 10. & *Schurzfleiſchio* in Biblioth. Schrader. P. I. M, ubi dicit: *Cunæus maxime theologo commendatur, cum fructu legendus ob accuratam & diffuſam tractationem. Qui vero eum intelligere vult, eum oporteet dimidium eſſe rabbinum.* Addit tamen & hoc: *politico in iudicio ſæpius deficere, ideoque non ſemel a Conringio notatum fuiſſe.* Et

Digitized by Google

Ruarus l. c. obſervat, intercurrere in iſtis Cunæi libris non nulla, quæ malit iudicii ſeverioris lima ab illo admorſa fuiſſe; quædam etiam, in quibus lauro tibi opus ſit, cuius eſu riſum coërceas: quale ſit hoc, quod (lib. 3. c. 3.) ex epiſt. ad Hebræos probare conetur, *Melchiſedecum ipſum fuiſſe Chriſtum*; in quo ille ſibi mirifice placeat, cum nihil in toto libro frigidius & ineptius ſibi videatur. Et hoc etiam in eo improbat G. *Calixtus* in Append. ad cap. 14. Gen. p. 121. 123. qui cetera fatetur, eſſe hominem doctiſſimum, &, quod mireris, ICtum hebraicarum antiquitatum peritiſſimum; ſicut Ger. Io. *Voſſius* in Epp. præſtant. viror. p. 796. eundem vocat magnum academiæ leidenſis columen. Quibus elogiis & illa addas, quæ *Magirus* collegit pag. 253.

Caſp. *Waſerus*, tigurinus, eccleſiæ patriæ miniſter, ac primum græcæ linguæ, poſt quoque theologiæ profeſſor, obiit A. 1625. orbique erudito reliquit Euangelium rom. contra indulgentias papales, Analyſin pſalmi CX. de ſacerdotio Chriſti, Hieroglyphicum doctrinæ chriſtianæ, Continuationem Chronici ſtumpfiani, tractatum de Quadrato geometrico, & alia, quæ videantur in *Wittei* Diar. biograph. X 2. *Conringius* in Paradox. de num. Ebræor. c. 5. encomio viri numariæ rei perquam periti, & magni eum dignatur atque exornat.

Edoard. *Brerevvood*, anglus, Aſtronomiæ profeſſor londinenſis, ſcripſit etiam tractatum de Sabbato, & Scrutinium linguarum, defunctus anno 1613.

Antonius *Nebriſſenſis*, ſeu potius Aelius Antonius de Nebriſſa vel Lebrixa, Andaluſia-hiſpanus, exhauſto in bononienſi academia ſtudio legum & latinæ linguæ, primus, Mauris eiectis, in Hiſpaniam intulit latinæ linguæ & litterarum cultum, easque maxima cum laude & emolumento primum Salmanticæ, deinde, accepta ab ingratis academicis ignomina, Compluti, lauto utrobique ſalario, profeſſus, *Grammatici* nomine ſalutari amans, eoque ſe ipſum vocans, a Cardinale Fran. XIMENIO, archiepiſcopo toletano, ad opus biblicum adhibitus, a rege autem FERDINANDO chronographi munere ornatus, ſcripſit Hiſtoriam geſtorum huius regis & Iſabellæ coniugis, bellique navarrei, ſed humili ſtilo, nec tempus ſibi ſumſit, ſcriptum ut relegeret, limaret & poliret. Filiam habuit adeo doctam, ut, ſi forte ipſe impediretur, illa patrem in habendis

dis prælectionibus poſſet ſublevare. *Iovius* in Elogiis num. 64. natura mulieroſum, & ad ſupremum uſque diem veneri deditum fuiſſe affirmat. Scripſit etiam Coſmographiam cum Iſagoge, Dictionarium latino-hiſpanicum, geographicum, & iuris civilis, (de quo vide *Acta erudit.* A. 1683. 225.) & alia, quæ indicantur a *Ghilino* vol. II. 71. *Whartono* in Append. ad Cavei Hiſtor. liter. 117. & Val. Andr. *Taxandro* in Catal. claror. Hiſpan. viror. *Eraſmus* in Ciceroniano variæ eum vocat eruditionis virum; in ep. DCXI. p. 689. præcipuum academiæ complutenſis ornamentum, egregium ſenem, planeque dignum, qui multos vincat Neſtoras, & Alphonſ. *Garſias Matamorus* lib. de erud. Hiſpan. viris, profligatorem barbariei ante acto tempore in Hiſpania graſſantis. In anno mortis & ætatis eius variant ſcriptores: alii enim aiunt obiiſſe A. 1544. fere octogenarium, alii A. 1522. æt. 77. in hoc autem conueniunt, apoplexia, ſeu repentina paralyſi correptum interiiſſe. Vid. Lud. *Vives* ad Auguſtinum de C. D. Dav. *Chytræus* in Regulis ſtudior. p. 57. *Voſſ.* de Hiſtor. lat. 204. *Wharton* Append. ad Cavei H. lit. 116. *Roullii* Promtuar. iconum 220. *Du Pin* tom. XIV. de la Biblioth. eccleſiaſt. p. 120. & tom. I. de la Biblioth. des hiſtoriens 120. Rich. *Simon* Biblioth. choiſ. T. I. 334. *Kœnig* 569. *Olearius*, Biblioth. ſcript. eccleſiaſt. P. I. 67.

Nicol. *Fullerus*, Hantonia-anglus, geſtis muneribus ſecularibus factus canonicus ſarisburienſis, & Walthoniæ rector, obiit A. 1623. æt. 66. *Bochartus* in Phaleg. l. 4. c. 19. laudem ei quidem tribuit viri doctiſſimi, & in minutiis mire perſpicacis, notat tamen ſimul errorem ab eo commiſſum, qui Ζατην & Ζαβατον in Xenophonte putarit diverſos eſſe amnes, cum ſit unus, idemque cum Lyco. *Clericus* in Gen. 1, 9. ſæpe ευςοχιαν criticam ei deeſſe ait.

Sam. *Petitus*, theologiæ apud Nemauſenſes profeſſor, vir non ſui nominis, ſed vere inter Gallorum litteratorum maximos numerandus, ebraice & coptice doctiſſimus, pariterque moderatus, ab omni partium ſive ſtudio ſive odio procul remotus, antiquitatis eccleſiaſticæ obſervans, & hierarchiam iam ab ipſis apoſtolorum temporibus inſtitutam eſſe confeſſus, punica in Plauto extantia ebraica eſſe oſtendit, deditque erudito orbi Miſcellanea, Eclogas chronologicas, Obſervationes, Commentarium in leges atticas, (ubi tamen iis præſidiis, quæ ad opus huius argumenti elaborandum neceſſaria erant, iudice *Heraldo* in Obſervat. ad Ius attic. &

rom. l. 2. c. 12. deſtituebatur) & alia, vivereque inter mortales deſiit A. 1644. *Witte* Diar. biograph. Bbbb 3. *Colomeſ.* 169. *Blount* 1023. A *Wagenſeilio* præfat. in Tela ign. ſat. 69. vocatur vir divini humanique iuris, & literaturæ quoque hebraicæ non minus, ac græcæ & latinæ peritiſſimus; & *Schurzfleiſchius* in Epp. arcan. T. I. 20. teſtatur, de Catholicis Armeniorum doctiſſimum Petitum in Variis ſuis lectionibus graviter docere, veriusque tradere, quam *Micralium.*

Sim. *Marotte*, vulgo *de Muis*, aurelianenſis, eccleſ. ſueſſion. canonicus & archidiaconus, linguam ebræam docuit in regia Pariſienſium academia, ſed ſæpe auditoribus carens, non ob doctrinæ inopiam, ſed quia linguæ iſtius cultura tunc temporis Lutetiæ ſpernebatur. Dedit novam Verſionem pſalmorum, & in eos Commentarium, triplicem Aſſertionem veritatis hebraicæ contra Exercitationes Io. *Morini*, Notasque ad librum I. Criticæ Lud. Cappelli, & alia apud *Colomeſium* p. 159. videnda, ſatisque conceſſit anno 1644. vir, ut Io. *Tarinus* in eius epitaphio poſuit, omni laude cumulatus, nullius loci hoſpes, quia in eius ore omnes linguæ: nullius hominis inimicus, quia in eius vultu omnes gratiæ: nullius rei inſcius, quia in eius animo omnes ſcientiæ: nullius vitii conſcius, quia in eius moribus omnes virtutes eminebant. Vid. *Kænig* 558. *Colomeſ.* 160. Laudatur etiam a Rich. *Simonio* Hiſt. crit. V. T. l. 3. c. 18. p. 470. ob hebraici textus defenſionem contra *Morinum*, ſed arbitratur, eum nimis deflexiſſe ad alterum extremum, & Maſoræ iuſto maius privilegium tribuiſſe, cœco impetu Ariæ Montani, exactitudinem librariorum iudaicorum ultra modum laudantis, veſtigia calcantem.

Io. *Gregorius*, Buckinghamio-anglus, eccleſiæ ſarisburienſis decanus, huiusque & ciceſtrienſis præbendarius, ſcripſit Notas ad Thomæ *Ridlei* Inſpectionem iuris civilis & eccleſiaſtici, diſcurſum de LXX. Interpretibus, & tractatum de Epiſcopo puerorum, aliumque de Aeris & epochis, defunctus A. 1646. æt. 39.

Chriſtoph. *Cartwright*, eboracenſis, in academia cantabrigienſi Domus S. Petri præfectus, deſcripſit Certamen religioſum, ſeu colloquium CAROLI I. regis cum Marchione vigornienſi de religione, & obiit A. 1658. æt. 56. Quo iudicio fuerit, qua peritia in ſcriptis Hebræorum ad ſacrarum litterarum interpretationem adhibendis & accommodandis, ex editis eius ſcriptis conſtare poſſe

ait

Digitized by Google

ait auctor præfationis, Mellificio hebraico præmiſſæ. *Witte* Diar. Biograph. M m m 4. *Pearſon* in Vindic. epp. Ignatii c. 2. p. 249.

Didacus (ſive Iacobus) Lopez *Stunica*, Salmantica-hiſpanus, ex equeſtri ordine; ſed theologiæ & oriental. linguar. peritiſſimus, ideoque ad opus biblicum regium inter alios eruditos a Cardinale Ximenio adhibitus, ſcripſit quoque Animadverſiones in Iac. *Fabri* ſtapulenſis Scholia ad S. Pauli epiſtolas, Itinerarium rerum, potiſſimum ſacrarum, quas vidit Compluto Romam profectus, obiitque Neapoli A. 1530. Vid. *Olearius* in Abac. patrol. (nam in editione Biblioth. eccleſiaſt. omiſſus eſt, ut plures alii) p. 224. *Eraſmus* Ep. 594. p. 663. T. III. Opp. & Rich. *Simon* Hiſt. crit. N. T. part. II. 247. ubi ait, eum peritiorem fuiſſe ſtudii critici, quam anglum Eduardum *Ley*, & in Diſſert. crit. de præcipuis operibus MSS. p. 3. ubi narrat, Stunicam non fuiſſe ſolum inter Hiſpanos, qui Eraſmum ob latinam N. Tti verſionem invaderet: *Sepulvedam* enim idem feciſſe, ac ſatis fortiter pugnaſſe, prætendentem, exemplaria græca, quæ ſecutus ſit Eraſmus in Novo Teſtamento, mendis eſſe deprauata, iam ſingulis verbis, iam ſolidis orationibus ſublatis, aut e contrario redundantibus.

Marquard. *Freher*, patricius auguſtanus, ICtus, & primum Codicis profeſſor heidelbergenſis, deinde vicarius præſidis Curiæ archipalatinæ, antiquitatum germanicarum notitia nemini ſecundus, conſcripſit plurima; interque ea libros II. Parergon, Origines palatinas, commentarium in *Auſonii* Moſellam, librum de Electoratu palatino: nec minus quædam aliorum ſcripta edidit; (non tamen eſt perſonatus *Lampugnanus*, qui Lipſii Notarum in Corn. Tacitum collationem cum MS. cod. mirandulano inſtituit) vitæque huius uſura privatus eſt A. 1614. æt. 51. *Witte* Diar. biogr. L 3. *Kœnig* 317. *Magirus* 361. *Placcius* de pſeudon. 411. *Biblioth. Schrader.* P. II. G 5.

Wilh. *Klebitius*, germanus, reformatæ addictus religioni, florensque ſæc. XVIto, ſcripſit etiam contra Tilem. *Heshuſium* de S. ſynaxi, de Fundamento ſalutis, deque Præſentia Iudæ in S. cœna. *Epit.* Biblioth. geſner. 304.

Guil. *Ader*, medicus in Gallia, floruit initio Seculi XVII. De quo Val. Henr. *Voglerus* in programm. Commentario de reb. natural. ac medic. S. ſcript. præmiſſo c 3. hoc fert iudicium, eum qui-

Digitized by Google

quidem id, quod deeſt operi valleſiano, ſupplere anniſum, atque a conatu omnino laudandum eſſe, & ſecundum Galeni mentem affectuum illorum naturam ſatis bene, licet conciſe, exponere; at, dum in cauſſas morborum illorum, & ægrotantium illorum ætatem & temperiem inquirit, plane fruſtra ſuam collocare operam, cum ex hiſtoria ſacra vix aliud quid, niſi morbos illos humana ope non potuiſſe curari, colligatur; prorſus autem ſupervacaneam eſſe, quam ultima libri parte adiunxit, morbos iſtos methodicam curandi rationem, eaque fini præmiſſam univerſæ artis medicæ epitomen, quaſi pro medicis hiſtoriæ illæ ſint annotatæ.

Angelus *Caninius*, anglarienſis, vir linguarum non ſolum græcæ & hebraicæ, ſed ſyriacæ & aliarum orientalium rara & exquiſita cognitione inſignis, easdem cum in Italia, Venetiis, Patavii, Bononiæ, tum in Hiſpania docuit, poſtea Andreæ *Dudithii* adoleſcentiæ admotus, Lutetiæ Pariſiorum illarum merces expoſuit, ac poſtremo in Gulielmi Pratenſis, epiſcopi claromontani familiam migravit, atque in Avernis A. 1554. ſtudiorum vitæque finem expertus eſt. Eiusdem habemus librum de Helleniſmis, Grammaticam ſyriacam, & alia. *Thuanus* l. 13. p. 260. *Scaligerana* 78.

Nicol. *Faber*, (*du Faur*) in pariſino agro natus, ex nobiliſſima & antiquiſſima Gallorum familia, cum ex illa continuo fuerint aut præſides, aut conſiliarii ſivæ ſtatus, ſive rei militaris, dextro oculo in adoleſcentia miro caſu orbatus, ſed nec inde deformis redditus, confecto itinere italico pietatis ac philoſophiæ iuriſque ſtudiis ſe dedit, ac cum propoſito ducendi vitam cœlibem, per aliquot annos in foro verſatus eſt, donec in numerum conſiliariorum regiorum, qui aquis & ſilvis in Gallia præſunt, reciperetur; miſſo autem poſtea hoc magiſtratu cum magno P. Pithoeo vitæ ſocietatem inſtituit, quæ tamen non fuit perpetua: nam HENRICI magni regis, ac poſtea Reginæ viduæ auctoritate, & amicorum adhortationibus expugnatus eſt, ut Henricum Borbonium Principem Condæum, deinde vero LVDOVICVM XIII. regem puerum religionis & doctrinæ præceptis informaret. Fuit vir admodum pius, orationibus diurnis æque ac nocturnis deditus, moderatus, & de religione ſic ſentiens, id in ea eſſe optimum, quod antiquiſſimum, nec fas ulli de ſua mentiri fide, nil in ea diſſimulandum, nil ἀδιάφορον, ſed vitandas inanes & curioſas quæſtiunculas,

Digitized by Google

culas, & religionem moderata ratione ſuadendam potius, quam ferro & armis imperandam; benignus etiam erat erga pauperes & egenos ſupra, quam dici poteſt, integer quoque & candidus, temperans, caſtus & humilis; dumque in ſanctiore receſſu cum Rege lectioni vacabat, febre letali correptus & proſtratus ex hac vita migravit A. 1612. æt. 68. ſtupendo prius & inſolito ex ſiniſtri oculi acie in adſtantes fulgore emiſſo, qui eos omnes in admirationem rapuit. Fr. *Balbus* in Nic. Fabri vita, quæ extat in volumine Vitarum ſelectar. viror. illuſtr. Vratislaviæ A. 1711. in 8. impreſſarum, p. 77. *Scaligerana* 152. *Magirus* 334. *Caſaubonus* Exercit. contra Baron. 551. *Colomeſius* 605. *Baluzius* præfat. in Petri de Marca opuſcula §. XV. *Launoius* præfat. Diſcuſſ. reſponſi Milleti ad ſuam diſſert. de 2. Dionyſiis. Ex operibus eius, aut potius opuſculis, quorum catalogus in fine Vitæ exhibetur, notanda ſunt ſequentia: Diſquiſitio, num gravioris mali cauſſa, levius committi poſſit? Præfationes in S. Hilarii fragmenta, & Senecas, Expoſitio verborum *Matth.* c. 18, 15. *Si peccaverit in te frater tuus*: de B. Dionyſio: de Presbyterorum cœlibatu.

Io. *Cloppenburg*, amſtelædamenſis, paſtor aelburgenſis, heusdanus, amſtelædamenſis, brielanus, & harderovicenus, atque in hoc loco pariter prof. theologiæ, poſtremo Franekeræ paſtor & prof. theol. obiit A. 1652. æt. 60. Opera eius omnia duobus voluminibus prodierunt Amſtelædami 1685. 4. eorumque plurima idiomate ſcripta ſunt belgico. *Benthem* de Statu eccl. & ſchol. holland. P. II. 298. 525. Fuit vir doctus & ſolidus, teſte Campeg. *Vitringa* Obſervat. ſacr. l. 2. c. 13. p. 445. atque in epiſtolis eius multa ineſſe docta, eumque ſæpe & multum legiſſe ac ſecutum fuiſſe Ludovicum de Dieu, fatetur *Schurzfleiſch* Epp. arcan. T. I. 24.

Iac. *Vſſerius*, dublinienſis, primum diaconus & presbyter in eccleſia patria, deinde baccalaureus theologiæ, inde theol. profeſſor atque cancellarius eceſiæ S. Patricii, porro & ſucceſſive doctor theologiæ, epiſcopus midenſis, conſiliarius regius, & archiepiſcopus armachanus, ſed poſtea Hibernorum rebellione ad incitas redactus, muneribusque & opibus, unicam ſi excipias bibliothecam, ſpoliatus, Oxonii, in Wallia, & Londini aliquandiu vixit, atque in ſacello iuris peritorum collegii, quod in ſuburbio weſtmonaſterienſi ſitum, *Hoſpitium lincolnienſe* nuncupatur, munere functus

eſt concionatorio, donec A. 1655. æt. 75. ærumnoſam vitam piis hiſce verbis ad Ieſum Chriſtum directis, *Condona mihi, o Domine, peccata mea omiſſionis*, clauſit, vir, ut Io. *Gravius* in eius epitaphio loquitur, ob rerum eruditionem, ingenii acumen, dicendi & ſcribendi facilitatem, morum gravitatem ſuavitate conditam, vitæ candorem & integritatem, æquabilem in utraque fortuna animi conſtantiam, orbi chriſtiano & piis omnibus carus, omniumque iudicio, præterquam ſuo, præſul vere magnus. Tanta eius erat fama & exiſtimatio, ut ipſe etiam tyrannus Oliverus *Cromvvellus*, captandi plauſus popularis gratia, eum ad ſe vocaret, & ſub falſa ficta-que pietatis ſpecie de augendo & ſtabiliendo tum in Anglia, tum alibi terrarum,communiProteſtantium commodo diſſereret,eiusque conſilium expeteret. Olim quidem ſtrenuus fuerat calvinianorum dogmatum aſſertor ac defenſor, ſed ante mortem mutavit ſententiam in articulis de electione & reprobatione, de gratia & libero arbitrio, de redemtione humani generis per mortem Chriſti ſalvatoris, & reliquis, cumque epiſcopo *Overallo* in gratiam rediit. Thom. *Smith* in Vita Vſſerii p. 4. & ſeqq. qualis etiam legitur in collectione Vitarum theologorum inſignium, quam fecit Io. Georg. *Iochius* 176. Inter ſcripta eius, quæ ſparſim indicantur a *Smithio*, a *Iochio* autem peculiari in catalogo p. 218. nos pro noſtro inſtituto nunc tantum notabimus Annales V. & N. T. & Chronologiam ſacram, de quibus vide *Smithium* p. 102. & 109. De epiſcopis & presbyteris modeſte ſenſit, eos non differre ordine, ſed gradu duntaxat, adeoque non reiiciendos eſſe, qui a presbyteris, præſertim ubi per civilem poteſtatem aliter fieri nequeat, ſunt ordinati, & Liturgiam eccleſiæ anglicanæ magno in pretio & honore ſemper habuit. Elogia & teſtimonia virorum doctorum de Vſſerio noſtro multa accumulavit *Smithius* p. 132. Quibus, præter id, quod habent *Magirus* p. 802. & *Blount* 999. addere licet *Richardſon*. præfat. in Vſſerii opuſculum de Epiſcopor. & metropolit. origine, Lud. *Molinæum* in Hottingeri Bibliotheca p. 34. *Colomeſium* 494. *Acta erud.* A. 1687. 113. & *Cotelerium* in Iudicio de Conſtitution. apoſtol. P. I. 195. Immo & inter adverſarios, quos habuit, videlicet Rich. Stanihurſtum, Malonium, Bellomontium, & Pet. Heylinum, debitam conſecutus eſt laudem, ita ut *Bellomontius* ieſuita eum vocarit virum profundæ & conſummatæ eruditio-

nis

nis, & *Fiz-Simon*, eiusdem Societatis, acatholicorum doctiſſimum.

Fran. *Moncaius*, fridevallianus atrebas, adverſarium nactus eſt Robert. *Viſorium*, theologum ſorbonicum, qui ei oppoſuit Deſtructionem Aaronis purgati A. 1609. Et *Dorſcheus* in Septenar. admirand. I. Chriſti p. 122. eum erraſſe ait, ſtatuentem, Aaronem in eo ceſpitaſſe, quod arcanum divinæ religionis ornatum populo moroſius inſtanti expoſuerit, & extra ſedes cœlitus deſtinandas collocaverit. *Cren.* Animadverſ. P. II. 213. Scripſit etiam de Lucis, Hiſtoriam apparitionum divinarum, de Portis civitatis Iudææ, & Paradiſo, florens A. 1590. Vid. etiam Gregor. *Michaëlis* in not. in Gaffarellum p. 71. 74.

Io. Antonides *van der Linden*, enckhuſanus, Medicinæ doctor & profeſſor in academia franekerana, traiectina & leidenſi, dedit librum de Scriptis medicis, Selecta medica, & Orationem in exceſſum Adolphi *Vorſtii*, vivereque deſiit A. 1664. æt. 55. *Kœnig* 474. *Benthem* P. II. 503.

Moſes Bar Cepha i. e. filius Cephæ ſeu Petri, homo aſſyrius, dignitate epiſcopus, primum quidem in Beth Raman, deinde in Beth Ceno, Aſſyriæ oppidis, tandem Mozali Meſopotamiæ, miſſo Moſis nomine (ſic enim moris eſt apud illos epiſcopos) Severus dictus, ſyriaca lingua, qua pleræque omnes chriſtianorum in Aſia eccleſiæ, exceptis græcis & armenis, ut nos latina, utuntur, alios quoque ſcripſit libros, videlicet unum de Sex diebus creationis, item de Anima, de Sectarum multitudine atque differentia, & Interpretationem euangelii ſecundum Matthæum, ſupremumque diem obiit A. C. 914. Vid. *Maſii* Præfatio p. 330. *Epitome* Biblioth. geſner. 613. *Gerhard.* Patrol. 526. *Olear.* Biblioth. eccl. P. I. 492. Tam gentili, quam proprio, & forſan ex crebris ad plebem concionibus contracto, vitio, unam rem ſæpe decies repetit; Maſius autem immodicas illas iterationes & βαττολογίας, ne faſtidium lectoribus orietur, abſcidit & amputavit.

Moſes Mardenus, ſive antiochenus, natione aſſyrius, ex Iacobitarum ſecta, patriarchæ antiocheni legatus, & Maſii doctor in cognitione linguæ ſyriacæ, ſuo & patriarchæ ſui nomine edidit Romæ Confeſſionem iſtam anno Chriſti, ut dictum eſt, 1552.

Sulaka, ſic dictus perſice, arabice vero *Sind*, natus in urbe Mazol parentibus optimatibus, cœnobita, & per XII. annos pater, erat 40. circiter ætatis annorum, cum in Catholicum ſive Patriarcham eligeretur, vir præditus caritate & ingenio, doctus & doctor, ac temperans cœlebsque, excellens inſigni vitæ probitate, (quam laudem ei dedit populus neſtorianus in epiſtola ad Papam romanum) ideoque dignus faſtigio patriarchali, ſed & adeo modeſtus, ut dignitatem oblatam, quaſi ſuo talento maiorem, bis recuſaret, uſque dum tertium redirent ablegati, qui eum ad concionem eligentium, ex eorum voto ac deſiderio, deducerent, ac fere raperent: raro, & contra europæorum ſacerdotum turpem ambitum, vel ipſo Maſio p. 437. tomi II. Supplementorum Crit. ſacr. confitente, exemplo.

Auguſtinus *Iuſtinianus*, genuenſis, ex illuſtriſſima Iuſtinianorum familia, prædicatorii ordinis, epiſcopus nebienſis in Corſica, græcæ, hebraicæ, chaldaicæ & arabicæ linguæ peritiſſimus, concinnavit Annales Genuenſium, & Corſicæ deſcriptionem, cumque ad eccleſiam ſuam adminiſtrandam navigaret, tempeſtate abſorptus eſt A. 1530. *Kœnig* 441. Andr. *Sauſſay* in Continuat. libri Bellarm. de Scriptor. eccl. p. 11.

Nortonus *Knatchbull*, Baronettus anglus, ruri ſcripſit Animadverſiones ſuas, ſupellectile libraria deſtitutus, eiusque propoſitum fuit, ſuas afferre cogitationes, non vero interpretum, ſive veterum, ſive recentium, veſtigia legere. Sequitur quidem regulas critices ordinarias, interdum tamen, iudice Rich. *Simonio* Hiſt. crit. commentat. N. T. 792. nimis indulget coniecturis ſuis. *Clericus* in Arte crit. laudat eum ob S. apoſtoli Pauli parentheſes monſtratas, quæ non obſervatæ ſenſum turbant: *Colomeſius* appellat virum doctum & ingenioſum. p. 584. & *Kœnigius* Animadverſiones iſtas vocat non contemnendas. p. 447.

LXIV.

Liber pſalmorum & Cantica, ex diverſis Bibliorum locis, necnon Eſaias, & N. Ttum, cum EXPOSITIONE CATHOLICA ECCLESIASTICA. Genevæ 1562. 1564. volum. III. Expoſitio hæc magno labore collecta eſt ex aliquot Patrum eccleſiæ, ac Proteſtantium, & unius pontificii, videlicet *Eraſmi*, commen-

mentariis, ſcriptisque, & quidem, ut Melch. *Adamus* indicat in Vitis theologor. exter. p. 23. ab Auguſtino MARLORATO, qui & ſuas Annotationes adiecit, ſcopumque operis ſui indicat in præfatione.

Aug. *Marloratus*, lotharingus, primum Auguſtinianorum mendicantium ordinis, deinde eccleſiaſtes lauſanenſis, ac poſtea rotomagenſis, interfuit colloquio poſſiaceno, quod inter Card. LOTHARINGVM & *Bezam* inſtitutum, & exorto in Gallia bello civili, urbeque rotomagenſi capta, cum IV. principibus civitatis viris captus, & laqueo ſuffocatus eſt A. 1562. cum annos 56. vixiſſet. Concinnavit etiam Expoſitionem catholicam eccleſiaſticam libri Geneſeos, & Theſaurum in locos communes theologicos. *Adamus* l. c. *Friſius* Epit. biblioth. geſner. 92. *Kœnig* 511. *Thuanus* l. 28. p. 537. & l. 33. p. 629. Eundem æſtimat ac laudat ſereniſſ. Brunsuic. & Luneb. Dux, AVGVSTVS, in epiſtola nondum edita ad Io. Valent. Andreæ A. 1644. d. 27. Aug. ſcripta.

LXV.

Io. CALVINI in Harmoniam trium euangeliſtarum (Matthæi, Marci & Lucæ) Commentarius. Genevæ 1595. Editio optima eſt criſpiniana A. 1572. De appellatione autem *Harmoniæ*, vide *Sixtum* ſenenſem B. S. l. 3. p. 192. Epiſtolæ dedicatoriæ huius voluminis ſubiungit auctor argumentum in euangelium Matthæi, Marci & Lucæ, in eoque agit de euangelii definitione & fine, & quid a reliquis euangeliſtis differat Ioannes. In epiſtola autem dedicatoria Commentarium hunc ait a ſe ſumma fide parique diligentia elaboratum eſſe. At, Mart. *Chemnitii* in Proleg. Concord. euang. c. 2. iudicio, Calvinus non eſt annumerandus illis, qui Concordias compoſuere euangeliorum, quia non bene diſcreuit hiſtorias, quæ videntur eſſe eædem.

Io. *Calvinus*, natus Novioduni, primum ſtudio iuris operam dedit Aureliæ ſub Petro *Stella*, tantumque in eo profecit, ut diſcedenti doctoratus inſigna, ſine ullo pretio, ſummo docentium conſenſu, quaſi optime de academia merito offerrentur. Poſtea etiam audiuit Andr. *Alciatum* in academia bituricenſi. Sed cum iuris ſtudio coniunxit etiam theologiæ tractationem, ac procedente tempore ſacris ſe totum mancipavit, factusque eſt paſtor & profeſſor

apud Genevenſes; in qua functione, poſtquam contra varios pugnavit, nominatim contra *Sadoletum* cardinalem, Albertum *Pighium*, PAVLVM III. P. R. *Anabaptiſtas* & *Libertinos*, item *Pſeudonicodemitas*, *Caſtellionem*, Fran. *Balduinum*, *Servetum*, & Val. *Gentilem*, *Weſtphalum*, *Heshuſium* & *Stancarum*, *hollandum* quendam, & Anton. *Cathalanum*, reſpirationis difficultate obiit A. 1564. ætatis 55. Commentatus eſt in multos S. ſcripturæ libros, ſed non in omnes. *Cren.* Animadv. P. XV. 110. Excipiuntur enim liber Iudicum, Ruth, poſterior Samuelis, uterque Regum & Chronicorum, liber Eſtheræ, Eſdræ, Proverbia, Eccleſiaſtes, Canticum canticorum, & Apocalypſis. Opera eius omnia IIX. voluminibus edita ſunt Genevæ A. 1592. & IX. Amſtelædami A. 1667. quæ editio melior eſt & luculentior. *Mayer* in Biblioth. bibl. 86. Quo autem tempore ſingulos illos Commentarios ſcripſerit, edocere poſſunt Melch. *Adamus* in Vita Calvini, & *Pareus* in Calvino orthod. l. 2. c. 2. Ac præter *Adamum* vitam eius deſcripſere *Beza*, *Bolſecus*, & Alex. *Morus*. Sed medius ille, inſtigatore Calvino, Geneva pulſus, plauſtra conviciorum & mendaciorum, ut *Molinaus* in *Hyperaſp.* l. 1. c. 12. iudicat, advexit; atque in eum exoneravit. Ioſ. Iuſtus *Scaliger* vocat eum ſolidum theologum & doctum, ſtilique ſat purgati, & *elegantioris, quam theologum deceat:* fortaſſe autem dicere volebat, elegantioris, quam in vulgo theologorum reperias; abſit enim, ut ſtili elegantiam theologum dedecere putemus, aut dicamus. Præ aliis idem laudat eius Commentarium in Danielem; quanquam, uti addit, omnia hauſerit ex B. *Hieronymo*. Adprobat quoque eius inſtitutum, quod abſtinuerit ab explicatione *Apocalypſeos Ioannis*, ut libri obſcuri, & difficillime explicabilis; prophetarum autem mentem optime aſſecutum eſſe teſtatur. Hoc etiam mirum, ipſum tot libros ſcripſiſſe, & nihil retractaſſe. De his omnibus vide *Scaligerana* p. 75. ſeqq. *Gatakero* dicitur optimus interpres, T. I. 484. *Thuano* l. 36. vehementi ingenio, & admirabili facundia præditus, atque a Rich. *Simonio* in Hiſt. crit. V. T. l. 3. c. 14. præfertur *Luthero*, quamvis hic eum ſuperaverit notitia ebrææ linguæ. Fuit vir pius, laborioſus, temperans, (nam per X. integros annos, valetudinis cauſſa, prandio abſtinuit, & omni non nunquam cibo totas 36. horas) & ſorte ſua contentus, adeo ut oblata ampliora ſtipendia generoſe repudiaverit. Sed & ſuos habuit nævos, inique in-

interdum virulenteque bonos viros tractans, ut *Caſſandrum*, *Balduinum*, *Caſtellionem*; ne dicam, eum male audire ob diram de occidendis hæreticis ſententiam, & procuratum Serveto apud Magiſtratum genevenſem lenti ignis ſupplicium. *Sagittar.* Introd. in Hiſtor. eccleſ. 823. *Gerhard.* L. de Magiſtr. polit. n. 345. F. V. *Calixtus* tract. de Hæreſi 355. *Claudius* apud Rechenberg. Hiſt. eccleſ. 741. Conr. *Bergius* Them. theol. 178. *Epiſcop.* vol. II. part. 2. p. 52. Phil. a *Limborch* Theol. chriſt. l. 7. c. 20. G. *Arnold* Hiſt. eccleſ. & hæret. I. 16. c. 33. *Lubienicius* Hiſt. reformat. polon. 105. & *Sorberiana* 48. 51. Quibus adde *Lutherum* Tomo I. opp. german. ienenſ. p. 428. pie grauiterque docentem, iniuſtum eſſe, hæreticos ſuppliciis tollere. Ceterum de Calvino videantur *Kœnig* 156. *Magirus* 170. *Blount* 646. *Caſſander* 1080. 1082. Balth. *Copius* in præfat. in Explicat. epiſt. ad Galat. auctor *Colloq. german.* duor. peregrinant. 8. Felix *Turpio* (i. e. Fauſt. Socinus) præfat. in IV. Dial. Caſtellion. * 4. *Ancillon* Mel. crit. T. II. 26. *Colomeſ.* 787. *Cren.* de furib. librar. 42. & de Singular. ſcriptor. 64. denique *Epp. præſtant. viror.* 250. b. Inter adverſarios Calvinus etiam habuit P. Alexandrum *Regourdinum*, qui ſcripſit Anti-Calvinum. *Baillet* in Anti T. II. 47.

LXVI.

Mart. BORRHAI Commentarius in libros Ioſuæ, Iudicum, Ruth, Samuelis & Regum. Baſileæ 1557. In præfat. differit auctor de triplici I. Chriſti in ſacris literis deſcribendi via, quarum primam tectam vocat, alteram mixtam & temperatam, tertiam clariorem & apertiorem. Et primam quidem tribuit Moſi, & ſcriptoribus librorum Iudicum & Regum, qui eum variis umbris, tum ex perſonis, tum ex rebus mutuatis exhibeant; ſecundam prophetis, qui partim figurate tecteque, partim clarius & apertius Chriſtum, eiusque regnum explicent; tertiam novi fœderis ſcripturæ, ubi de Chriſti natiuitate, cruce, morte, reſurrectione e mortuis, eiusque in cæleſtem gloriam translatione teſtimonia exſtent. Deinde ait, elaborandum eſſe, ut ea norma interpretandi utamur, cuius apoſtolus meminit 1. *Cor.* 2, 13. dicens, *ſpiritualia ſpiritualibus comparanda, & ſpiritualiter diiudicanda eſſe*, i. e. res divinas & cæleſtes cum divinis & cæleſtibus conferri debere,

bere, ut umbræ & figuræ, ex corporatis & aſpectabilibus rebus de-promptæ, cum umbris & corporatis conferuntur, e. g. ſi moſaica ſacrificia tractanda ſint, convenire, ut ea cum puerili & rudiore ætate, pædagogiæ legis ſubiecta, conferantur, cui myſtica & legali Dei placatione præſtiterint, quod ſacrificia ſpritiualia Iſraëlitis, qui ex promiſſionis ſpiritu Iſraëlitæ ſunt, vera placatione per ſanguinem Ieſu Chriſti præſtant. Porro oſtendit, quibus rebus ſacrarum literarum interpres inſtructus eſſe debeat, videlicet 1) vi intelligendi illas res, quæ utriusque fœderis libris continentur: 2) vera ſcripturæ locos conferendi facultate; quæ quidem comparatur præclarorum doctorum auſcultatione, ex aſſidua ſacrorum librorum lectione, ex frequenti ſcripturæ dictorum collatione & perpenſione, denique ex perpetua ad Deum in Chriſto precatione: 3) inſtrumentis; quæ ſunt, linguarum cognitio, Grammatica, Dialectica, Rhetorica, Mathematica, Phyſica, Oeconomica, & Ethica.

Mart. *Borrhaus*, *Cellarius* alias dictus, ſtutgardienſis, Phil. Melanchthoni carus, cum adhuc eſſet ſtudioſus, ſententias anabaptiſticas, quas a Marco *Stubnero* Wittebergæ hauſerat, in Boruſſia cum *Cellarii* nomine miſſas fecit: Baſileæ autem poſtquam uxoratus vitam orbibus feneſtras muniendo aliquandiu toleraverat, tandem in profeſſorum ordinem receptus, primum rhetorica, deinde, ſumto doctoris titulo, S. theologiam docuit, & veteris inſtrumenti libros ex fontibus explicavit, peſte abreptus anno 1564. æt. 65. Eius quoque ſunt commentarii in pentateuchum Moſis, Iobum, Eccleſiaſten, Eſaiam, & Apocalypſin, nec non Annot. in Politica Ariſtotelis, Στοιχεῖα mathematica, & de Cenſura veri & falſi libri tres. De eodem ſic canit Paulus *Cherlerus*:

Vir fuit iſte bonus, ſimiles cui teutona tellus
Non multos noſtro tempore forſan habet.

Guil. *Forbeſius* vocat eum theologum celeberrimum, eiusque ſententiam de iuſtificatione hominis peccatoris coram Deo in primis celebrat & laudat, Conſiderat. controverſ. p. 78. 80. Quibus adde *Hoornbeeckii* Summam controverſ. 337. *Peterſenii* Nubem teſtium verit. l. 3. 37. *Thuan.* lib. 36. p. 672. *Sandium* Biblioth. antitrinit. 15. & *Lexicon univerſ. hiſt.* T. I. 412.

Ludo-

Lud. LE BLANC Theſes theologicæ. Londini 1708. Editio quarta. In iis diſputat auctor de fide, theologia, ſcripturæ S. auctoritate & plenitudine ſeu ſufficientia, de Deo eiusque attributis, prædeſtinatione, certitudine fidei, S. ſcripturæ perſpicuitate, eiusque verſionibus, in primis vulgata latina, decretorum divinorum ordine, converſione hominis, fide iuſtificante, & iuſtificatione ipſa, eiusque certitudine, peccato mortali & veniali, remiſſione peccatorum, imaginum, angelorum & ſanctorum cultu, primi hominis immortalitate & iuſtitia, libero hominis arbitrio, gratiæ neceſſitate, & partitione gratiæ in ſufficientem & efficacem, de impletione legis, bonis operibus, eorumque merito, uſu & efficacia ſacramentorum, intentione miniſtri in adminiſtratione ſacramentorum, Chriſto mediatore, & denique de unione inter Proteſtantes & Pontificios: quam quidem illicitam & impoſſibilem ſtatuit. Scopus auctoris præcipuus eſt, diſtincte exponere ſtatum controverſiarum, & ſuam ſive ſuæ eccleſiæ ac diſſentientium ſententiam fideliter referre, porro etiam accurate diſtinguere inter ſententias doctorum & particulares, doctrinam eccleſiæ, nec aliis dogma impingere, ubi non ex profeſſo locuti de re fuerint, ſed obiter, & quaſi aliud agentes. Pag. 600. §. 38. meminit *doctoris cuiusdam lovanienſis*, quem refutet Bellarminus: is autem, indicante Gul. *Forbeſio* in Conſid. controv. p. 197. eſt Mich. *Baius*.

Lud. *Le Blanc*, pleſſiacus, dominus Belli loci (de Beaulieu) V. D. miniſter & theol. profeſſor ſedanenſis, fuit, ut Collectores Actor. erud. ad A. 1683. p. 420. ex teſtimonio Iacobi *de Vaux* referunt, vir ſubacti iudicii, in rebus theologicis magnopere verſatus, ſolidæ eruditionis, doctusque in linguarum orientalium notitia. Et Iac. *Le Févre* Motifs invincibl. p. 286. eum vocat habile Miniſtre, præſtantem Miniſtrum. Floruit ſeculo XVII. & obiit A. 1675. æt. 60. Si credere vis P. *Adamo* S. I. in concione Remis habita, Blancus tandem religioni ſe accommodavit romano-catholicæ. Vid. *Memoires* ſur la pretend. Declarat. de l' Vniverſité de Helmſtad p. 58. In tractatione controverſiarum ſtuduit evitare otioſas quæſtiones & pugnas verborum; ideo autem in ſuſpicionem incidit, ipſum velle conciliationem inire religionum diſcrepantium. Vide *Lexic. univ. hiſtor.* T. I. 312. Hæc nimirum eſt merces

Digitized by Google

eorum, qui veritatis ac moderationis ſunt ſtudioſi, & candide agere annituntur.

LXVII.

Petri Martyris VERMILII Commentarius in librum Iudicum. Tiguri 1565. & in II. libros Samuelis 1567. Editio ſecunda, eaque longe emendatior. Priori commentario ipſe Vermilius præmittit dedicatoriam epiſtolam, qua teſtatur, ſe ad docendum euangelium vocatum operam dediſſe, ut non ſolum docendo, ſed etiam animo, vita, & moribus muneri ſuo ſatisfaceret: deinde laudat beneficia a Senatu argentoratenſi accepta: denique hiſtoriæ Iudicum lectionem utiliſſimam eſſe aſſerit. Atque hic commentarius natus eſt Argentorati, cum Vermilius illuc e Britannia rediiſſet, & ad ſacrarum litterarum interpretationem denuo admiſſus eſſet. Poſteriorem autem Ioſias *Simlerus* dedicatione inſtruxit, in qua agit de præclaro, & latiſſime patente cum omnis, tum potiſſimum ſacræ hiſtoriæ uſu, aitque, auctorem quidem morte præventum non potuiſſe ipſum recognoſcere totum opus, (recognovit enim tantum ſex primi libri capita) ita tamen ſe illud habere, ut, ſi quid forte ornatus & elegantiæ cauſſa, nihil certe in ipſa explicatione iure meritoque deſiderare poſſis.

Pet. Martyr *Vermilius*, florentinus, e nobili Vermiliorum familia, quorum plerique in urbe illa magiſtratum geſſerant, Petri martyris nomen, quo fere vulgo adpellatur, in baptiſmo nactus eſt in memoriam & honorem Petri martyris mediolanenſis, olim ab Arianis occiſi, quem parentes ipſius in primis colebant. A matre in latina lingua informatus, ordini Auguſtinianorum ſe mancipavit, & e ſuggeſtu docuit Brixiæ, Romæ, Bononiæ, Firmii, Piſis, Venetiis, Mantuæ, Bergomi, & alibi, in ſuæ autem familiæ collegiis philoſophiam & S. litteras interpretatus eſt. Ebræam linguam didicit ab *Iſaaco* quodam, medico ebræo. Quod ad dignitates eius attinet, primum factus eſt abbas ſpoletanus, tum præfectus Collegii neapolitani, (ubi cœpit agnoſcere veritatem ex lectione Patrum, atque in primis ſcripturæ S. ſcriptorumque *Buceri*, *Zvvinglii*, & *Eraſmi*) poſtea generalis viſitator ſui ordinis, & tandem prior lucenſis. Inde autem cum Bernardino *Ochino* Tigurum ſe contulit, & S. litteras iuxta Proteſtantium normam docuit

Argen-

Argentinæ, poſt Oxonii, (ubi cooptatus fuit in Collegium canonicorum, denique ſollemniter renunciatus doctor theologiæ) & rurſus Argentinæ, ac tandem Tiguri, ubi poſt multas migrationes ad requiem pervenit A. 1562. æt. 63. Melch. *Adam* in Vitis theologor. exter. 24. De vita & obitu eius orationem habuit Io. *Simlerus*, unde prædictus *Adamus* multa excerpſit. Cum iam eſſet profeſſor tigurinus, colloquio interfuit poſſiaceno, ac diſputare cœpit cum Card. Lotharingo. Vt vero de ſcriptis viri huius quid dicamus, ſciendum, eum concinnaſſe Explicationem Symboli apoſtolici, Catechiſmum, Commentarium in epiſtolam ad Romanos & priorem ad Corinthios, Defenſionem doctrinæ de euchariſtiæ ſacramento contra Steph. *Gardinerum*, & aliam contra Rich. *Smithæum*, Dialogum contra Io. *Brentii*, ſuppreſſo tamen hoc nomine, libellum de perſonali unione duarum in Chriſto naturarum, quo ſententiam de ubiquitate corporis Chriſti profiteri viſus eſt, item libellum Precum, Confeſſionem de cœna Domini, Locos communes, & iuſſu Regis cum Thoma *Cranmero*, archiepiſcopo cantuarienſi, Gualth. *Haddono* & Rolando *Tailoro*, Leges eccleſiæ gallicanæ; inchoata autem & imperfecta reliquit Commentaria in Geneſin, Exodum, Leviticum, Prophetas minores, Ieremiæ lamentationem, & Ariſtotelis libros ad Nicomachum, quos iuxta cum SS. litteris Tiguri exponere iubebatur. *Friſius* in Epit. Biblioth. geſner. 675. & M. *Adamus* 56. Atque hic poſterior laudat Vermilium, quod in Commentariis ſuis quæſtiones non ubivis obvias proponat; ſed Rich. *Simon* Hiſt. crit. V. T. l. 3. c. 14. p. 437. illas habet pro curioſis, eique exprobrat longas, quibus uteretur, digreſſiones. Fuit trium vir linguarum, id eſt, latine, græce, & ebraice doctiſſimus, tantique inter omnes Proteſtantes habebatur, ut ſub EDVARDO VI. Rege in Britanniam vocaretur ad reformandas eccleſias, tradendamque puriorem in univerſitate oxonienſi doctrinam. Et quamvis varia fortuna iactaretur, multosque haberet inimicos & inſidiatores, incredibilis tamen ſemper fuit conſtantiæ & fortitudinis, ceterum inſtructus eloquentia, & iis præditus dotibus, quæ eum amabilem ac venerabilem redderent apud cunctos veri & honeſti ſtudioſos. *Kœnig* 515. *Blount* 643.

LXVIII.

Eiusdem Comment. in librum I. Regum, & XI. priora capita libri II. cum continuatione Io. WOLPHII in XIV. ultima capita. Tiguri 1571. Hic nempe erat ultimus Vermilii labor, eique ille immortuus eſt. Continuationem autem & editionem commendarunt & iniunxerunt Wolphio eccleſiæ & ſcholæ tigurinæ præſides, ſicut ipſe refert in præfat. ſeu dedicatione: in qua etiam rationem inſtituti ſui exponit, ſacros illos Regum libros laudibus extollit, deque nomine, poteſtate & officio Regum diſſerit, & Vermilium hoc ornat elogio: *Petrus martyr doctiſſimus & graviſſimus theologus, habuit a natura genus quoddam acuminis, quod arte limaverat; & tamen huius nihil unquam oſtentabat, ſed qua vel abs ſe ſubtiliter excogitata, vel ante eum inventa apud alios obſervata haberet in omni ſcientia genere, ea vel ad delectationem honeſtam in convictu, vel ad utilitatem publicam in conſultationibus, atque in ſchola tam ſimpliciter & candide ſolebat, quam comiter & prudenter adhibere, ut qui non minus pius & gravis erat, quam eruditus & prudens, & maximorum hominum urbanitate limatus.*

Io. *Wolphius*, tigurinus, paſtor eccleſiæ patriæ, elucubrauit Commentarium in Nehemiam, Eſdram, Eſther, & Ionam: ſcripſit etiam Præconem euangelicum, tractatum de Sabbato, & alium de Chriſtiana perfectione, pluraque alia, quæ referuntur in Epit. Biblioth. geſner. 512.

Henr. BVLLINGERI Commentarius in Acta apoſtolorum. Tiguri 1584. Acceſſit Series & digeſtio temporum & rerum, deſcriptarum a B. Luca in Actis apoſtolorum. In præfatione autem ſeu dedicatione teſtatur, ſe veteres & recentiores legiſſe interpretes, optimaque inde decerpſiſſe, nemini tamen ſententias ſuas præſcribere aut imponere: *Per me enim*, inquit, *piis lectoribus expendere licet, quid pium, quid neceſſarium, quid utile, quid genuinum, quid aſcititium, quid ſuperuacaneum, vel affectatum ſit. Nolo enim me in ſcriptis, ut canonicis, credi: nolo ſanctis & doctis huius aui hominibus praiudicare.*

Henr. *Bullinger*, Bremogarta-helvetius, eccleſiæ tigurinæ miniſter, ingenio miti, in docendo perſpicuus, & ſimplicitatis amans, oſor ſpinoſarum & inutilium quæſtionum, ſpiritum Deo reddidit

A. 1575.

Digitized by Google

A. 1575. miniſterii 50. ætatis 71. Opera eius omnia in X. tomos digeſta ſunt. *Kœnig* 142. M. *Adam.* in Vit. theol. 476. *Seldenus* de Synedr. vet. Ebr. l. 1. c. 10. p. 235. vocat theologum eximium, & maximi apud Reformatos nominis, ſcriptorem celebrem.

Ieſu Chriſti Vita, ex IV. euangeliſtis contracta, & in ordinem atque tabulas redacta a Barthol. RADTMANNO. Francofurti ad Oderam A. 1599. Confecit auctor has tabulas in uſum privatum, poſtea autem, ad plurium inſtantiam, typis eas publicis commiſit, ut ſingula hiſtoriæ Chriſti facile & oculis luſtrari, & memoria comprehendi poſſent. Annotavit etiam annum, menſem, ac diem, in quo Chriſtus quid vel dixit, vel fecit; atque in eo ſecutus eſt Barthol. *Schulteti*, inſignis mathematici, calculum, Calendariis ipſius inſertum.

Barthol. *Radtmannus*, viadrinus, theol. D. & profeſſor in academia patria, obiit A. 1600. deditque Sciagraphiam pſalterii dauidici, Introductionem in linguam arabicam, & Collationem prædictionis & eventus vaticiniorum divinorum.

LXIX.

Wolfg. MVSCVLI Commentarius in Geneſin. Baſileæ 1600. A multis mendis repurgatus. In Præfatione agit auctor de multis magnisque moleſtiis, quæ cuiuscunque generis commoditates ſolent comitari: e. g. reſtitutam veritatis divinæ lucem comitantur ſectæ, earumque odia, perſecutiones, imputationes hæreſeos, corrupti mores eorum, quibus ſincerior affulſit doctrina, non nullorum nauſea & faſtidium ad verbum veritatis, aliorum neutralitas, & bellorum motus, quibus Monarchæ inter ſe certant, & orbem chriſtianum miſerandis modis conficiunt ac vaſtant, viribusque ſuis penitus ſpoliant: item de ordine & ratione harum lucubrationum, aitque, ſe ſe eas ad quadruplicem intelligentiam, quæ iis, qui in Scriptura utiliter verſari cupiunt, neceſſaria eſt, attemperaſſe. Methodum huius interpretis fatetur *Simonius* Hiſt. crit. V. T. l. 3. c. 14. p. 438. eſſe exactam.

Rodolphi HOSPINIANI Concordia diſcors. Tiguri 1607. Nimirum agitur de origine & progreſſu Formulæ concordiæ bergenſis, operamque auctor ſumit demonſtrandi, ut ait, errores & falſa eius dogmata, contradictiones, condemnationes iniuſtas, item

de modo agendi huc uſque inuſitato, quem in conſcribendo, ſuffragiis muniendo & promulgando illo Patres bergenſes ſecuti ſint. In Dedicatione autem de certaminibus ſacramentariis verba facit. Aculeato huic libro oppoſuit Leonh. *Hutterus* defenſionem, ſub titulo Concordiæ concordis.

Rod. *Hoſpinianus*, Altorfio-heluetius, eccleſiæ ſcholæque miniſter, ſcripſit etiam alia, quæ omnia in VII. tomos diſtributa, edita ſunt Genevæ 1681. f. obiitque poſt recuperationem viſus, ſed repueraſcens, A. 1626. æt. 76. Vid. *Kœnig* 414. *Heidegger* in Vita Hoſpiniani, & *Cren.* Diſſert. II. de furib. librar. 35.

LXX.

Wolfg. MVSCVLI Commentarius in Eſaiam. Baſileæ, 1557. In epiſtola nuncupatoria narrat beneficia Argentorati accepta, ſuamque in diverſis locis functionem, & ſtudium.

LXXI.

Eiusdem Commentarius in Matthæum. Baſileæ, 1578. & in epiſtolas ad Corinthios. Editio ultima, ſummo ſtudio relecta, & ab erroribus vindicata, ibidem 1611.

Etiam prior ille Commentarius, auctoris diligentia & manu recognitus fuit. Aravit autem in eo vitula *Brentii*, ſicut Io. *Saubertus*, antiſtes Miniſterii noribergenſis, ſua ad titulum libri notavit manu. In epiſtola nuncupatoria Commentario poſteriori præmiſſa, celebrat Muſculus Baſileam, cum ab academia & typographia, tum a tribus, quibus nobilitata ſit, magis, *Eraſmo*, *Oecolampadio*, & *Grynæo*.

LXXII.

Eiusdem Commentarius in epiſt. ad Romanos. Baſileæ, 1572. & in epiſtolas ad Philippenſes, Coloſſenſes, Theſſalonicenſes, & priorem ad Timotheum. Baſileæ, 1595. In præfatione prioris commentarii agit auctor de laudibus *Pauli* apoſtoli, S. ſcripturam non eſſe plebi auferendam, de Ordine epiſtolarum Pauli, de Statu epiſtolæ ad Romanos, & quare ad Romanos potiſſimum de doctrina fidei ac iuſtificationis ſcripſerit apoſtolus. Poſteriorem commentarium edidit Abraham *Muſculus*, filius, qui

Digitized by Google

qui in Præfat. ſeu epiſt. dedicat. præterquam quod irati Dei certum indicium eſſe ait, ſi viri de eccleſia præclare merentes e cœtu mortalium cito eripiantur, optat, ut licuiſſet parenti ſuo ceteras Pauli epiſtolas eadem, qua priores, perſpicuitate ac diligentia explanare.

LXXIII.

Hier. ZANCHII Commentarius in epiſtolam ad Epheſios. Neoſtadii 1594. Præmittitur oratio de aperiendis in eccleſia ſcholis, deque opera ſacrarum litterarum ſtudiis potiſſimum danda.

Zanchius, Alzano-italus, paulo poſt P. Martyris Vermilii diſceſſum, eandem ob cauſam Argentoratum conceſſit, eique in Angliam evocato in munere ſucceſſit. Poſtea Clavennæ, Heidelbergæ, ac Neapoli ſiue Neuſtadii Nemetum docuit, mortuus Heidelbergæ A. 1590. æt. 75. Melch. *Adam.* in Vitis exteror. theol. 148. *Moller* de Homon. 736. & P. II. Epiſt. ipſius Zanchii p. 444. De ſcriptis eius agit M. *Adam.* 152. & *Simlerus* in Epit. Biblioth. geſner. 355. Ea inter ſunt *Epiſtolæ*, quibus ſubiuncta eſt Oratio de diſſidiis componendis, laudata *Epiſcopio* P. I. b 300. Zanchius celebratur a *Thuano* ad ann. 1590. ob profundam in theologicis ſtudiis eruditionem, & ſummam in ſcribendo moderationem: & *Labbeo* dicitur ſubtiliſſimus inter Proteſtantes. *Blount* 767. *König* B. V. & N. 880. Quibus adde *Iurieu* Iugem. ſur les methodes rigid & relach. 103. *Sanderſon*. de Conſcient. prælect. 2. §. 16. p. 77. Habuit & ipſe vitium eruditis familiare, quod male & incongrue litteras formaverit. V. E. *Loeſcher* Vnſch. Nachr. A. 1706. 430. Opera eius iunctim ſunt edita A. 1618. & 1619. f.

Eiusdem Commentarius in epiſtolas ad Philipp. Coloſſ. & Theſſalonicenſes. Neuſtadii 1595. In altera primi folii parte exhibetur Index præcipuarum quæſtionum, quæ in toto hoc commentario breviter & perſpicue pertractantur.

LXXIV.

Io. CROCII Commentarius in omnes S. Pauli epiſtolas minores. Marpurgi 1663. Editio, poſt obitum auctoris, a filio ipſius curata. Epiſtolæ ad Galatas ſubiungitur prolixus tractatus, ſiue IX. Diſſertationes de Libertinorum hæreſi, contra Iac. *Gaultrrium*, p. 169.

Digitized by Google

p. 196. & ſeqq. Ratio huius commentarii hæc eſt, quod poſt explicationem Scripturæ, ſiue poſt ſenſum litteralem traditum, tractantur Loci doctrinarum. Eſtque inſignis liber, quo diſputaturi, aut concionaturi, modo iudicium adhibeant, feliciter uti poſſunt. In epiſtola dedicatoria laborat auctor oſtendere, doctrinam pontificiam quam plurimis hæreticorum commentis ac erroribus inquinatam eſſe. Deſunt autem hac in editione *Præfationes*, ſicut *Crenius* obſervat P. I. Animadv. p. 2.

Io. *Crocius*, natus Laſpheæ in Comitatu witgenſteinenſi, fuit in acad. marpurgenſi Theol. D. ac prof. denatus A. 1659. æt. 68. Scripta eius recenſet *Witte* Diar. biogr. Nnn 4. Vita auctoris ab Henr. *Duiſingio* deſcripta huic præmittitur operi, in qua ille multis effertur laudibus.

LXXV.

Io. SPENCERI de Legibus hebræorum ritualibus, & earum rationibus libri III. Cantabrigiæ 1685. Eſt quaſi commentarius in librum Moſis leviticum. Ex dono illuſtris viri, Iac. Wilh. *Imhofii*, quem in academia patria convictorem, poſt in Germania, Batauia & Italia ſuauiſſimum itineris comitem habui, quique hoc inſcripſit: *Plur. reverendo, ampl. atque excell. Dn.* Ioh. Fabricio, *S. theol. D. & in univerſitate altorfina Prof. publico, amico veteri & conſtanti, hocque nomine & ob multa de ſe merita perpetuo amore & cultu ſibi proſequendo, librum hunc pignoris ergo d. d. Iac. Wilh. Imhof, Procurator ærar. noriberg. d. 26. Aug. A. C.* 1692. Anno ſequente, videlicet 1686. recuſi fuerunt Hagæ Com. in 4. In Prolegomenis id agit clariſſimus auctor, ut oſtendat, non ex mero Dei legiſlatoris arbitrio & ſummæ poteſtatis iure, ſed ex certis rarionibus leges moſaicas eſſe conditas, easque rationes indagare & rimari velle, minime illicitum, quin potius iucundum & utile eſſe, ac chriſtiano homini conveniens. Quid autem ſingulis in libris tractatur? In *primo* de rationibus legum iudaicarum generalibus, earumque alia dicitur primaria, ut Iſraëlitis idololatriæ peſte corruptis medela adferretur, alia ſecundaria, non quidem omnium, quorundam tamen rituum, nimirum ut myſteriis quibusdam adumbrandis inſervirent. Nam 1. quædam ex inſtitutis moſaicis rerum ait cœleſtium imaginem prætuliſſe. 2. intra legis moſaicæ receſſus arcana quædam philo-

philoſophia latuiſſe. 3. decreta legis, ſimulacra exhibuiſſe myſteriorum euangelicorum; quædam vero ſpectaſſe etiam ad rerum geſtarum hiſtoriam memoria recolendam. Extraordinaria quoque a Deo media ad idololatriam abolendam fuiſſe uſurpata, e. g. quando in ſolitudinem Iſraëlitas eduxit, & per XL. annos a gentium colluvie detinuit, eosque, qui in Aegypto nati, & ægyptiacæ ſuperſtitionis crimine corrupti erant, ex hac vita abripuit: atque huc etiam referenda eſſe miracula a Deo in Aegypto & deſerto edita, capitis pœnam in idololatras ſancitam, Cananæorum iſto ſcelere pollutorum everſionem, miſſionemque prophetarum, fauſta ac triſtia populo prænuntiantium. Huic libro adiungitur *diſſertatio* de Theocratia iudaica, non naturali illa, quæ Deo competit iure creationis & omnipotentiæ, ſed ciuili, qua inter Iſraëlitas ſolemnis pacti iure gaudebat, velut poteſtate vere regali, adeo ut Moſes, ſecutique Iudices & magiſtratus alii non niſi vicarium geſſerint regimen. Spectaſſe autem ait alia ad Deum, ut regem mere politicum, v. g. conſtructum tabernaculum, ut ſummo regi palatii loco eſſet; inſtitutos ſacerdotes, ut Deo velut regi politico inſervirent; menſam cibo & potu inſtructam; oraculum in tabernaculi adytis conſtitutum, ac reſponſa inde data: alia ad Deum, ut regem cæleſtem, videlicet pleroſque ritus & inſtrumenta: alia ad Deum, ut regem militantem, dominumque exercituum, e. g. partitionem populi in IV. agmina, caſtrorum metationem, arcam Cherubinis inſtructam, tanquam præcipuum caſtrenſe ſignum; & ſpeciatim tabernaculum, qua palatium fuit, Deo ut regi politico, qua templum portatile, ut regi cæleſti, qua tentorium, ut regi militanti conveniſſe. In *ſecundo* de legibus moſaicis, quibus Zabiorum, id eſt, idololatrarum, quales & Aegyptii erant, ritus occaſionem dederint: Deum enim a ſuperſtitioſis illorum moribus Iſraëlitas ritibus ſuis abſtrahere voluiſſe, atque ideo hiſce leges & ritus quam plurimos non tantum ab illis diverſos, ſed iis prorſus adverſos & e diametro oppoſitos præſcripſiſſe. Subiungitur *Diſſertatio* in vexatiſſimum locum *Act.* 15, 20. de abſtinentia a pollutis per idola, fornicatione, ſuffocato, & ſanguine, in qua comprobare nititur, non aliam ob cauſſam iſta quatuor prohibita fuiſſe converſis e gentiliſmo chriſtianis, quam quod idololatriæ cauſſæ, comites ac ſigna eſſent. In *tertio* de illis ritibus, legibus & inſti-

tis, quæ e gentium moribus & religioſa quadam ſæculi illius conſuetudine in legem moſaicam translata fuerint. Hæc enim palmaria auctoris theſis eſt, Deum, ut idololatriæ, ſaltem indirecte, obviam iret, ritus non paucos multorum annorum & gentium uſu cohoneſtatos, quos ineptias eſſe ſciverit, ſed tolerabiles, aut ad myſterium aliquod adumbrandum aptas, in ſacrorum numerum adoptaſſe, e. g. cultum Dei apud & in tabernaculo, altaris cornua, veſtem ſacerdotum lineam, conſecrationem capillorum, ſacrificiale epulum, feſtorum ſollemnium celebrationem, oblationem primitiarum, & decimarum ſolutionem. Hæc eius hypotheſis in Diſſertatione prima huius libri ita generaliter aſſeritur. Pergendum autem ad reliquas etiam Diſſertationes. Nimirum *ſecunda* agit de origine ſacrificiorum: moſaica ex ſeculi conſuetudine gentiumque ritu in legem Ebræorum fluxiſſe, patriarchalia vero ab arbitrio humano, affectus pietate & naturali aliqua ratione ſubnixo, fuiſſe profecta: *tertia* de purificationibus, quarum aliæ fuerint ordinariæ, ſola aqua ad eluendas ſordes adhiberi ſolitæ, aliæ extraordinariæ, victimis, ieiuniis, aliiſque cærimoniis peractæ: *quarta* de neomeniis, tum communibus, quas ſub prima lunæ naſcentis, & menſis cuiusvis ineuntis tempora, tum ſpecialibus annuiſque, quas primo menſis ſeptimi die maxima cum ſolemnitate celebrabant: *quinta* de arca & cherubinis; illam deriuari a ciſtis in cultu gentili uſurpari ſolitis, hos autem a ſimulacris & hieroglyphis ægyptiacis: *ſexta* de templo, ſiue eſſentiam eius ſpectes, ſiue magnificentiam, locum, oraculum, ſitum, aliaque ornamenta & accidentia: *ſeptima* de Vrim & Thummim; Vrim quidem ſucceſſiſſe in locum teraphim, ſiue ſimulacrorum fatidicorum, Thummim bullam fuiſſe, ornamento illi, quod ægyptius antiſtes de ceruice pendens geſtare ſolebat, quodque Ἀλήθεια ſeu Veritas dicebatur, reſpondentem: *octava* denique de hirco emiſſario, ubi per Azazel diabolum eſſe intelligendum contendit. Hæc ſunt contenta præſentis operis, quæ pluribus recenſent collectores *Actorum erud.* A. 1686. p. 114. & ſeqq. Iam cum auctor multas peculiares atque inuſitatas habeat ſententias, mirum non eſt, eum illis complures in ſe excitaſſe aduerſarios: & alii quidem integrum opus, alii hanc vel illam particulam examinarunt ac refutare laborarunt, videl. Herm. *Witſius* in Aegyptiacorum ſacrorum cum hebrai-

braicis collatione, *Baſnagius* in Exercit. hiſt. crit. *Van der Wayen* in Var. ſacris, Io. *Meyer* in Diatribe de origine & cauſis feſtorum iudaicorum, Phil. *Ribaudealdus* in Sacro Dei oraculo Vrim & Thummim (*Acta erud.* A. 1687. 488.) Io. Bened. *Carpzovius* in Notis ad Schikardi Ius reg. p. 44. Val. *Alberti* præf. in Franzii Levit. Io. *Cyprianus* in Continuat. hiſtor. animal. Franzii, Aug. *Pfeiffer* Theſ. hermeneut. 237. *Muhlius* præfat. in Lundii Sacra iudaica p. 5. *Lintrupius* in ep. ad A. C. Zellerum, huius Vaccæ rufæ ſubiuncta: 542. Sal. *Deyling* in Obſervationibus, *Hoſemann* in Append. operum Io. Deſpagne germanice redditorum, L. H. *Bentheni* de origine & æſtimatione templi & eccleſiæ chriſtianæ, Chriſtfr. *Wächtler* in II. epp. quarum altera agit de circumciſione, altera de locis Chryſoſtomi, a Spencero adductis, & Herm. *von der Hardt* præf. in tract. de Circumciſ.)(7. Vide etiam *Grapium* diſp. de Controverſ. exot. H 3.

Lib. II. c. I. Sect. 3. p. 243. Ex libris Zabiorum העבודה הנבטית iuxta veterem verſionem, liber de agricultura Aegyptiorum. At reddendum eſt potius, *Cultus aut religio Nabathææ, ſeu Nabathæorum*, gentis arabicæ, Iudææ vicinæ. Sic inveni & ipſe redditum a *Bocharto* P. I. Opp. 868.

Licet uox עבודה cultum ſacrum paſſim ſignificet, tamen culturam terræ etiam denotat: & ſic videtur hic debere verti; quod in eo libro traderetur ars quædam ſuperſtitioſa colendorum agrorum, & arborum, pluviæ eliciendæ &c. ut apparet ex *Maimonidis* citationibus. Io. *Clericus* in Ind. philol. Hiſt. philoſoph orient. Stanleii, v. Nabathæi, p. 392.

Lib. III. cap. 4. Sect. I. p. 562. Si mihi diuinare liceret, ubi Scriptura tacet, exiſtimarem, altaris (holocauſtorum apud Ebræos) cornua *curvaturas ex ære fuiſſe, ad cornuum tauri vel arietis figuram factas.*

Illa cornua *conſtructa erant ex iisdem lapidibus*, ex quibus altaris fabrica conſtabat, dicunturque *cornua*, non ob curvitatem, ſed ob eminentiam, & erant concaua. Theod. *Daſſovius* diſp. de Templi hieroſolymit. altari exter. §. 8.

Io. *Spencerus*, anglus, theol. D. eccleſiæ elienſis decanus, & Collegii corp. Chriſti apud Cantabrigienſes præfectus, floruit declinante ſeculo XVIImo, atque in fine præſentis operis pollicitus

citus eſt librum eius IVtum, de ritibus Hebræorum in ſcriptura canonica & apocrypha memoratis, nuſquam tamen a Deo præſcriptis aut inſtitutis, nec non diſſertationem de phylacteriis. In *Actis erud.* A. 1686. p. 113. & 120. laudatur a varia profundaque eruditione, ingenio in abdita quæque penetrare cupido, acerrimoque iudicio; ſed & hoc additur, alios neglectum fere, aut certe allegatum parce nimis uſum eorum typicum, quo futurorum ſpiritualium beneficiorum imago fuit adumbrata, fortaſſe indignaturos.

LXXVI.

Io. CLERICI Paraphraſis & commentarius philologicus in V. libros Moſis, cum V. Diſſertationibus criticis, & tabulis chronologicis, ac III. mappis geographicis. Amſtelodami 1710. Editio altera, auctior & emendatior priore, quæ prodierat A. 1693. Commentario in Geneſin præmittuntur tres Diſſertationes, eæque agunt de lingua hebræa, interpretatione Scripturæ, & ſcriptore Pentateuchi. Pag. 362. ſubiungitur *diſſertatio* de Sodomæ, finitimarumque urbium ſubverſione. Et in fine voluminis exhibentur 1) *Diſſertatio* de maris idumæi traiectione. p. 611. 2) Io. *Seldeni* Diſſertatio de Decimis, ex anglica lingua in latinam translata, & notulis illuſtrata a Io. *Clerico*, pag. 622. *Mappæ geographicæ* continent 1) deſcriptionem Terrarum, in quas diſperſi ſunt ſtructores turris Babel. 2) Iter Iſraëlitarum per deſertum. 3) Terram ſanctam, in uſum eorum, qui Pentateuchum legunt. Quod ad Diſſertationes attinet, in earum prima negat auctor, linguam hebræam, qualis quidem in SS. litteris extat, eſſe primævam. In ſecunda oſtendit difficultatem hebraiſmos & particulas hebraicas latine conuertendi, itemque moleſtiam ex narratione, præteritis aut futuris particula ו coniunctis conſtante, monſtratque auxilia interpretandi ex linguis uicinis, collatione locorum Scripturæ, & etymologiis. In tertia ſtatuit, Moſen res geſtas ſuas litteris conſignaſſe, non vero item ea, quæ vel ante, vel poſt ævum ſuum ſunt geſta. In quarta docet, Deum ſceleratiſſimas urbes fulminibus puniviſſe, talibusque, in bituminoſi ſoli ſodomitici puteos delapſis, accenſas fuiſſe eius materiæ uenas, inde incendium in intima illius terræ viſcera penetraſſe, tremoreque & ſolo ſubſidente urbes ſubvertiſſe; Lothi autem uxorem non in ſtatuam ſalis converſam eſſe, ſed revertentem, ut fortaſſe

ſu-

Digitized by Google

ſupellectilis non nihil ab interitu ſervaret, aut metu diriguiſſe, quod quidem refutat *Witſius* Exercit. acad. p. 139. aut tetro vapore fuiſſe ſuffocatam. In quinta putat, ventum, eumque ſeptentrionalem, auxiſſe æſtum maris in oceanum reflui, non vero diviſiſſe aquas utrinque coacervatas; neque tranſitum Iſraëlitarum factum per ſemicirculum, ſed recta, ita ut ingreſſi litus ægyptiacum, in oppoſito ſiue arabico exiuerint, atque hunc tranſitum re uera fuiſſe miraculoſum. In ſexta *Seldenus* oſtendere nititur, Melchiſedeco decimas ex hoſtilibus duntaxat ſpoliis ab Abrahamo eſſe datas: Abrahamum & Iacobum ſacerdotes fuiſſe: cum ſolverunt decimas, primam decimam datam Levitis, qui hinc ſacerdotibus decimam ſolvebant; ſecundam tertio quoque anno pauperibus fuiſſe ſolutam; tertiam vero fruſtra fingi, legemque de decimis poſt ſecundi templi everſionem non amplius fuiſſe obſervatam. Hæc diſſertatio ob præfationem offendiculo fuit Anglis, adeo ut auctor temeritatis ſuæ culpam agnoſcere & fateri coactus fuerit, ut refert *Blount* 992. fortaſſis etiam ideo, quod ſcripſit Sect. II. p. 629. ad exemplum decimarum, a Levitis ſolutarum ſacerdotibus, clerum anglicanum ſoluiſſe decimas Papæ, commodiſſimamque ſibi videri rationem ſuſtentandi cleri, quæ fit per decimas. Interim *Clericus* in præfat. in Exod. teſtatur, Seldenum totum de decimis moſaicis negotium primum expediviſſe; nihil autem ex illo ſe depromſiſſe, præter antiquiſſima decimarum exordia & inſtitutionem: quæ enim de decimis apud chriſtianos perſolutis in ſequentibus habet, ea ad inſtitutum non pertinere ſuum; tantum abeſſe, ut adprobet, quæ habet de decimis ad ſuſtentandos paſtores ſolutis, quaſi nulla alia ratione ipſis melius poſſit proſpici. De hoc *Clerici* commentario vide *Acta erud.* A. 1694. 9. 97. A. 1696. 113. & 1709. 481. *Van der Wayen* præfat. in Rittangelii Libram veritatis, *Tillotſon.* in Clerici Tomo IV. de la Biblioth. choiſ. 364. 379. *Parhaſiana* T. I. 398. C. *Thomaſ.* in Cautelis circa præcogn. Iurisprud. eccleſ. 41. 45. *Acta germ. erud.* T. III. 207. 269. 274. 498. 503. & Io. Reinh. *Rus* de Serpente ſeductore, non naturali, ſed ſolo diabolo p. 81. Prioris editionis Commentario in Exodum præmiſſæ erant Animadverſiones in XVIII. priora commata capitis I. euangelii Ioannis, ubi, ut auctor loquitur, demonſtratur contra alogos, euangelium hoc eſſe fœtum *Ioannis* apoſtoli, & euertitur ſententia F.

Socini de iſtorum ſenſu commatum. De qua paraphraſi & Animadverſionibus adi ſis iterum *Acta erud.* A. 1695. 345. Et huic ſcripto oppoſuerunt El. *Benoiſt*, verbi divini in eccleſia gallicana delfenſi miniſter, Diſſertationes epiſtolicas tres, & Io. *Van der Wayen*, prof. franekeranus, Diſſertationem de Λογω; quarum illas recenſent collectores *Actor. erud.* A. 1697. 498. hanc vero *iidem* ad A. 1698. p. 455.

Io. *Seldenus*, Salvingtonia-anglus, celebris ICtus, & inſignis philologus, emiſit alios etiam libros in publicum, videlicet unum de Anno ciuili veterum Ebræorum, Marmora arundeliana, librum de Nummis, obſervationes in Fletam, Mare clauſum, Titulos honorum, & obiit A. 1654. æt. fere 70. *König* 745. *Magirus* 743. *Blount* 990. Lud. *Molinaus* in Hottingeri Bibliothecar. 34. *Spizel.* Infel. liter. 908. *Colomeſ.* 814. *Meelführer* Diſſert. de fatis erud. orient. §. 5. Ioſ. *Arnd* de freq. commun. 126. & *Bibliothecarius* nulli parti addictus T. I. 852.

LXXVII.

Vet. teſtamenti Libri hiſtorici ex translatione Io. CLERICI, cum eiusdem commentario philologico, Diſſertationibus criticis, & tabulis chronologicis. Amſtelodami 1708. Per *libros hiſtoricos* intelliguntur libri Ioſuæ, Iudicum, Ruthæ, Samuelis, Regum, Paralipomenon, Esdræ, Nehemiæ & Eſtheræ. Diſſertationes ſunt tres, quarum una præmittitur Commentario, duæ reliquæ eidem ſubiunguntur. Prima tractat de Scriptoribus librorum hiſtoricorum, ubi ait, videri pleroſque libros hiſtoricos V. T. ex monumentis quidem æqualibus eorum temporum, quorum hiſtoriam complectuntur, ſed a ſcriptoribus poſterioris ævi collectos: unde fieri, ut genera loquendi in iis occurrant, quæ ſcriptorem æqualem, aut ſupparem, & alia item, quæ longe poſteriorem ætatem redoleant: Secunda de Synedrio LXXII. virorum, cuius initium refert ad Seleucidarum imperium, cum Pontifices maximi cœpiſſent Remp. hebræorum adminiſtrare: Tertia de lepra ex *Levit.* 13. & 14. ubi ei probabile videtur, lepram veſtis aut parietis fuiſſe mucorem & corruptionem illarum rerum, noxiumque utentibus, & fortaſſe creatum vi peſtilentis venti; hominum autem lepram fuiſſe morbum vulgarem & notum in oriente & Ægypto, ex numero tamen

tamen eorum morborum, quos divina providentia hominibus non ſemper immittit: unde poſt Moſen nec lepram tam frequentem eſſe illis in oris, & lepram veſtium, pellium ac parietum plane deſiviſſe. In dedicatione laudat Gilbertum *Burnetum*, epiſcopum ſalisburienſem, & Eccleſiam anglicanam, atque in Præfatione ſpem facit edendorum duorum voluminum Commentarii in reliquos lbros V. Tti, & rationem reddit, cur paraphraſin hoc in volumiine omiſerit, nimirum id factum fuiſſe propterea, quod hiſtoriæ hic ſimplici & facili ſtilo ſcriptæ ſint, nec rerum nexus obſcurus, ut paraphraſi aliqua explicari debeat. Vide, ſi lubet, recenſiones *Actor. erud.* A. 1709. p. 481. *Narrat. innoc.* A. 1708. 633. & *Nouvelles* de la Rep. des lettres A. 1708. P. II. 123. quarum prima Clericum de ſcriptoribus librorum hiſtoricorum brevibus quidem, ſed eruditiſſime diſſerere, in translatione ſingularem induſtriam & laborem adhibuiſſe, & tanta verhorum uſum claritate, ut paraphraſis ſine ullo detrimento abeſſe poſſit, denique in diſſert. de Synedrio LXXII. virorum eruditiſſime magnoque argumentorum pondere oſtendere, illud haudquaquam, prout vulgaris fert opinio, per Moſen, ſed demum Seleucidarum inſtitutum fuiſſe; ſecunda autem, eum duo reliqua commentariorum ſuorum volumina, eo quod maiorem interpretandi licentiam in iis *ſibi ſumſerit*, edere pro hibitum, ex aliorum relatione perhibet. Sed huic relalationi obſtare videtur, quod Clericus ad illos commentarios ſcribendos ſe nondum accinxerit. Vide eius *præfat.* in præſens opus.

LXXIIX.

Deſiderii ERASMI roterodamii Opera omnia, in X. tomos diſtincta. Lugduni Batavorum 1703-1706. volumina VI. Suntque emendatiora & auctiora, ad optimas editiones, præcipue quas ipſe Eraſmus poſtremo curavit, ſumma fide exacta, doctorumque virorum notis illuſtrata. Et ipſe editionis huius curator, Io. *Clericus*, ſingulis Tomis præfationes adiunxit. Secutus autem in ea eſt editionem Frobenianam anni 1540. Sed hæc editio illam longiſſime ſuperat, meritoque in *Actis erudit.* A. 1707. vocatur *ſplendidiſſima* & *luculentiſſima*. p. 280. 282. Recenſentur hæc opera in *Actis erud*, A. 1704. 352. A. 1705. 481. A. 1707. 280. & in Io. *Clerici* Biblioth. choiſ. T. I. 380. V. 145. VI. 7. IIX. 229. XII. 1. & Biblioth. eccleſ. *Du Pini* T. XIV. In bibliotheca publica daventriana monſtran-

ſtrantur tomi Operum Eraſmi, in quibus monachi per omnes paginas locos illos, ubi auctor eccleſiam illius temporis & mores religioſorum notaverat, charta feneſtrata obtexerunt. *Arnold.* in Epp. Richteri 47. De opuſculis Eraſmi, quæ ſeorſum prodierunt, vide eundem *Arnoldum* ibidem, p. 471.

Tomo I. præmittitur 1. Io. *Clerici* præfatio, in qua celebrat Eraſmi eruditionem philologicam & theologicam. 2. Eraſmi ſtatua ænea, ſed ad vivum delineata, quæ a Magiſtratu roterodamenſi in celeberrimo urbis foro, in honorem tanti civis, poſita eſt: item verſiculi, qui ante ædes, in quibus ille natus eſt. 3. Iudicia Principum & doctorum virorum de Eraſmo, Deſcriptiones vitæ Eraſmi, Catalogus lucubrationum eius, & in eiusdem laudem Epitaphia. Continentur autem hoc ipſo Tomo ea, quæ in gratiam iuventutis Eraſmus ſcripſit, quæque ad inſtitutionem litterarum ſpectant, 1) De *copia verborum ac rerum* libri III. p. 3. Quibus traditur ars, eandem rem diverſis modis proponendi. M. *Veltkirchius* Commentarium in eos ſcripſit, quem laudat *Crenius* Methodor. T. II. 10. Celebrantur a *Buchnero* apud *Cren.* Methodor. T. III. 287. 2) Theodori *Gazæ* Grammatica linguæ græcæ inſtitutio, ab Eraſmo latine reddita, titulis diſtincta, & annotatiunculis illuſtrata. p. 117. Grammatica hæc eſt bona. *Scaligerana* 164. nullique veterum poſtponenda. Fran. *Robertelius* apud Blount 473. nec ei ſe ſimile quidquam eo in genere legiſſe dicebat *Budæus*. 474. Et *Voſſius* de Arte grammat. p. 16. ſcribit, Gazam omnium doctiſſime artem grammaticam tractaſſe. 3) *Syntaxis*, ſeu libellus de IIX. orationis latinæ partium conſtructione. p. 169. Conſcripta Io. Coleti iuſſu a Guil. *Lilio*, & emendata, immo in plerisque mutata ab Eraſmo. p. 167. 4) Ex *Luciano* verſa. p. 185. quibus interſeritur Eraſmi *Declamatio* lucianicæ reſpondens. p. 271. 5) De *ratione conſcribendi epiſtolas*. p. 345. Librum hunc vocat nænias, quas iuvenis, vel exercendi ſtili gratia, vel obſecundans amicorum affectibus, ſcripſerit. p. 343. & quamvis eum recognoverit, mallet tamen ſupprimi, quam edi. 6) De *pueris* ſtatim ac liberaliter *inſtituendis*. p. 489. de *ratione ſtudii*. p. 521. Tractatus hic exſtat in Crenii Methodorum Tomo I. p. 77. cum notis *Crenii*. 7) De *laude Medicinæ*. p. 537. 8) *Libanii* aliquot declamationes verſæ. p. 549. Subiiciuntur annotationes quædam *Clerici*, e quibus pateſcit, Eraſmum non nun-

Digitized by Google

nunquam male vertiſſe; nec mirum, ſi reſpicitur tempus, quo vivebat, ubi nec bonorum Lexicorum, nec caſtigatarum editionum auctorum græcorum numerus erat. 8) *Similia.* p. 561. Deprompta ſunt cum e *Plutarcho* & *Seneca*, tum aliunde. 9) *Colloquia familiaria*, cum ſelectu notarum, quæ erant in editione leidenſi, cumque Conflictu Thaliæ & Barbariei, qui in prioribus editionibus erat omiſſus, & Coronide apologetica pro iſtis colloquiis. p. 629. 889. 893. Habent Colloquia hæc, ut Lud. *Vives* indicat in ep. 2. de ſtudii puerilis ratione (apud Crenium in T. I. Methodor.) p. 127. non modo utilitatem, ſed voluptatem quoque haud ſane exiguam: auctor enim illorum mirabili dexteritate ſuaviſſimoque dicendi genere (quæ ſunt verba *Sleidani* l. XII. ad ann. 1537. p. 330.) morum ac pietatis præcepta tradit, (unde factum, ut quidam ea in Terentii ſæpe minus caſti & pudici locum ſuffici voluerint. Ioach. *Piſtorius* de Eloq. ſtudio §. XI.) & ſimul errores inveteratos atque vitia per occaſionem demonſtrat. Sed quia hoc ægre ferebant ſuperſtitioſi inter Pontificios, plurimique monachorum, ideo multi contra Eraſmum poſtea ſurrexerunt adverſarii, ac querimoniæ de eo ſunt ſparſæ. Contra quos tamen ille ſe defendit in prædicta Coronide apologetica, & argumenta ſingulorum Colloquiorum indicat. Nobis iam, materiæ potiſſimum theologicæ intentis, ſufficit obſervare ſequentia. In *Abbate & erudita*, (ubi mentio fit *Moricarum*, *Bilibaldicarum*, & *Blaurericarum*, & per illas intelliguntur filiæ Thomæ Mori, per iſtas ſorores Bilib. Pirckheimeri, per has Margaretha Blaurera. *Colomeſ.* 465.) monachi litterarum oſores, luxuique, otio, venationibus & aleæ dediti, ad aliud ſtudiorum genus exſtimulantur: in *Adoleſcente & ſcorto*, adoleſcentibus pudicitia commendatur: in Αγαμω γαμω vulgi ſtultitia reprehenditur, quod in ſponſalibus dotem tantum reſpicit: in *Coniugio* ſeu uxore μεμψιγαμω, celanda & corrigenda maritorum vitia, & ſarciendas eſſe offenſas docetur: in *Conuiuio profano* delectus ciborum & ieiunii ſuperſtitio caſtigatur: in *Conuiuio religioſo* oſtenditur, qualia debeant eſſe convivia omnium chriſtianorum, & quam longe abſit prætenſa perfectio monachorum: in *Charonte*, bellum inter chriſtianos: in *Cyclope*, euangelium ſemper habentes in ore, cum in vita eorum nihil ſit euangelici: in *Captatione ſacerdotiorum*, ii, qui Romam curſitant ob ſacerdotia, crebro gravi iactura tum morum,

tum pecuniæ: in *Temeraria ſuſceptione votorum*, vota temere nuncupata taxantur: in *Epicureo* de vero bono & pura conſcientia: in *Exequiis ſeraphicis*, de Franciſcanorum ordine, veſte, votis & vita diſſeritur: in *Exorciſmo* ſeu *Spectro*, impoſtorum technæ deteguntur, & fictæ apparitiones improbantur: in *Ptochoplusiis*, contra ſtultam veſtium gloriam agitur, & habitus monachorum, qualis eſſe debeat, commonſtratur: in *Ichthyophagia*, tractatur quæſtio de conſtitutionibus humanis, quas quidam prorſus reiiciunt, quidam propemodum anteponunt legibus divinis: in *Inquiſitione de fide*, proponitur ſumma catholicæ profeſſionis: in *Militis confeſſione*, facinora militum: in *Milite & Carthuſiano*, inſania iuuenum ad bellum procurrentium: in *Peregrinatione religionis ergo*, ſuperſtitioſus & immodicus quorundam ad loca ſacra abeuntium affectus: in *Proco & puella*, coniugium ſine parentum conſenſu contrahentes: in *Virgine μισογαμω*, ii, qui adoleſcentes aut puellas inuitis parentibus pelliciunt in monaſteria, reprehenduntur. Noviſſima Colloquiorum horum editio, antequam ipſum opus de novo imprimeretur, erat roterodamenſis A. 1693. cum perpetuis notis Petri *Rabi*. *Scaliger* quidem in Scaligeranis p. 140. ait, non paucis erroribus, ſi latinitatem ſpectes, Colloquia hæc laborare, eorumque auctorem nimis æſtimare Hieronymum, qui male ſit locutus; at mox tamen additur, Eraſmum melius, quam illum, locutum eſſe. Plura de his Colloquiis dabunt *Placcius* de pſeudon. 255. *Crenius* P. IV. Animadverſ. 103. Chriſtoph. *Colerus* de Stud. polit. (in Crenii Methodor. T. III.) 393. & *Ancillon* Mel. crit. P. II. 253. 10) De recta latini græcique ſermonis *pronunciatione* Dialogus. p. 913. Occaſionem eum ſcribendi facetus dedit Henr. *Glareanus* Pariſiis Lovanium veniens, & Eraſmo, quid novi afferret roganti, tanquam rem veram narrans, Græcos quoſdam Lutetiam veniſſe, viros ad miraculum doctos, qui aliam græci ſermonis pronunciationem uſurpent, ac pro β Bita dicant Beta, pro η Ita Eta, pro αι æ Ai, pro οι i Oi, & ſic in ceteris. Quo audito Eraſmus paullo poſt conſcripſit dialogum hunc, ut videretur, ſi Rutgero *Reſcio* credimus, huius rei ipſe inuentor: verum cognita fraude nunquam ea pronunciandi ratione uſus eſt, nec amicis, eam ut obſervarent, præcepit; an quia a puero alteri pronunciationi adſueverant, vel quia deſperabat, ſuo ſe exemplo alios ad imitationem provocare poſſe, aut

aut quia loquendum putavit cum vulgo, ſentiendum cum ſapientibus? uti quidem videtur G. I. *Voſſio* Ariſtarch. l. 1. c. 28. 11) *Ciceronianus*, ſive de optimo dicendi genere dialogus. p. 973. Qui quidem eſt ſuaviſſimus & ingenioſiſſimus, contra eos, qui nullum verbum, nullam phraſin, niſi ciceronianam, uſurpandam eſſe contendebant. Atque hi tres tractatus, Colloquia, de Recta pronunciatione utriusque linguæ, & Ciceronianus, durabunt æternum, inquit *Clericus* T. XII. de la Biblioth. choiſ. p. 3. & legentur cum delectatione a litteratiſſimis, quamdiu uſus erit ſtudiorum elegantiorum ac melioris iudicii inter homines. Interim Ciceronianus varios nactus eſt hoſtes, nominatim Steph. *Doletum*, Iul. Cæſ. *Scaligerum*, & Iac. *Pontanum*. Eraſmus vero non ivit reiectum dictionem tullianam, quæ omnino eſt præſtantiſſima, ſed eorum duntaxat vitia caſtigavit, qui loquendi libertatem nimia ſervitute premebant, homineque chriſtiano dignam puritatem horrendis ethnicismis polluebant. Ioach. Frid. *Feller* Monument. var. inedit. T. I. p. 405. 12) de *Civilitate* morum puerilium. p. 1033. Editio lugdunenſis Bat. anni 1626. ſatis nitida eſt: at melior roſtochienſis A. 1632. cum notis Dav. *Iordani*, & ſcholiis Bernh. *Hederici* Vide *Crenii* Method. T. II. 238. 13) Quædam ex *Galeno* verſa, videlicet Exhortatio ad bonas artes; liber de Optimo dicendi genere; liber, quod Optimus medicus ſit & opt. philoſophus. p. 1049. 14) Laur. *Vallæ* Elegantiarum Epitome. p. 1069. ab Eraſmo recognita, poſtquam ſine ipſius præſcitu iam bis fuerat edita. Confecit autem eam, rogatu ludimagiſtelli cuiusdam, adoleſcens annos natus plus minus duo de viginti. 15) *Euripidis* Hecuba & Iphigenia, ex græco verſa. p. 431. 16) In Nucem *Ovidii* commentarius. p. 1191. 17) *Epigrammata* diverſi generis. p. 1215.

Tomo II. *Adagia*, cum notis Henr. *Stephani*, Pauli *Leopardi*, & *Clerici*, nec non cum epiſtola dedicatoria & præfatione ad Guil. Montioium. Editio Adagiorum iſtorum melior eſt *Frobeniana* ſeu baſileenſis A. 1546. caſtrata P. *Manutii*, quam ideo ſolam permittunt cenſores pontificii, corruptiſſima autem *Wecheliana* anni 1646. quamvis locupletior, quippe cui acceſſerunt *Cognati*, *Iunii* & aliorum adagia. Eraſmus primas huius operis lineas duxit Lutetiæ Pariſiorum, brevi tempore, & in magna codicum inopia, deinde autem reviſit & auxit, & in epiſt. ad Servatium ſcribit,

bit, eſſe quidem illud profanum, ſed ad omnem doctrinam utiliſſimum. Ioſeph. *Scaliger* in Scaligeran. p. 140. collocat illud inter potiora Eraſmi ſcripta, & p. 139. vocat excellentiſſimum, ſicut *Boineburgius* in Epp. p. 142. inexhauſtæ frugis opus. Vide etiam *Morhof.* Polyh. l. 1. c. 21. n. 67. & ſeqq. ubi hæc Adagia defendit contra Cælii *Rhodigini*, & *Verdierii* accuſationes, tandemque pronunciat, librum eſſe, quo nemo carere poſſit latinæ linguæ paululum ſtudioſior; ſufficere tamen tironi Epitomen eius poſſe, in Germania & Amſtelodami editam in 12. Præcipua Adagiorum, & quaſi integri tractatus ſeu conciones ſunt hæc duo, *Dulce bellum inexpertis*, & *Sileni Alcibiadis*, quorum illo Reges ac Principes chriſtianos abducere ſuſtinet a cupidine belligerandi, hoc autem docet, apparentiam eſſe extreme fallacem, ſiue in bonum, ſiue in malum. Nec mirum, auctorem in tanta rerum copia, in magna meliorum codicum & ſubſidiorum litterariorum penuria, atque eo tempore, quo barbaries adhuc regnabat, interdum lapſum eſſe; interim primus fuit inter adagiorum ſcriptores, & operam præſtitit utiliſſimam. Baſil. *Faber* in Theſauro erudit. ſcholaſt. v. Chilias, Rich. *Simon* Biblioth. choiſ. T. I. 347. *Cren.* Animadv. P. I. 7.

Tomo III. *Epiſtolæ*, eæque auctæ plus quam 425. quæ in prioribus editionibus non comparent, & ſecundum temporis, quo ſcriptæ ſunt, ordinem locatæ, ita ut inde Eraſmi vita colligi & perſpici queat. *Eraſmi Epiſtolis*, ait *Morhof.* Polyh. l. 1. c. 23. n. 44. *nihil eſt ſuavius & acutius. Latinitas in illis non mala; non quidem talis, quam ad imitandum aliquis proponere ſibi debeat, (hic enim antiqui ſcriptores omne ferunt punctum) ſed natiua, extemporalis, & interdum aliquem ex rebus colorem trahens: quod accidit interdum ſcriptoribus doctiſſimis,* Grotio, Salmaſio, *& aliis. Ceterum* Eraſmi *Epiſtolæ propter rei litterariæ multiplicem cognitionem legendæ, & velut ad locos communes redigendæ ſunt.* Eaſdem laudat Vincent. *Fabricius* in ep. 2. & *Scaliger* in Scaligeranis 140. Editio earum *Frobeniana* melior eſt *londinenſi.*

Tomo IV. Moralia. 1) Quædam ex *Plutarcho* verſa, p. 1. 2) *Apophthegmata*, ſeu dicta memorabilia, ſiue Regum & Principium, ſiue aliorum virorum prudentum. p. 93. Quæ quidem, ut *Naudæus* in Bibliograph. polit. (apud Crenium Method. T. I.) 550. ſcribit, a Principibus non leguntur, quibus eruditionis compendia ſunt in lucro, at tamen litterarum ſtudioſis magno poſſunt eſſe uſui.

Pau-

Pauculas iis hic illic notas addidit *Clericus*, ex Pauli *Leopardi* Emendationum libris depromtas, e quibus liquere cenſet, deceptum illum a vitioſis codicibus, interdum argutias dictorum non aſſecutum. 3) Μωρίας ἐγκώμιον, *Stultitiæ laus*, p. 405. In eius editione ſecutus eſt *Clericus* exemplar baſileenſe anni 1675. cui adiectæ ſunt notæ Ger. *Liſtrii*, qui Placcio de pſeudon. 420. videtur eſſe ipſe Eraſmus, & figuræ Io. *Holbenii*, præſtantiſſimi pictoris, & Eraſmi amici. Nimirum hoc in libro facete & ſalſe perſtringit auctor univerſas profeſſiones, quæ dantur inter homines. 4) Ad Philippum, Burgundionum principem, *Panegyricus* & *Carmen gratulatorium*, poſtquam hic redierat ex Hiſpania p. 553. 5) *Inſtitutio principis chriſtiani*, ad eius filium Carolum, poſtea V. p. 571. Alios auctores, qui eadem de re ſcripſerunt, commemorat *Naudaus* in Bibliogr. polit. (Methodor. Crenii T. I.) p. 548. 6) *Iſocratis* oratio de regno adminiſtrando, latine verſa, p. 611. 7) *Declamatio de morte*, qua conſolatur patrem ſuper obitu filii ſui p. 617. 8) *Declamatiuncula gratulatoria*, ſiue oratio epiſcopi reſpondentis iis, qui ſibi nomine populi gratulati erant, & omnium nomine obedientiam, ut vocant, promiſerant. p. 623. 9) *Querela pacis*, p. 625. Quam introducit loquentem contra bellum. Hæc & aliæ Eraſmi declamationes contra bellum non pro ſchola tantum (uti *Naudaus* ſentit ap. Crenium T. I. Methodor. 540) ſcriptæ ſunt, ſed etiam pro aulis, immo maxime pro aulis. 10) *Xenophontis* Hieron, in latinam translatus linguam, p. 643. 11) *Precatio pro pace eccleſia*, 653: 12) *Lingua*. p. 657. Atque in hoc tractatu docetur, quo nobis modo utendum ſit lingua, & quam variis viis illa ad abuſum transferatur. 13) Carmen de *Senectute* ad G. Copum, baſileenſem. p. 755. Quo ſenectutis incommoda depinguntur. Inter omnes autem huius Tomi partes eminent hæ duæ, Stultitiæ laus, & tractatus de Lingua. Vterque eſt plenus ſalis & ingenioſæ reprehenſionis vitiorum ſui temporis, & in primis monachorum, qui nec Eraſmo parcebant in ſuis concionibus & ſcriptis.

Tomo V. quæ ad pietatem inſtituunt. Et quidem 1) *Enchiridion militis chriſtiani*, p. 1. Scriptum ante annum 1518. (vide *Clerici* Monitum, præfationi huius Tomi ſubiunctum) non ad oſtentationem ingenii, aut eloquentiæ, verum ad hoc ſolum, ut mederetur errori vulgo religionem conſtituentium in cærimoniis & ob-

ſervationibus plusquam iudaicis rerum corporalium, ea vero, quæ ad pietatem pertinent, mire negligentium, ſicut plerumque faciunt milites, aliique. Alphonſus *Fernandus* in hiſpanicam transtulit linguam. Occaſionem libellum hunc componendi dederunt preces mulieris cuiusdam, cuius maritus valde deditus erat aliis fæminis, uxorem autem peſſime, & uſque ad verbera tractabat, exteriora religionis interim non negligens. Auſpicatus eſt hunc libellum Eraſmus A. 1494. & nono poſt anno abſoluit. 2) *Oratio de virtute ampleſtenda*. p. 65. Eſt epiſtola ad *Adolphum*, principem verienſem, puerum, filium *Philippi a Burgundia* (cuius pater Antonius ex illegitimo coniugio natus fuerat Philippo, Burgundiæ Duci, cognomento Bono) & Annæ Borſellæ, nobiliſſimæ & in Zelandia magna prædia, ac præcipue Veriam urbem, quæ vulgo Ter Veer, habentis, quem excitat ad eruditionem & virtutem ampleſtendam. 3) *Ratio vera theologia*, p. 75. A. 5518. Quæ nullo modo ſimilis Syſtematibus ſeu Compendiis theologiæ vulgaribus, ſed plena eſt ſanis & iuſtis præceptis, totque captioſas & contentioſas tricas miſſas fuit, e. g. primum, quod requirit a vero theologo, eſt hoc, ut ſit liber a prauis affectibus. Plura hac de re lectu digna dabit *Clericus* Biblioth choiſ. T. IIX. 232. 4) *Paracleſis*, id eſt, Adhortatio ad chriſtianæ philoſophiæ ſtudium p. 137. A. 1524. *Hoc philoſophia genus*, ait *Eraſmus* p. 140. *in affectibus ſitum verius quam in ſyllogiſmis, vita eſt magis quam diſputatio, afflatus potius quam eruditio, transformatio magis quam ratio.* Et de vere theologo ſic loquitur p. 140: *Is mihi vere theologus eſt, qui non ſyllogiſmis arte contortis, ſed affectu, ſed ipſo vultu atque oculis, ſed* ipſa vita doceat aſpernandas opes, *chriſtiano non eſſe fidendum huius mundi præſidiis, ſed eum oportere pendere de cœlo, non eſſe retaliandam iniuriam, bene precandum male precantibus, bene merendum de male merentibus*, & cetera. 5) *Modus confitendi*. p. 145. Vbi & utilitates & mala confeſſionis auricularis recenſet, rationemque confitendi commonſtrat, in eo conſiſtentem, ut ſecundum Symbolum ac Præcepta Dei vitam tuam examines, de transgreſſionibus doleas, easque confitearis, ita ut deinceps pie vivas, nec redeas ad cœnum vitiorum. Scripto hoc utili & confitentibus, & iis, qui confeſſiones audiunt, Eraſmus diluere voluit calumniam, quæ circumferebatur, ipſum eſſe hoſtem confeſſionis presbytero faciundæ. 6) *Enarratio aliquot pſalmorum*

morum, videlicet 4. priorum, (A. 1515. 1524.) 15. (16.) 22. (23.) 28. (29.) [quæ eſt *Conſultatio* de bello Turcis inferendo, ſcripta A. 1530. qua oſtendit, ante omnia ſolicitos nos eſſe debere de mutanda in melius vita: Turcas non ſua pietate, non ſua virtute, ſed noſtra ſocordia potiſſimum huc uſque creuiſſe: errare cum eos, qui perperam ad bellum Turcarum inflammati ſunt, tum alteros, qui perperam dehortantur ab armis in Turcam movendis: eccleſiam, quo magis vigebat in ea germana pietas, hoc magis a bellis & capitalibus ſuppliciis abhorruiſſe; neque tamen omne gladii ius profanis Principibus ac Magiſtratibus adimendum eſſe: non ſe dehortari a bello turcico, ſed hoc agere, ut illud geratur feliciter, vereque ſpecioſi triumphi reportentur; hos autem fore, ſi operam dederimus, non tam ut Turcas occidamus, quam ut eos in religionis ac pietatis conſortium adiungamus: bellica negotia non decere epiſcopos, ſacerdotes, ullosve religioſos: bellare rem eſſe neceſſitatis] item pſalmi 33. (34.) 38. (39.) 83. (84.) *de amabili eccleſia concordia*, A. 1533. & 85. (86.) A. 1528. p. 171. & ſeqq. Omnes hæ conciones lectu ſunt digniſſimæ. 7) *Concio de miſericordia Domini*, p. 507. emiſſa in publicum, ſi non & habita, A. 1524. cum epiſcopus baſileenſis ſacellum Miſericordiis Domini dicatum exſtruxiſſet; in qua, loco ſalutationis Mariæ, invocat Chriſtum pro auxilio ſibi & auditoribus præſtando. 8) *Virginis & martyru comparatio*, A. 1524. p. 589. *Concio pro puero Ieſu*, pronunciata a puero in noua Io. Coleti ſchola londinenſi, in qua præſidet imago pueri Ieſu, docentis ſpecie. p. 599. 9) *Epiſtola conſolatoria* ad virgines ſacras, p. 609. eas videlicet, quæ iuxta Franciſci inſtitutum Chriſto militabant prope Cantabrigiam. 10) *Matrimonii inſtitutio*, A. 1526. p. 615. Eſt autem ipſi matrimonium legitima perpetuaque viri ac mulieris, ſtudio gignendæ ſobolis, inita coniunctio, vitæ ac fortunarum omnium individuam ſocietatem adducens. 11) *Vidua chriſtiana*, ad MARIAM, Pannoniæ Bohemiæque reginam, CAROLI Cæſ. & FERDIANDI Regis ſororem, poſt obitum LVDOVICI, eius mariti. p. 723. De hoc & priore ſcripto *Clericus* T. IIX. Biblioth. choiſ. 235. non dubitat affirmare, ſe nullum ex antiquitate chriſtiana ſcire librum tam bene de præſentibus materiis agentem; additque, ſcrupuloſos, eorumque directores multum inde luminis haurire poſſe. 12) *Eccleſiaſtes*, ſiue

de

Digitized by Google

de ratione concionandi libri IV. A. 1535. p. 769. Vbi agit de muneris eccleſiaſtici dignitate, & virtutibus, quibus eccleſiaſtes debeat eſſe præditus; de modo accommodandi præceptiones rhetorum, dialecticorum & theologorum ad uſum concionandi; & denique, quas ſententias, ex quibus Scripturæ locis petere debeat. 13) ***Modus orandi Deum.*** p. 1099. 14) ***Symbolum***, ſiue catechiſmus. A. 1533. Eſt enim dilucida & pia explicatio Symboli, quod apoſtolorum dicitur, Decalogi præceptorum, & Precationis dominicæ. 14) ***Precationes***, conſcriptæ ab Eraſmo in iuuentute, ſed productæ A. 1535. p. 1197. Quibus adoleſcentes adſueſcant cum Deo colloqui. 15) De ***contemtu mundi.*** p. 1239. Eſt epiſtola, quam ſcripſit adoleſcens, in gratiam Theodorici ***Harlemi***, & illius nomine. 16) De ***tadio & pauore Chriſti***, Matth. 25, 38. 39. diſputatio. p. 1295. Scripta ad Io. Coletum in Anglia, quum iam redire cogitaret Eraſmus Lutetiam. Nimirum Coletus cum ***Hieronymo*** ſtatuebat, ſalvatorem Ieſum nihil aliud oraſſe, quam ne ſua mors, quam univerſis ſalutiferam eſſe cupiebat, iudæis exitalis fieret; cum e contrario Eraſmus communi ſententiæ inſiſteret, Chriſtum ut hominem, propter naturæ, quam aſſumſerat, imbecillitatem, tam dirum atque immanem cruciatum exhoruiſſe. Sed nihil ſua diſputatione effecit Eraſmus, Coleto reſcribente, ſuam opinionem nihil adhuc nec extorquere, nec diminuere. p. 1291. 17) Liber ***de Praeparatione ad mortem***, iam A. 1524. confectus. p. 1293. Valde utilis omnibus chriſtianis mortalibus; qui etiam, propter ſummam utilitatem, in germanicum idioma translatus fuit a Georg. ***Richtero***, primo inlyti Senatus noriberg. quondam conſiliario, & academiæ altorfinæ procancellario. 18) ***Ode*** de caſa natalitia Ieſu; ***Expoſtulatio Ieſu*** cum homine pereunte; ***Hymni*** varii; ***Liturgia*** Virginis lauretanæ, A. 1525. Cui ſubiungitur Concio, in qua dicit, S. virginis cultum 4. in rebus potiſſimum conſiſtere, in laudibus, honoribus, invocatione, & imitatione; ſed horum poſtremum adeo præcipuum eſſe, ut illa ſine hoc ſint infrugifera, & hoc unum cetera quoque in ſe complectatur; ***Carmen votivum*** Genovefæ; Commentarius in duos hymnos ***Prudentii*** de natali, & epiphania pueri Ieſu, A. 1524: ***Chriſtiani hominis inſtitutum***, carmine; ***Epitaphia*** in Odiliam. p. 1317. & ſeqq. Sicut autem in huius Tomi ſcriptis non omnia probari poſſunt; ita pro melioribus iure meritoque habenda ſunt Opuſculum de

ra-

Digitized by Google

ratione veræ theologiæ, Chriſtiani matrimonii inſtitutio, & Vidua chriſtiana.

Tomo VI. *Novum Teſtamentum*, idque græcum, cum verſione latina, cui numeri verſuum adpoſiti ſunt, & Annotationibus Eraſmi, non ad calcem libri ablegatis, ſed ſingulis paginis ſubiectis. Atque hæc editio facta eſt iuxta editionem anni 1540. ut correctiorem. *Crenius* Animadv. P. II. 200. agnoſcit quintam pro optima. Præmittuntur 1) Io. *Clerici* Præfatio, qua Eraſmum defendit ab arianiſmo. 2) Eraſmi *Dedicatio* ad LEONEM X. Papam, cum huius reſponſoria. 3) Eiusdem Eraſmi *Præfatio*. 4) *Paracleſis*, ſeu Adhortatio ad chriſtianæ philoſophiæ ſtudium. 5) *Epiſtola* de philoſophia euangelica. 6) *Index ſoloeciſmorum*, per interpretem (vulgatum) admiſſorum, ubi tamen non nulli notati ſunt, qui potius ſunt amanuenſium, quam interpretis, alii magis reſpiciunt commentatores, quam verſionem, male ab ipſis intellectam. 7) Apologia pro verſione & annotationibus eius. 8) *Capita argumentorum* contra moroſos quosdam ac indoctos. 9) In Annotationes N. T. *Præfatio* primæ editionis, quæ fuit A. 1515. cui tamen poſt admixta ſunt quædam, quæ ad tempus poſterius pertinent uſque ad annum 21. 27. & 35tum. 10) *Euſebii* Canones de concordia euangeliſtarum. 11) *Summa totius S. Scripturæ*, librorum videlicet V. & N. T. 12) *Index* vocabulorum & locorum. 13) Vitæ IV. euangeliſtarum, per *Hieronymum*. 14) Vita Matthæi per *Sophronium*. & 15) *Theophylacti* Prooemium in euangelium Matthæi. Hæc verſio varios ei adverſarios excitauit, interque eos *Dorpium*, qui tamen melius edoctus poſtea ceſſit; *Stunicam* & *Sutorem*. Et *Sanctius* Minervæ p. 500. notat, Eraſmum in verſione N. T. peſtem particulæ *quod*, quæ latinam linguam peſſum dederit, neſciviſſe, aut non potuiſſe euitare. Interim illa, ut Laur. *Beyerl*. præfat. in Bibl. var. tranſlat. ſcribit, *omne punctum ſemper, & apud omnes tulit, ita ut nihil in ea repurgandum deprehenderit ſupremus Senatus generalis Inquiſitionis in regno Hiſpaniarum, qui, cum reliquos primæ claſſis auctores ab eccleſia vetitos cenſuræ ex integro ſubiiciat, hanc Eraſmi verſionem omnium manibus verſari permittit ſub nomine auctoris damnati.* Vid. R. *Simonii* Hiſt. crit. N. T. part. II. c. 21. p. 242. & c. 23. p. 268. & *Le Long* Biblioth. S. part. I. 443. Ceterum, quod ad Annotationes attinet, *Scaliger* in Scaliger. 140. optimis Eraſmi operibus

eas accenſet, & p. 141. profitetur, multa habere doctiſſima. Ioach. *Camerarius* in Præf. ſuarum notarum in N. T. a 4. teſtatur, Eraſmum & abundatia ingenii & doctrinæ copia commentationem longe extuliſſe ſpecioſiorem & ampliorem, quam Laur. *Vallam*. *Brelerus* in ep. dedicat. Vindiciar. Arndii vocat opus diuinum & omni laude prædicandum. Et LEO X. papa, cuius elogium ceteris omnibus præferendum, lucubrationes iſtas fatetur non vulgari, ſed noua & inſigni quadam eruditione præſtare, omniumque doctorum calculo plurimum laudari. At Rich. *Simon* Hiſt crit. Comment. N. T. c. 35. p. 604. obſeruat, Eraſmum fixiſſe quidem ſibi ſcopum ſcribendi Annotatiunculas, non Commentarios, ſed aliquot in locis non permanſiſſe intra hunc terminum, verum affectibus abreptum detonuiſſe contra monachos & theologaſtros.

Tomo VII. *Paraphraſis* in N. T. De qua ipſe ſcribit in epiſt. dedicat. ad CAROLVM V. Imp. ſe in hoc opere potiſſimum ſecutum eſſe Origenem, rei theologicæ peritiſſimum, Chryſoſtomum ac Hieronymum. Hæc editio eo præſtat ceteris, quod margini non tantum numeri verſuum, ſed ipſe etiam textus latinus adſcriptus; hannoverana autem anni 1668. turpis & vitioſa eſt. Paraphraſis Eraſmi, ut in *Scaligeranis* dicitur p. 141. eſt inſtar optimi commentarii. Et *Clericus* Biblioth. choiſ. T. IIX. 246. ſcribit, eam eſſe quaſi ſupplementum Annotationum ad N. T. adeoque unum ſcriptum cum altero coniungendum, neque eam eſſe fœtum iuuenilem. Vnde a tempore EDVARDI VI. Regis Britanniarum, quo cœpit reformatio in Britannia, liber hic relictus eſt populo ad meliorem Scripturæ intelligentiam. Plura de ea tradit R. *Simon* P. III. Hiſt. crit. N. T. p. 516.

Tomo IIX. Verſa e Patribus græcis. Et quidem 1) ex Io. *Chryſoſtomo*, aduerſus iudæos homil. V. de Lazaro & divite IV. de viſione Eſaiæ V. de Philogonio martyre I. de orando Deum libb. II. de Davide & Saule, deque tolerantia homil. III. quum eſſet presbyter deſignatus, I. in pſalmum 96. (97.) r. *Cantate Domino canticum novum*, I. quum *Sartoninus* & *Aurelianus* acti eſſent in exſilium, I. de fide Annæ II. Commentariorum in Acta apoſtol. IV. in poſteriorem ad Corinth. epiſtolam VII. Commentaria in epiſtolam ad Galatas: in epiſt. ad Philipp. homil. II. 2) ex *Athanaſio*, de S. Spiritu Epiſt. II. contra Euſebium de nicæna

Syn-

Synodo epiſt. I. Apoleget. II. aduerſus eos, qui calumniabantur, quod in perſecutione fugiſſet: de paſſione Domini & de cruce homil. I. de eo, quod ſcriptum eſt Luc. 19, 13. *Euntes in vicum*: de virginitate, ſiue de exercitatione: de peccato in Spiritum ſanctum: de Spiritu ſancto. 3) ex *Origene*, Fragmentum in euangelium Matthæi; cui præmiſſa eſt Eraſmi Diſſertatio de Origenis vita, phraſi, docendi ratione, & operibus, cum ſingulorum librorum cenſuris. 4) ex *Baſilio*, Principium Eſaiæ: de Spiritu ſancto: de laudibus ieiunii, homil. II. Scripta hæc vel eo digna videbantur, quæ conſervarentur, quod in editionibus SS. Patrum, quæ in dies novæ prodeunt, aliæ, aut interpolatæ inveniuntur translationes, quibus hæ ipſæ minime cedant, quippe ab Eraſmo non invene, ſed ſene factæ. *Clericus* in præfat. huius Tomi. Quibus adduntur 5) II. *Orationes*, una *de pace* & diſcordia, contra factioſos; altera *funebris*, in funere Bertæ de Heyen, goudanæ viduæ probiſſimæ: & 6) *Carmina* varia. Quæ tria ſcripta quamvis ſint adoleſcentis, tamen in illis tanta elucet vis ingenii, tanta rerum & ſententiarum ubertas, & tam acutum iudicium pro illa ætate, ut non ſint (iudicio eiusdem *Clerici* l. c.) indigna, quæ cum ſenilibus eius operibus legantur. 7) Fran. *Robortelli* Adnotationes in Apophthegmata, e *Laërtio* ab Eraſmo verſa. p. 585. Vbi maligne & multis in rebus perperam Eraſmum reprehendit, ſicut Paul. *Leopardus* & Pet. *Nannius* obſervarunt. Nunc autem demum illæ adferuntur, quoniam earum copia, cum Apohthegmata hoc in opere imprimerentur, nondum erat facta. 8) Io. *Heroldi* Apologia contra famoſum Dialogum in funus Eraſmi. p. 591. Eſt declamatio, in gymnaſio baſileenſi Procerum iuſſu & aſſenſu recitata, in qua omnem vitam Eraſmi, ut nusquam antea unquam a quoquam, abſolutiſſime deſcriptam, ac non tantum delineatam invenias.

T. IX. Apologiæ. Videl. 1) Epiſtola apologetica ad M. Dorpium pro Moria. A. 1515. p. 1. 2) Apologia ad Iac. Fabrum ſtapulenſem, pro interpretatione verborum pſ. IIX. 6. A. 1517. p. 17. cum *Fabri* diſputatione adverſus Eraſmi Annotationem, in qua pertendit, ſic reddendum eſſe, *Minuiſti eum paulo minus a Deo*, non vero cum Eraſmo: *ab angelis*, p. 67. 3) Ad Iac. *Latomum* de linguis. A. 1519. p. 79. 4) Ad Io. *Atenſem* pro declamatione matrimonii. A. 1519. p. 105. 5) De verbis Io. 1, 1. *In principio erat ſermo.* p. 111.

6) Apologiæ III. ad Notationes Eduardi *Lei*, pro Annotationibus in N. T. p. 123. 7) Variæ ad Iac. Lopim *Stunicam*, pro iisdem. A. 1522. 1529. p. 283. 8) Adverſus Sanctium *Caranzam* p. 401. qui tres locos, ut recte a Stunica taxatos, defenderat. 9) Ad Nicol. *Ecmondanum* de loco 1. Cor. 15, 15. *Omnes quidem reſurgemus, ſed non omnes immutabimur*. p. 433. 10) Apologiæ aliquot in Natal. *Beddam*, pro Paraphraſi. A. 1526. p. 442. 11) Adverſus debacchationes Petri *Sutoris*, cum Appendice contra Io. *Clichtoveum*, de impuro cœlibatu multorum ſacerdotum. p. 736. 811. 12) Declarationes adverſus cenſuras *Facultatis theol. pariſienſis*. p. 813. 13) Ad diſputationem cuiusdam phimoſtomi, de divortio. A. 1532. p. 955. 14) Ad *iuuenem* γεροντοδιδασκαλον, pro verſione & Annotat. in N. T. p. 965. 15) Ad *monachos* quosd. *hiſpanicos*, qui articulos aliquot errorum & hæreſium, ut putabant, eraſmicarum, archiepiſcopo hiſpalenſi, Alfonſ. Manrico exhiberunt. A. 1528. p. 1015. 15) Ad *Albertum Pium*, Carporum principem, A. 1525. p. 1093. Qui paſſim ac palam prædicet, Eraſmum non eſſe philoſophum, nec ullius ſolidæ doctrinæ. 16) Ad epiſcopum baſileenſem de interdicto eſu carnium, deque ſimilibus hominum conſtitutionibus. A. 1522. p. 1197. 17) De libero arbitrio Diatribe, ſeu collatio. p. 1215. Vbi explicat, quid ſit liberum arbitrium, quale fuerit conditum; quale ſit vitiatum, quomodo ſanetur, quid poſſit nondum reſtitutum vel in bonum vel in malum, quid valeat auxiliante gratia, & quid agat aſſentiens operanti gratiæ, quid cooperans cooperanti. *Liberum* autem *arbitrium* adpellat vim humanæ voluntatis, qua ſe poſſit homo applicare ad ea, quæ perducunt ad æternam ſalutem, aut ab iisdem avertere. Laudatur hoc ſcriptum a Fel. *Turpione*, i. e. Fauſto Socino, in præfat. Dialogor. IV. Caſtellionis * 3. Sententiam de lib. arb. ſuam Eraſmus hisce proponit verbis: Mihi placet illorum ſententia, qui non nihil tribuunt libero arbitrio, ſed gratiæ plurimum: nec enim ſic erat vitanda Scylla arrogantiæ, ut feraris in Charybdim deſperationis aut ſocordiæ. Atque in hac Διατριβῃ diſputatorem agit, non iudicem.

Tomo X. Secunda Apologiarum pars, & plura alia. Nimirum 1) *Hyperaſpiſtes* Diatribes contra Servum arbitrium *Lutheri*. A. 1526. p. 1249. Eſt reſponſio, & quidem tumultuaria, ad eam partem, qua *Lutherus* pugnat cum præfatione Diatribes. 2) *Adverſus epiſtolam*

ſtolam quandam Lutheri, qua impetit Eraſmum. p. 1537. 3) *Detectio praeſtigiarum* libelli cuiusdam. A. 1526. p. 1557. libelli, de quo difficile ſit, ut ipſe ait, pronunciare, ſtultior ne ſit, an malitioſior. Titulus hic erat: Doctiſſimi *Eraſmi* Roterodami, ac Mart. *Lutheri* opinio de cœna domini noſtri I. Chriſti, nuper edita XIIX. die Aprilis. Negat autem Eraſmus, ſe vel cum Luthero ſentire, vel cum Carolſtadio. 4) Epiſtola in pſeudoeuangelicos, i. e. iuxta R. *Simonii* Hiſt. crit. N. T. part. III. 523. explicationem, Proteſtantes quosdam, qui in epiſtola ad Comitia Imperii ſpirenſia ipſi hanc tribuerant ſententiam, Non fas eſſe in quenquam hæreticum pœna capitis animadvertere. A. 1529. p. 1573. Cum Epiſtola ad *Eleutherium*, A. 1530. & alia ad *Grunnium*. A. 1531. 1587. 1590. 5) Epiſtola ad *fratres inferioris Germaniæ, Friſiaque orientalis*, A. 1530. p. 1589. Oppoſita eſt Epiſtolæ apologeticæ (uti titulus, fortaſſe fictus, habebat) *Miniſtrorum verbi eccleſiæ argentoratenſis.* 6) Spongia adverſus adſpergines Vlr. *Hutteni*. p. 1631. 7) Reſponſio adverſus febricitantis cuiusdam libellum. p. 1673. Ille vocatur, vero an ficto nomine? Ludovicus *Carvailus*, e ſodalitio Franciſcanorum; Eraſmus autem eum adpellat Pantalabum, ac præterea febricitantem, quia præfatus eſt, ſe, cum hæc moliretur, gravi laboraſſe febri, per quam non vacarit ullum librum inſpicere. 8) Adverſus mendacium & obtrectationem Admonitio. p. 1683. Vbi Henrici *Epphendorpii* Poſtulatio refutatur. 9) Antibarbarorum liber. p. 1691. Quem ſcripſit in iuventute, contra oſores elegantiorum litterarum, quum nondum ageret annum viceſimum, ſed pauculis poſt annis recognovit. Vid. ipſe l. c. 10) Epiſtola ad quosdam impudentiſſimos graculos. p. 1745. 11) Epiſtola ad Petri *Curſii* defenſionem, nullo adverſario bellacem. p. 1745. 12) Epiſtola apologetica de Termini ſui inſcriptione: *Concedo nulli*. A. 1528. p. 1757. Quæ verba non ſunt arrogantiæ ſymbolum, ſed Eraſmus ex profano Deo fecit ſibi ſymbolum, adhortans ad vitæ correctionem: mors enim vere terminus eſt, qui nulli cedit. 13) Mart. *Lydii* Apologia pro Eraſmo. p. 1761. Oppoſita calumniis eorum, qui ipſum arianiſmi accuſant, & in qua docetur, quid ipſe de ſingulis controverſis religionis dogmatibus ſentiat. 14) Index expurgatorius in opera Eraſmi. p. 1781. Vbi indicantur loca, quæ vel omitti debent in lectione Eraſmi, vel quibus quid addendum. Intelli-

Digitized by Google

gitur autem Index tam romanus, quam hiſpanicus, ut & Alexandri VII. & Concilii tridentini. 15) Guil. *Inſulani* Oratio in obitum Eraſmi. 1536. p. 1845. multo melior, quam Arnoldina. *Cleric.* Biblioth. choiſ. T. XII. 55. 16) Eraſmi epiſtola hactenus inedita ad illuſtriſſimum puerum Ducem HENRICVM, qui poſtea fuit Rex Britann. huius nominis IIX. p. 1859. Qua ei dicat Panegyricum, oſtendens, carmina & libros in honorem Principum ſcriptos oblatosque, gemmis aurove, quibus illi honorentur, longe præferendos eſſe. 17) Denique ſuccedit *Index* generalis in omnia Eraſmi opera, excepto Epiſtolarum volumine, cui propter rerum copiam ac varietatem peculiares indices ſubiecti ſunt. Apologiæ iſtæ omnes lectu ſunt digniſſimæ, quoniam multa continent ad criticam & theologiam ſpectantia. *Simonius* Hiſt. crit. N. T. part. III. c. 36.

Abſoluta iam recenſione operum Eraſmi, pro more noſtro communicabimus cum benevolo lectore ea, quæ viri docti in iis obſervarunt, & corrigenda putarunt.

T. II. 243. in adagio, *Bona fortuna;* ſive *Boni genii:* Olim *peracto conuiuio ſublataque menſa* meracum inferri conſuevit. Huius commenti auctorem citat Theopompum *interpres Ariſtophanis* in Veſpis.	Interpres non dicit ſublata iam menſa hoc fieri conſueuiſſe, ſed *antequam tolleretur*, cum ſtatim hoc facto illa auferri deberet. P. *Victorius* Var. & antiq. lect. l. 1. c. 1. p. 2.
Pag. 423. in adag. *Amazonum* cantilena. *Amazones* ludibrii cauſa in molles viros cantilenas ſolebant celebrare.	Legendum, *Maſonum* cantilena. Mæſones autem dicuntur coqui urbani, quos Mæſon invenit, & in comœdias introduxit, ad perfricandos ſcommatibus homines. *Bochart.* T. I. 1180.
Pag. 758. in adagio, *Bœotica auris;* Demiror, neminem interpretum quæſiſſe, quid ſibi velit, quod Horatius (in epiſt. ad Octavium Auguſtum) pinguitudinem ingenii Bœotis tribuit,	Eſt in *Cicerone*, qui lib. de Fato c. 4. ita ſcribit: Athenis tenue cœlum, ex quo acutiores etiam putantur Attici: *craſſum Thebis*, (Bœotiæ urbs mater Thebæ fuerunt) itaque velut

Digitized by Google

velut ei genti peculiarem, cum *apud latinos auctores nullum ſit huius rei teſtimonium.*

pingues Thebani, (Boeotiæ populus) & valentes; i. e. robuſti. Hoc autem non eſt univerſale, ſed de plerisque tantum verum. *Crenius* Animadverſ. P. XIII. 39.

Pag. 979. in adagio, *Euryclea*: Hoc nomine vates fuit quispiam Ἐγαστρίμυθος cognominatus; hinc, ni fallor, quod *ex aſtris vera prædiceret*, παρὰ τὸ στάζειν.

Inſulſe nimis Euryclem hunc Ἐγαστρίμυθον vocavit Eraſmus, eiusque divinationem ad aſtra retulit, quippe *ventriloquus* hic in ventre dæmonem ſubmurmurantem ac muſſitantem oracula deferebat, cuius virtute, quæ utilia tunc auditoribus videbantur, prædicebat ipſe, vel potius latens ſpiritus. Nec usquam illum ad aſtra vel ſidera reſpexiſſe, indeque vaticinatum fuiſſe, memoriæ proditum eſt. Leo *Allatius* in Syntagm. de Engaſtrimytho (Tomo VI. Criticor. ſacr.) p. 334. Sed, mi Allati, cur retices verba *Eraſmi* ibi ſtatim ſequentia hæc? *Meminit & Suidas; quanquam apud hunc ἐγγαστρίμυθος ſcriptum eſt*, i. e. divinus ſive *ventriloquus*.

T. III. in epiſt. 726. quæ eſt Lutheri, p. 846. Nec ii ſumus, qui a te exigere audeamus id, quod vires & modum *meum* ſuperat. Quin imbecillitatem *meam*, & menſuram doni Dei, in te toleravimus.

Legendum: & modum *multum* ſuperat — imbecillitatem *etiam*. *Clericus* Biblioth. choiſ. T. VI. 134.

Guil. *Lilius*, anglus, Mori olim ſodalis, cum quo vertendis græcis epigrammatibus certavit, primus cives ſuos latine ac diſerte loqui

loqui docuit, ſcripſitque Grammaticam & Syntaxin latinæ linguæ, Apologiam ad Whittyngtonum, clarus A. 1520. *Friſius* in Epit. Biblioth. geſner. 305. *König* 474. *Morhof.* Polyhiſt. T. I. 223.

Paulus *Leopardus*, Iſenburgæ in Flandria natus, homo minime ambitioſus, ut qui Bergis D. Vinocci haud longe a Dunkerka in humili ſchola obſcurus latere, quam in luce hominum honores & dignitates, quod poterat, affectare maluit, Vitas & Chrias Ariſtippi, Diogenis, Demonactis, Stratonici, Demoſthenis & Aſpaſiæ latinitate donavit. Scripſit etiam II. Decades emendationum, vita defunctus A. 1567. æt. 57. *Friſius* 657. *Lexic. univ. hiſt.* T. III. 306. *Kœnig* 469. *Thuanus* l. 41. p. 769. Et hic eum vocat virum græce & latine doctiſſimum, *Colomeſius* p. 640. virum rara valentem αγχινοια.

Fran. *Robortellus*, utinenſis, tantos in litteris græcis & latinis progreſſus fecit, ut, quamvis Lucæ, ubi eas primum profitebatur, homicidii convictus eſſet, nihilo tamen minus a celeberrimis gymnaſiis expeteretur: poſtea enim docuit Piſis, Venetiis, Patavii, Bononiæ, iterumque Patavii magno (uti *Thuanus* loquitur lib. 41. p. 768.) cum ſtrepitu, & cum Car. *Sigonio*, ſed impari certamine, ſæpius & acerbius, quam literarum profeſſores decet, digladiatus, variis ſcriptis maiorem de ſe opinionem excitavit, quam implevit. Inter illa ſcripta ſunt Convenientia ſupputationis livianæ cum marmoribus Romæ, quæ in Capitolio ſunt, & liber de Arte corrigendi veterum libros. Certe hic liber, iudice I. C. *Wolfio* in notis in Caſauboniana p. 248. vix ſalivam lectori movebit, præcipue ubi comparatus fuerit cum Arte critica Io. *Clerici*, quæ & maiori apparatu eruditionis, & ordine meliori totam hanc rem perſequitur. Neque tantum Sigonium, ſed etiam *Egnatium*, *Muretum*, *Manutium*, H. *Stephanum* alioſque contemtim habuit, & ludibrio aliorum exponere laboravit, atque ita animum ſuperbum & faſtuoſum prodidit. Vid. etiam *Caſaubonus* ipſe in Caſaubonianis p. 38. Verum hæc non obſtant, inquit *Morhofius* Polyh. l. 6. c. 1. n. 31. quo minus rhetor ingenioſiſſimus dici haberique iure poſſit. Vid. etiam *Kœnig* 695. Obiit Patavii A. 1567. ſomum annum haud multum ſupergreſſus.

Io. *Herold*, Hoechſtetta-ſuevus, (unde ſe acropolitem vocat) ſcripſit, ſub titulo Victoriæ dolatoris, invectivam in æmulum quendam: Rerum ab urbe & regno Hieroſolymarum conditis, libros

libros VI. Chronologiam Ducum & Regum Pannoniæ: Strategematum chiliades VI: de Rudolpho habſpurgico: Vitas epiſcoporum baſileenſium: Arminium, ſive de bello contra Turcas ſuſcipiendo: Eroſophum, ſeu de honeſto & fœdo amore: Panegyricum Ferdinando Archiduci Auſtriæ dictum, cum hiſtoriola belli turcici A. 1556. geſti, & Continuationem illius belli ſacri: nec non Leges antiquas Germanorum. Varia quoque tranſtulit e latina & italica lingua in germanicam. *Friſius* 545. & *Kœnig* 398.

Mart. *Lydius*, lubecenſis, claruit ſub finem ſeculi XVIti, & ſcripſit Carmina, quæ exſtant in Tomo III. Delic. Germ. *Kœnig* 489.

Guil. *Inſulanus* (de l' Isle) iuliacenſis, dicendi & medendi arte clarus, poſtea Aquisgrani ædis S. Adelberti præpoſitus, condidit Laudem febris quartanæ: Aulam: Obſervationes hiſtoricas &c. & ſupremum diem vidit Aquisgrani A. 1561. *Kœnig* 428. Valer. *Andreas* Biblioth. belg. 321. & auctor *Cenſura* orationis Inſulani, T. X. oper. Eraſmi p. 1849.

LXXIX.

Georg. CASSANDRI Opera. Pariſiis 1616. Edita, ut H. *Grotius* in Ruari Epp. P. I. 202. & *Colomeſius* 458. teſtantur, a Io. Cordeſio: ſic enim legendum apud Ruarum. Continentur autem in iis 1) Liturgica de ritu & ordine dominicæ cœnæ celebrandæ. De quibus vide hic *Caſſandrum* p. 1094. & *Boſium* de Notitia ſcriptor. eccleſiaſt. c. 6. §. 11. Sunt autem liturgiarum antiquarum aliæ genuinæ, aliæ ſuppoſititiæ. Guil. *Forbeſ.* Conſiderat. controv. 253. 2) Ordo romanus de officio miſſæ, ſeu libelli aliquot pervetuſti, continentes ordinem, quem pontifex, præſertim romanus, iam olim in celebrando miſſæ officio obſervare conſueuit. De quo Ioach. *Hildebrand* Enchir. de priſcæ eccleſ. ſacris publ. B. & de Ritib. orant. 44. *Geſſelius* Hiſt. ſacræ P. II. 537. & *Cave* Hiſt. lit. 342. 3) Hymni eccleſiaſtici, præſertim qui Ambroſiani dicuntur, cum Scholiis ipſius Caſſandri, (in Indicem librorum prohibitorum relatis: de quo ipſummet lege ſis p. 1094.) & Appendice de Spiritu S. nominatim inuocando. I. Alb. *Fabricius* Biblioth. lat. 711. 4) Preces eccleſiaſticæ, quæ *Collecta* vulgo dicuntur, ex variis libris eccleſiaſticorum officiorum conquiſitæ, cum aliis non nullis precationibus, Colle-

ctarum ſpeciem referentibus, & interſperſis ſcholiis Caſſandri. Preces illæ depromtæ videntur ex Miſſa Flacii. *Placc.* de anon. 166. 5) B. *Vigilii*, martyris & epiſcopi tridentini, opera, videlicet Diſputatio inter Sabellium, Photinum, Arium & Athanaſium, item libri V. (qui auctiores prodiere cura Ioſ. *Simleri*) contra Eutychen & alios hæreticos, de Chriſto male ſentientes. Verum hæc ſcripta non ſunt martyris & epiſcopi tridentini, qui vixit in fine Sec. IV. tempore Honorii Imperatoris; ſed tapſenſis vel tapſitani afri, qui eſt recentior. Videantur *Kœnig* 844. *Cocus* 401. *Cave* 262. 164. *Placc.* de pſeudon. 607. Io. *Moller.* de homon. 635. 6) Commentarius de duabus in Chriſto naturis & unica hypoſtaſi, adverſus hæreſes ſuæ ætatis. 7) *Honorii* auguſtodunenſis dialogus de prædeſtinatione & libero arbitrio: nec non 2. epiſtolæ, una *Proſperi*, altera *Hilarii* aretalenſis de reliquiis pelagianæ hæreſeos, cum præfatione Caſſandri. 8) de baptiſmo infantum Teſtimonia veterum, qui intra CCC. circiter annos a temporibus apoſtolorum floruerunt. 9) de baptiſmo infantum Doctrina catholicæ eccleſiæ, divinarum literarum teſtimoniis explicata. Confer p. 1142. 10) de Officio pii ac publicæ tranquillitatis vere amantis viri in religionis negotio. Hunc librum annotationibus illuſtrauit Io. *Latermannus*. Prodiit ille primum ſine auctoris nomine. Cum itaque Io. *Calvinus* putaret, eſſe Fran. *Balduini*, quem ob tranſitum ad eccleſiam romano-catholicam maxime oderat, virulentiſſimum contra eum ſcriptum edidit. Ei etiam Io. *Heſſelius*, theologus louanienſis, oppoſuit librum de Officio pii viri urgente hæreſi, adverſus Caſſandrum. *Placc.* de anon. 20. *Blount* 728. ſed alii graviſſimi & erudititiſſimi viri, ac catholicæ profeſſioni addictiſſimi viri, quos inter erat Iul. *Pflug*, epiſcopus naumburgenſis, eundem adprobarunt. p. 1191. 1149. 11) Præcedentis libri, ſeu Traditionum veteris eccleſiæ & SS. Patrum, defenſio aduerſus Io. Calvini criminationes. Edita fuit ſub nomine Veranii Modeſti Pacimontani. *Placc.* de pſeudon. 446. Item Reſponſio ad calumnias, quibus Caſſander in germanico quodam libello petulanter impetitur. Libellus iſte inſcribebatur Wegweiſer, ſeu Viæ commonſtrator. 12) de articulis religionis inter Catholicos & Proteſtantes controuerſis Conſultatio. Perpendit auctor articulos controverſos ad iudicii lances, & modo huic, modo illi parti ſive annuit, ſive abnuit,

Digitized by Google

pacem ſic & concordiam facturus. Neque ſuo conſilio ad hunc librum ſcribendum acceſſit, ſed occaſione data ab auguſtiſſimo Imp. FERDINANDO I.eiüsque filio MAXIMILIANO II.cum enim ob virium imbecillitatem Caſſander Viennam nequiret proficiſci, iniunctum ei fuit, animi ſui de diſſidiis religionis componendis ſententiam ſcripto complecti: quod ille fecit Conſultatione hac, in qua articulos aug. confeſſ. examinat, & libere ac ſincere de iis iudicat. Sicut autem hic liber multis improbatur Catholicis, ita laudatur a *Thuano* l. 36. p. 672. Corn. *Gualtero* in Caſſandri Epitaphio, in operum initio, & apud Magirum p. 195. denique ab illuſtri auctore der *Altchriſtlichen Gedancken* p. 80. Lege etiam, ſi lubet, quæ exſtant hiſce in operibus p. 1190. 1193. 1197. Atque hæc Conſultatio fuit ultima, & quaſi cygnea viri optimi vox, ſicut *Thuanus* loquitur l. c. 13) de ſacra communione chriſtiani populi in utraque panis & vini ſpecie Conſultatio. Suadet in ea reſtitutionem calicis benedicti pro laicis, & non conficientibus. Huic conſilio adverſantur quidem Cardinalis *de Lugo* diſp. XXI. de Virtute fid. div. ſect. I. §. 2. *Ioannes* a Lovanio, & *Sanderus* de Viſib. monarch. eccl. p. 733. multique alii moroſi, at illud tamen optimis & religioſiſſimis, ac catholicæ unitatis ſtudioſis viris placuit, ſicut ipſe ſcribit *Caſſander* p. 1170. 1171. Et, *Grotii* iudicio, liber hic lectu eſt digniſſimus. Vide etiam *Chemnit.* Exam. concil. trid. P. II. 331. & Guil. *Frobeſ.* 427. Dialogus autem de ſuſpenſione Concilii trid. & communione ſub utraque, a G. Calixto denuo editus, hoc in volumine non reperitur. 14) de Viris illuſtribus liber unus. Continet vitas eorum, qui commemorantur in ſacris Bibliis, usque ad Regum hiſtoriam. 15) Epiſtolæ. Vbi notandum, per *libellum*, cuius mentionem facit p. 1110. in ep. XIX. intelligi Liturgica: &, quæ deſunt in epiſtola XXVI. p. 1118. ſuppleri & integra exhiberi a G. *Calixto* ad Caſſandri Dial. de Commun. ſub utraque ſpecie p. 43. Ducemque brunſvic. cuius meminit in ep. LIII. p. 1148. eſſe *Henricum* iuniorem. 16) Acta colloquii *Caſſandrum* inter & Io. *Kremer* a Caſtorp, anabaptiſmi cauſſa carceri mancipatum, A. 1558. 17) Acta colloquii inter *Caſſandrum* & *Matthiam* anabaptiſtam, A. 1565. habiti. 18) Deſcriptio virorum illuſtrium, qui in Latio fuerunt, ut *Euandri*, *Latini*, *Aſcanii*, M. *Licinii* Craſſi, *Catonis* uticenſis, C. *Iulii* Cæ-

 ſaris,

Digitized by Google

ſaris, M. *Bruti*, C. *Caſſii*, M. *Tullii* Ciceronis, Q. *Sertorii*, M. *Antonii*, & M. *Lepidi*. 19) Oratio panegyrica in laudem urbis Brugarum, & ſtudiorum humanitatis. 20) Tabulæ breues & expeditæ in præceptiones Rhetoricæ. 21) Tabulæ præceptionum dialecticarum. 22) Tabulæ locorum dialecticorum. In præfat. ad Ordinem romanum de officio oſtendit auctor, opuſculum illud, quod prodiit ſub nomine CAROLI M., non eſſe illius, aliaque in eo eſſe mutila, alia confuſa. H iiij.

Ep. XX. p. 1112. Crucis figura hæc erat, ut in medio fere ſtantis & erecti ſtipitis *tabella* immitteretur, cui plantæ hominis eo ſupplicio affecti inſiſtebant, & clavis affigebantur, ita ut non tam pendentis, quam ſtantis hominis ſpeciem repræſentaret.

Suppedaneum optimus & eruditiſſimus vir, G. Caſſander, *in ſubſidium advocat fruſtra*, quia ex obviis & rudibus lignis cruces ſtructæ: & impacto in ſtipitem ſuſtentaculo, quo vectari corporis moles poſſet, de pegmate operoſe addendo, cui cruciarius commode pedes imponeret, haut vero ſimile eſt ſollicitos fuiſſe. G. *Calixtus* in Append. ad Lipſii libros III. de Cruce, Q.

Vigilius, afer, primum diaconus, deinde epiſcopus tapſenſis in byzancena provincia, Arianorum ſollers oppugnator, floruit A. 484. & ſævientibus Vandalis arianis patriam ſuam deſeruiſſe, Græciamque & CPlin petiiſſe videtur. Scripſit præter illos ſupra dictos libros XII. de Trinitate, librum de Vnitate Trinitatis, de Trinitate adverſus Varimadum, ſeu, per litterarum tranſpoſitionem, Marivadum, ſectæ arianæ diaconum, & regi HVNNERICO carum, librum contra Palladium, arianum epiſcopum, & Solutiones obiectionum Arianorum: quæ omnia Pet. Fran. *Chifletius* in unum collecta edidit Divione A. 1664. 4. Videatur *Cave* p. 262. qui ei etiam tribuit Symbolum fidei, ſub Athanaſii nomine circumlatum, & *Olearius* P. II. Biblioth. ſcriptor. eccleſ. 227. Patres Benedictini pariſienſes noviſſimæ S. Auguſtini editioni, eiusdem Altercationem, ſiue dialogum Auguſtini cum Paſcentio ariano inſeruerunt, & Epiſtolarum eius appendici ſubnexuerunt.

Hono-

Honorius, auguſtodunenſis ſiue eduenſis in Burgundia presbyter & ſcholaſticus, cognominatus *Solitarius*, floruit ab A. 1130. uſque ad 1153. & ſcripſit Commentarios in libros III. Salomonis, librum de Luminaribus ſeu ſcriptoribus eccleſiæ, libellum de Hæreſibus, & alia, quæ Andr. *Schottus* Bibliothecæ Patrum inſeruit, omittens tamen Speculum eccleſiæ, ſermones tam de tempore, quam de ſanctis continens. *Cave* 459. & *Olearius* P. I. 345.

Hilarius, gallus, monachus lirinenſis, deinde *Honorati*, in ſede arelatenſi, ad quam eum comitatus fuerat, ſed & inde in monaſterium ſuum redierat, ſucceſſor, iuriumque ſuorum contra provincias viennenſem & narbonenſem ſtrenuus aſſertor, ſed & propterea odium & perſecutionem LEONIS I. papæ expertus, ac inde vel apud gallicanos ſcriptores, quaſi papatus affectator, male audiens, donec Paſchaſ. *Queſnelus* libere docteque prolixiſſima diſſertatione eius cauſſam egit, obiit A. 449. æt. 48. Reliquit Vitam S. Honorati, Carmen heroicum de Geneſeos hiſtoria, & alia, quæ extant in Biblioth. Patrum. *Cave* 231. *Olear.* P. I. 337.

G. *Caſſander*, natus in inſula Caſſanda Flandriæ, haud procul Brugis, unde & *Caſſandri* nomen ſibi finxerit, vir græce latineque doctus, & vario doctrinæ genere excellens, Gandavi, Brugis, & alibi literas humaniores docuit, poſtea vero divinarum rerum ſtudiis unice deditus fuit, & poſt varia itinera Coloniæ Agrippinæ ſedem fixit ſuam, ubi etiam, arthritidis ſeu podagræ diuturnis vehementiſſimisque doloribus confectus pie obdormivit A. 1566. æt. 52. in æde B. Franciſci ante ſummum altare ſepultus, eo usque funus proſecutis Magiſtratus urbis & academiæ proceribus. Fuit theologus doctus, moderatus, p. 1169. candidus, cordatus, catholicæ tamen doctrinæ uſque ad finem vitæ ſerio addictus, p. 786. 787. 1095. 1103. 1174. 1175. reique familiaris anguſtia preſſus, p. 1094. maximam tamen nominis famam conſecutus, ita ut FERDINANDVS I. & MAXIMILIANVS II. prudentiſſimi Impp. eum ſolum inter omnes doctores dignum & aptum iudicarent, qui de controverſis tunc temporis articulis, deque modo concordiam inter partes diſſidentes faciendi iudicium & conſilium ferre ſuſtineret. Laudatur ac celebratur non tantum inter noſtrates a G. *Calixto* de Coniug. clericor. p. 440. ad Colloqu. thorun. §. 65. ad Dial. Caſſandri 41. Reſp. I. ad Mogunt. §. 134. & Reſponſ.

 ad

ad Hulſemanni Meiſt. Muſt. §. 111. F. V. *Calixto* præfat. ad Demonſtrat. liquidiſſ. p. 5. *Menzero* Exeg. aug. conf. art. II. *Glaſſio* in Iudicio de controv. Proteſt. 164. Tim. *Friedliebio* (ſeu Iuſto Geſenio) in Erört. der Frage P. II. 85. ac P. III. 30. 335. Io. *Gerhardo* L. de Bon. operib. n. 124. p. 89. Io. *Fabricio* Syſtem. theol. 572. Mart. *Beerio* von Anruff. der Heiligen 152. *Brelero* epiſt. dedicat. Vindic. Arndii (c) *Spenero* de Vera ſalvif. fide 51. 7. G. *Richtero* Orat. VII. p. 201. & XXI. p. 14. *Seckendorfio* Hiſt. lutheran. l. 1. §. 136. I. Fr. *Weiſſenbornio* diſp. de Eccleſ. luther. non babel. 13. *Crenio* de Singularib. ſcriptor. 76. *Arnoldo* K. u. K. H. part. II. lib. 16. c. 34. & *Buddeo* in Lex. univ. hiſt. T. I. 584. ſed etiam inter Catholicos ab illis, qui veritatis, candoris ac moderationis ſunt amantes ſtudioſique: graviſſimus enim ſcriptor *Thuanus* eum vocat virum doctum & moderatum, in epiſt. nuncupator. ad HENRICVM IV. Regem chriſtianiſſimum)(3. optimum virum, & doctiſſimum ac puriſſimum theologum, lib. XXVIII. p. 541. & rurſus virum optimum ac doctiſſimum, qui ad exactiſſimam rerum ſacrarum ſcientiam ſummum animi candorem ac moderationem addiderit, & in cognoſcendis illius ævi controverſiis, rationibusque, quibus hæc tempeſtas utcunque ſedari, & ne maior diſtractio & dilaceratio in eccleſia fiat, occurri poſſit, conquirendis omne vitæ ſpatium contriverit, lib. XXXVI. p. 672. virum utriusque linguæ peritia, & antiquitatis cognitione, ac rerum poſtremo ſacrarum diligentiſſima ſcrutatione præcellentem, in quo rara hoc ævo modeſtia commendanda, & iis, qui ingenium in contentionibus hodie exercent, ad vitandam acerbitatem in exemplum proponenda ſit. lib. XXXIIX. pius P. *Dionyſius* werlenſis Meſsberichters P. I. 41. 46. quamvis aliorum verba duntaxat referre videri velit, tam candidum quam iudicioſum; cordatus Lud. El. *du Pin* in Tomo XVI. Biblioth. ſcript. eccleſ. virum ſummæ eruditionis & morum chriſtianiſſimorum; & illuſtris integerrimusque auctor des *Abriſſes* der Cathol. Kirchen p. 282. 290. 305. 638. 656. & 663. beatum, candidum, nunquam ſatis laudatum, doctiſſimum & omni encomio digniſſimum, paucosque ſibi pares ſuo ævo habentem. Atque hæ offulæ obiiciendæ ſunt latratibus eorum, qui ab utraque parte viri optimi famam atque exiſtimationem imminutum eunt, eumque ſimulationis, inconſtantiæ, fraudum; adulationis, ſtudii

Digitized by Google

ſtudii partium, & falſorum accuſare, atque inteſtabilem reddere neutiquam verentur. Denique ſciendum, dici quidem a non nullis Pontificiis, Caſſandrum ſententias ſuas, atque in primis Conſultationem de componendis utriusque ſectæ controverſiis ante obitum retractaſſe, ſed non æque probari, aut probari unquam poſſe. Vide *Conringii* epiſtolam Caſtigationi Erbermanni Titianæ ſubiunctam, p. 5. & *Boineburg.* Epp. p. 229.

LXXX.

Sim. DE MVIS opera omnia, collecta & edita a Claudio *d' Auvergne.* Pariſiis 1650. Tomi II. E bibliotheca I. Fr. *Mayeri.* Quorum primus continet Commentarium literalem & hiſtoricum 1) in omnes pſalmos Davidis. 2) in ſelecta V.T. Cantica, ut Canticum Moſis duplex, *Ex.* 15. & *Deut.* 32. Canticum Deboræ, *Iud.* 5. Canticum Annæ, matris Samuelis, 1. *Sam.* 2. Canticum Ieſaiæ, c. 26. Canticum Ezechiæ regis, *Ieſ.* 38. & Canticum Habacuci prophetæ, c. 3. In illo in pſalmos Commentario auctor literalem quidem ſemſum præcipue indagat, laudatus propterea ab *Hottingero* Bibliothecar. p. 190. eumque in finem Rabbinorum explicationes adferre laborat; nihilo tamen minus complures pſalmos ad Servatorem noſtrum cum Eccleſia adplicat, deque diverſis Rabbinorum ſententiis iudicium fert ſuum. Multa tamen demi poſſent huic Commentario, quæ eum reddunt languidum. Vno verbo, ille non eſt ſatis caſtigatus, iudice R. *Simonio* Hiſt. crit. V. T. l. 3. c. 12. p. 425. Secundus 1) Varia ſacra, variis e Rabbinis contexta. Quæ etiam extant in Tomo VII. Criticorum ſacrorum. 2) Triplicem aſſertionem veritatis hebraicæ, adverſus Exercitationes Io. *Morini* in utrumque Samaritanorum pentateuchum. De qua quid iudicet *Simonius*, apud ipſummet legi poteſt in Crit. S. V. T. l. 3. c. 18. p. 470.

LXXXI.

Mart. LVTHERI Operum latinorum Wittebergæ excuſorum T. VII. A. 1545. 1557. Duo tomi operum Lutheri editi ſunt Baſileæ A. 1520. & 1521. in fol. Primus noſtrorum continet controverſiam de Indulgentiis motam, ſeu ſcripta ab A. C. 1517. uſque ad annum 20. cum præfatione duplici, nimirum *Lutheri*, & Philippi *Melanchthonis*, quorum

quorum ille maciem ſuorum, in primis priorum, ſcriptorum fatetur, ac Locos Philippi Communes laudibus extollit; hic vero oſtendit, Deum inde usque ab initio ſubinde miſiſſe teſtes veræ ſententiæ, qui eccleſiam repurgarent, qualis etiam ſit Lutherus, quippe qui irritatus impudentia *Tezelii*, qui indulgentias venales circumtulerat, veram, puram & ſalutarem doctrinam de pœnitentia, de iuſtitia fidei, de diſcrimine Legis & Euangelii, de diſcrimine verorum cultuum & humanarum traditionum, de vero uſu ſacramentorum, initio monſtraverit; poſtea etiam doctrinam de peccato originis & malo reliquo in renatis in hac vita, nec non de eccleſia & poteſtate clavium, illuſtraverit: ac pro tot tantisque beneficiis Deo ingentes gratias eſſe agendas. In ſpecie autem continentur in Tomo I. 1) X. Præcepta wittebergenſi populo prædicata. De quo ſcripto Admonitio typographi ad lectorem non prætereunda eſt, in qua dicitur, fuiſſe illud extemperaneum & tumultuarium. 2) Propoſitiones de pœnitentia & indulgentiis, & quædam aliæ diſpp. initio cauſſæ ab ipſo propoſitæ. 3) XII. Conciones, videl. de indulgentiis, pœnitentia, virtute excommunicationis, digna præparatione cordis pro ſuſcipiendo ſacramento euchariſtiæ, a) triplici iuſtitia, b) duplici iuſtitia, quomodo ſit orandum, ſacramento baptiſmi, confeſſione & ſacramento euchariſtiæ, meditatione paſſionis Chriſti, præparatione animi ad mortem, & coniugio. 4) Epiſtola ad Albertum, cardinalem & archiepiſcopum moguntinum. 5) Poſitiones Io. *Tezelii*, quibus defendit indulgentias contra Lutherum. Cuius ſcripti errata typographica ſtatim poſt Indicem ſcriptorum huius tomi indicantur. 6) Epiſtola, cum propoſitionibus de Indulgentiis, ad Hieronymum, epiſcopum brandenburgenſem. 7) Alia ad D. Io. Staupitium, Auguſtinianæ familiæ vicarium: aliaque ad LEONEM X. P. R. præmiſſa Reſolutionibus. 8) Reſolutiones Diſputationum de virtute indulgentiarum. 9) Probationes concluſionum, quas diſputavit Lutherus in Capitulo heidelbergenſi. 10) Aſteriſci Lutheri adverſus obeliſcos Eckii. 11) Dialogus Sylveſtri *Prieriatis*, Palatii apoſtolici magiſtri, contra Lutheri concluſiones. 12) Reſponſio *Lutheri* ad Dialogum Sylveſtri. 13) Replica Sylveſtri *Prieriatis*. 14) Epitome Reſponſionis *Sylveſtri*. 15) Proteſtatio Lutheri brevis;

a) legali, originali, actuali. b) aliena & propria.

vis 16) Epiſtola ad lectorem contra Iac. Hochſtraten. 17) Quod iuſtus etiam inter bene operandum peccet, contra Scholaſticos. 18) Inſtructio pro confeſſione peccatorum abbrevianda. 19) Synodi *Auguſtinianorum* de libertate monachorum Sententia. 20) Epiſtola Imp. MAXIMILIANI, miſſa ex conventu auguſtano, ad Leonem X. P. R. 21) Breve LEONIS X. ad Fridericum, Saxoniæ Ducem, & Electorem. 22) Aliud ad Thomam *Caietanum*, Cardinalem. 23) Epiſtola *Academiæ vvitteberg.* ad Carolum Miltizium, rom. Pontificis cubicularium ſecretum. 24) Alia eiusd. ad Leonem X. 25) Acta Lutheri apud Legatum apoſtolicum, Thomam *Caietanum*, Auguſtæ. 26) Epiſtola *Lutheri* ad Phil. Mel. & brevis commemoratio eorum, quæ Auguſtæ geſta ſunt. 27) Epiſtolæ II. ad Cardinal. Caietanum. 28) Appellatio prima a Caietano ad Papam. 29) Epiſtola CAIETANI ad *Fridericum*, Saxoniæ Ducem, & Electorem. 30) Reſponſio FRIDERICI, Sax. Elect. ad Caietanum. 31) *Lutheri* epiſtola ad Electorem Fridericum. 32) Epiſt. *Academiæ vvitteberg.* ad Fridericum. 33) Reſponſio FRIDERICI ad epiſtolam Cardinalis Raphaelis. 34) Nova Decretalis & ultima LEONIS X. de Indulgentiis. 35) Appellatio ſecunda *Lutheri* a Papa ad Concilium. Anno 1519. 1) Breve LEONIS X. ad Degenhardum Pfeffinger, Friderici Electoris conſiliarium. 2) Aliud eiusdem ad D. Georg. Spalatinum, eiusd. Electoris ſecretarium. 3) Acta Lutheri cum Carolo *Miltizio* Altenburgi in ædibus D. Georg. Spalatini. 4) Epiſtola *Lutheri* ad Leonem X. miſſa per Miltizium. 5) Epiſtola *Eraſmi* Roterod. ad Fridericum, Elect. Saxon. 6) Reſponſio FRIDERICI ad Eraſmum. 7) Epiſtola *Lutheri* ad Fratres ordinis Minorum conventus iutterboccenſis. 8) Diſputatio & excuſatio adverſus criminationes Eckii. 9) *Eckii* Poſitiones contra Mart. Lutherum. 10) Diſputatio lipſica. 11) Sermo *Lutheri* Lipſiæ in arce prædicatus. 12) Reſolutiones ſuper Propoſitionibus Lipſiæ diſputatis. 13) Epiſtola præmiſſa Reſolutioni ſuper propoſitione XIII. 14) Epiſtola Io. *Eckii* ad Iac. Hochſtratum. 15) Philippi *Melanchthonis* epiſtola de Diſp. lipſica. 16) Excuſatio Io. *Eckii*. 17) Defenſio Philippi *Melanchthonis* contra Io. Eckium. 18) *Emſeri* epiſtola ad Io. Zack de diſp. lipſica. 19) Ad Ægocerotem emſeranum *Lutheri* additio. 20) Epiſtola ad Io. Eckium

ſuper expurgatione ecciana. 21) Contra malignum Eckii iudicium Defenſio. 22) Articuli hæretici Io. *Eckii.* 23) *Canonicorum* indoctorum lutheranorum Reſponſio ad Io. Eckium. 24) *Lutheri* Diſpp. ab A. 1519. uſque ad 1545. cum epiſtola Philippi *Melanchthonis*, in qua ait, diſpp. haſce graves quosd. locos doctrinæ chriſtianæ continere, qui ex his brevibus ſententiis melius cognoſci poſſint, quam ex magnis aliorum voluminibus. 25) Phil. *Melanchthonis* Diſpp. theologicæ ab A. 1523. uſque ad annum 45. cum epiſtola ſive præfatione *Lutheri*, in qua eas commendat eccleſiæ, tanquam breviarium & faſciculum eorum, quæ hactenus ab ipſis docta, tractata & diſputata fuerunt. 26) Loci doctrinæ chriſtianæ præcipui. Sunt autem nihil aliud, quam Index illorum.

Tomo II. continentur monumenta, quæ de multis graviſſimis controverſiis ab A. 1520. uſque ad 27um edita ſunt, nimirum 1) Epiſtola ad Leonem X. 2) De Libertate chriſtiana. Hoc ſcriptum improbatur a C. *Helvvich* in Rat. ſelect. 76. 3) Teſſeradecas conſolatoria. 4) Epiſtola ad Fridericum, Elect. Saxon. 5) Confitendi ratio. 6) Reſponſio ad Schedulam inhibitionis, ſub epiſcopi miſn. nomine editam, ſuper Sermone de ſacramento euchariſtiæ. 7) Acta *academiæ lovanienſis* contra Lutherum. 8) Condemnatio doctrinalis librorum Lutheri per quosdam *Magiſtros* noſtros *lovanienſes* & *colonienſes* facta. 9) Reſponſio *Lutheri* ad articulos ab illis condemnatos. 10) Ad Carolum V. Imp. epiſtola. 11) Oblatio ſive Proteſtatio, non niſi euangelicam doctrinam hactenus a ſe propoſitam eſſe ac proponi. 12) Epiſtola ad Cardinal. & archiepiſcopum moguntinum, *Albertum.* 13) *Cardinalis* huius Reſponſio. 14) Lutheri epiſtola ad epiſcopum mersburgenſem *Adolphum.* 15) *Epiſcopi* reſponſio. 16) Epiſtola Io. *Eccii*, Sedis papiſticæ nuncii. 17) Epiſtola Vlrici *de Hutten* ad Lutherum. 18) Reſponſio FRIDERICI, Elect. Saxon. ad Valentinum a Deitleben. 19) Breve LEONIS X. ad Fridericum. 20) Appellatio Lutheri a Papa ad Concilium. 21) Pictura ſive Deſcriptio rom. Curiæ ex epiſtola quadam Vlrici *de Hutten* ad Fridericum, Elect. Saxon. 22) Bulla LEONIS X. contra errores M. Lutheri & ſequacium. 23) *Lutheri* præludium de Captivitate babylonica. Et hoc culpatur a C. *Helvvich* in Rat. ſelect. 76. 24) Adverſus execrabilem antichriſti Bullam. 25) Aſſertio omnium

arti-

articulorum per Bullam Leonis X. noviſſimam damnatorum. 26) Axiomata *Eraſmi*, pro cauſa Lutheri. 27) Brevis commemoratio rerum Coloniæ geſtarum in cauſa Lutheri. 28) Reſponſum Electoris Saxon. FRIDERICI, datum Legatis pontificiis. 29) Conſilium cuiusdam ex animo cupientis conſultum & rom. Pontificis dignitati, & chriſtianæ religionis tranquillitati. 30) Quare Pontificis romani & diſcipulorum eius libri a Luthero combuſti ſint. 31) Exuſtionis antichriſtianarum Decretalium Acta. 32) Sim. *Heßt* epiſtola ad Lutherum, quare ipſius articuli damnati ſint. 33) Reſponſio *Lutheri* ad librum Ambroſii *Catharini*, defenſoris Prieriatis, cum expoſita viſione *Dan.* 8. de antichriſto. 34) Epiſtola ad Fridericum, Elect. Saxon. de Conventu wormatienſi. 35) CAROLI V. Cæſ. epiſtola ad Lutherum, qua vocatur ad Comitia wormatienſia. 36) Acta *Lutheri* coram Cæſarea Maieſtate in comitiis Wormatiæ. 37) Epiſtola ad Imperatorem poſt abitionem ex conventu Wormatiæ. 38) Alia eiusdem fere argumenti, ad Electores & omnes Imperii Ordines. 39) Reſponſio extemporaria ad articulos, quos quaſi hæreticos ex ipſius Captivitate babylonica & Aſſertionibus excerpſerant Magiſtri pontificii, & Wormatiæ obiiciebant. 40) Epiſtolæ II. Vlrici *de Hutten* ad Lutherum. 41) *Eiusdem* epiſtola ad Bilib. Pirckheimerum, in qua commemorat, quid actum ſit cum Luthero in Conventu wormatienſi. 42) Fragmentum ex invectiva *eiusdem* in Hieron. *Aleandrum*. 43) Eiusdem Invectiva in Marinum *Caracciolum*, oratorem romanum. 44) Alia in Cardinales, Abbates, Epiſcopos &c. impugnantes Lutherum. 45) *Eiusdem* ad Carolum V. Imp. epiſtola. 46) *Eiusdem* in incendium lutheranum exclamatio. 47) Determinatio *theol. Facultatis pariſ.* ſuper doctrina lutherana. 48) Phil. *Melanchthonis* pro Luthero Apologia. 49) Ludus Lutheri, a ſtolida & ſacrilega Sorbona damnati, ſive *Facultatis theol. pariſ.* Determinatio ſecunda contra Apologiam illam Philippi. 50) Confutatio inepti & impii libelli Auguſtini *Alveld* de pontificia poteſtate. 51) Barthol. *Bernardi*, paſtoris kembergenſis, Reſponſio de re uxoria. 52) Defenſio *eiusdem* ad Fridericum, Elect. Sax. 53) Rationis latomianæ pro incendiariis lovanienſis ſcholæ ſophiſtis redditæ, *Lutheri* Confutatio. 54) De abroganda miſſa privata. (A. 1522.) 55) De votis monaſticis. 56) Epiſtola ad Io. Briſmannum de libello de Votis.

Digitized by Google

57) Alia ad Wolfg. Fabricium Capitonem. 58) Ad Senatum pragenſem. 59) Adverſus falſo nominatum Ordinem epiſcoporum. 60) Epiſtola ad Fridericum El. Sax. de reditu ex pathmo ad Wittebergenſes ſuos. 61) Contra Henricum, Regem Angliæ. Confer num. 92. huius Tomi, & quod *Blount* ex *Burneti* Hiſtoria reform. adducit p. 543. Duriorem ſcribendi modum, quo Lutherus interdum, ac præcipue hoc in ſcripto uſus eſt, minime probat *Seckendorf.* in Lutheran. p. 187. neque etiam *Elector Saxon.* qui tunc viuebat. p. 263. 62) Sententia quorundam delectorum ab Academia wittebergenſi de miſſa privata. 63) Inſtructio Chriſtiani Beyeri, quid ad auctores prioris ſcripti deferre debeat. 64) Informatio & Deliberatio delectorum ab Vniverſitate witteb. ad præcedentem Inſtructionem. 65) Breve ADRIANI VI. P. R. ad Fridericum El. Sax. 66) Aliud eiusdem ad Electores, Principes, & omnes Ordines Imperii. 67) Aliud ad Conſules & Senatum babenbergenſem, ſive bambergenſem. A. 1523. 68) Appendix *Lutheri* ad proxime præcedens Breve, in qua Pontificem perſtringit, quod ipſe, utpote infallibilis, iudicium velit permittere Bambergenſibus. 69) Edictum CAROLI V. de cauſa lutherana. 70) *Lutheri* epiſtola ad Status Imperii Noribergæ congregatos, contra calumniatores & falſarios Edicti cæſarei. 71) De inſtituendis miniſtris eccleſiæ, ad Senatum pragenſem. 72) Quod Eccleſia poteſtatem habeat iudicandi de quavis doctrina. 73) De doctrinis hominum vitandis. 74) Refutatio quarundam ſententiarum, quæ pro doctrinis humanis allegantur. 75) Formula miſſæ & communionis pro eccleſia wittenbergenſi. 76) De piis cærimoniis in cœtu eccleſiæ ſervandis. 77) De abominatione miſſæ privatæ, quam Canonem vocant. 78) Interpretatio Papaſelli, ſeu monſtri Romæ in Tiberi A. 1496. inventi, per Phil. *Melanchthonem.* 79) *Lutheri* Amen, ſive Clauſula præcedentis libri. 80) Interpretatio monachovituli, h. e. monſtri, Fribergæ A. 1523. editi, per Mart. *Lutherum.* 81) Exemplum theologiæ & doctrinæ papiſticæ, ſive Refutatio Sermonis in conſecratione monialis cuiusdam habiti a Provinciali, ordinis Prædicatorum. 82) Adverſus virum armatum *Cochlaeum*, in quo eius errores circa doctrinam de Iuſtificat. refutantur. 83) Duo Brevia CLEMENTIS VII. P. R. ad Fridericum, in quibus ei commendat Cardinalem *Campegium*, & pacem eccleſ.

ger-

germanicæ. 84) Laur. *Campegii*, legati Pont. epiſtola ad eundem, e conventu noribergenſi iam profectum. 85) Duo contraria & inter ſe pugnantia cæſarea Edicta, cum præfatione *Lutheri*: alterum enim Edictum agere de exequenda proſcriptione Lutheri, alterum de examinandis eius ſcriptis in proximo Conventu ſpirenſi. 86) Duæ epiſcopales Bullæ, prior pii, poſterior papiſtici Pontificis, cum præfatione & annotationibus *Luthri*. 87) Breve CLEMENTIS VII. ad Regem Poloniæ, de propoſito indicendi Concilii ob cauſam lutheranam. 88) Iudicium *Lutheri* de Eraſmo Roterod. 89) De Servo arbitrio. Summa huius ſcripti eſt, hominem ſine Dei gratia nihil poſſe efficere in ſpiritualibus, ut ait Philip. *Melanchthon* in epiſtolis ad Ioach. Camerarium p. 50. In hoc quoque ſcripto Lutherus aſſerit, quod Deus efficiat durationem. Sed in Comment. in Geneſ. ſeſe explicat, quomodo velit intelligi. Et hic Commentarius, utpote poſterior, illi ſcripto eſt præferendus. Liber de Servo arbitrio recuſus eſt Argentinæ in 8. cum annotationibus Seb. *Schmidii*. 90) Epiſtolæ Nic. *Amsdorfii* & *Lutheri* de Eraſmo. 91) Epiſtola ad *Georgium* Ducem Saxoniæ, in qua mitigare ſtudet iratum eius animum, & ſuam cauſam defendit. 92) Alia ad Regem Anglorum, in qua dolet, librum a ſe contra illum (vide num. 61.) ſcriptum eſſe, & quum interim Rex dicatur favere euangelio, veniam culpæ petit, ſeque ad palinodiam, ſi velit, offert. 93) Reſponſio ad titulum maledici ſcripti Regis Angliæ. Equidem fatetur Lutherus, libellum illum a Rege nequaquam eſſe conſcriptum; quia tamen auctor, ſub nomine Regis, ita interpretatur priorem epiſtolam, quaſi palinodiam cecinerit Lutherus, h. e. ſuam doctrinam retractarit, hinc ei reſpondendum hoc ſcripto eſſe iudicavit. 94) Diſpp. aliquot *Lutheri* & Philippi *Melanchthonis*: & Lutheri quidem diſp. 1. de unitate eſſentiæ, & diſtinctione perſonarum in divinitate, A. 1545. 2. contra XXX. articulos (qui & heic exſtant) *lovanienſium* theologiſtarum A. 1544. *Melanchthonis* 1. de tota euangelii doctrina, A. 1546. 2. Contrariæ & veræ propoſitiones, contra propoſitiones Petri *de Malvenda* de Iuſtificatione & merito B. O. in Colloquio ratisbonenſi A. 1546. propoſitas. 3. Diſputatio de matrimonio, autore M. Caſp. *Cantagiſer*.

Tomo III. (cui præmittitur *Melanchthonis* Præfatio de utilitate commentariorum & interpretationum, de nonnullorum interpretum erroribus, de interpretis requiſitis, ac utilitate commentariorum Lutheri) continentur Enarrationes Deuteronomii, ultimorum verborum Davidis & multorum pſalmorum, ſpeciatim 1) Præfatio in V. T. 2) Quomodo & quo fructu libri Moſis a chriſtianis legendi ſint. 3) Enarratio precationis, qua benedicitur populo ex *Num.* 6, 24. 25. 26. 4) Deuteronomium Moſis ex ebræo caſtigatum, cum annotationibus Lutheri. 5) Enarratio ultimorum verborum Davidis 2. *Sam.* 23, 1-7. interprete Caſp. *Crucigero.* Scriptum hoc ultimum fuit inter Lutheri didactica, quippe triennio ante ipſius mortem compoſitum: eiusque interpretatio fuit ultimus Crucigeri labor, indicante *Rorario*, p. 130. 6) Epiſtola nuncupatoria, Operationibus in pſalmos aliquot præfixa. 7) Operationes in Pſalmos priores XXII. prælectæ A. 1519. 20. 21. cum epiſtola Phil. *Melanchthonis* ad ſtudioſos theol. in qua illis auctas, ſi non renatas bonas litteras gratulatur, ac laudatis ex merito *Eraſmo*, *Capnione*, Wolfg. *Fabritio*, & Io. *Oecolampadio*, Lutheri Commentarium in Pſalmos aliquot commendat. 8) Epiſtola ad amicum quendam, in qua ſcriptum præcedens agnoſcit pro tumultuario, & quaſi furto temporis. 9) Argumenta Pſalmorum omnium, verſa in latinam linguam a D. Iuſto *Iona*, cum præfatione *Lutheri* de encomio & utilitate pſalmorum. 10) Enarrationes ſeu commentarius in Pſ. 2. 45. 51. 82. & 90. a Vito Theodoro ſeu Theodorico editæ, ab autore vero recognitæ, cum *Theodori* epiſtola dedicatoria. 11) Commentarius ſeu Enarrationes in Pſalmos graduum, ex prælectionibus Lutheri collectæ & editæ a Vito *Theodoro*, in pſalmum 120. uſque ad 134tum incluſive, cum præfatione & *Theodori* & Lutheri.

Tomo IV. (cui præfigitur Præfatio ſive epiſtola dedicat. *Melanchthonis*, in qua agitur de 7. gradibus teſtimoniorum pro veritate doctrinæ a Deo patefactæ, & in ſcriptis propheticis ac apoſtolicis comprehenſæ) Annotationes 1) in Eccleſiaſten. 2) in Canticum Salomonis. 3) Scholia in Eſaiam. 4) Argumentum in Ezechielem 5) aliud copioſius. 6. Comment. in Danielem. 7) in prophetas minores, exceptis Haggæo & Zacharia. Et quidem in illum hic argumentum tantum reperitur, in hunc nihil. 8) Phil. *Melanchthonis* Explicatio Proverbiorum, Eccleſiaſtæ, Cantici canticorum,

rum, Argumentum in Eſaiam, inque 4. priora Eſaiæ capita, in Ieremiam, in Threnos, & Commentarius in Danielem.

Tomo V. (cui præmiſſa eſt Præfatio ſive epiſtola dedicatoria Phil. *Melanchthonis*, in qua de antiquitate & celebritate familiæ Anhaltinæ, atque inprimis de *Georgio* duce, Lutheri eiusque doctrinæ magno fautore, agit, & quaſi in tranſitu ait, ſeſe ideo præfationes (operum Lutheri) ad Principes & ad viros præſtantes ſcribere, ut ſciat poſteritas, doctrinam ſaxonicarum eccleſiarum non tantum populi ſtudiis, ſed graviſſimis iudiciis ſapientum & bonorum Principum & eruditorum virorum receptam eſſe) Annotationes in aliquot capita Matthæi, Iohannis euangeliſtæ, & Epiſtolæ prioris ad Corinthios, Commentarius in ep. ad Galat. in duas petri, in Iudæ unam, in prophetam Zachariam; nempe 1) in XVII. priora Matthæi. 2) Comment. ſuper Magnificat, e vernacula in latinum verſus a Ioh. *Loni. ero.* 3) Præfatio methodica totius Scripturæ in epiſtolam ad Romanos, in latinum verſa per Iuſtum *Ionam.* 4) Exegeſis in VIImum caput 1. epiſtolæ ad Corinthios: Sermo de matrimonio, & duorum thematum de matrimonio Analytica, (quorum primum eſt, parentes non habere ius cogendi liberos ad matrimonium; alterum, non licere liberis ſine parentum conſenſu contrahere matrimonium) latine verſa a Io. *Lonicero.* 5) Homiliæ ſive Enarratio in 15tum caput 1. ad Corinth. de Reſurrectione mortuorum, & in 17. caput Iohannis, a Vincentio *Obſopoeo* (cuius ſtudium Lutherus probat & laudat in præfatione) latine reddita. Præmiſſa iis eſt epiſtola *Obſopoei* nuncupatoria ad Conſules & Senatum hallenſem in Sueuis, in qua oſtendit, veram civitatis alicuius felicitatem conſiſtere in doctrinæ ſalutaris notitia; & primum eorum doctorem evangelicum, Io. *Brentium* laudat. 6) Commentarius primus in epiſt. ad Galatas, ab ipſo Luthero recognitus; cum præfat. Phil. *Melanchthonis*, in qua eum, cum & pietatem recte doceat, & Pauli ſententiam ſimpliciſſime explicet, dignum eſſe pronunciat, qui manibus piorum teratur. 7) Commentarius II. (*) in epiſtolam ad Gal. ex prælectionibus Lutheri collectus a Georg. *Rorario* A. 1536. cum præfatione *Lutheri*, in qua miratur verboſitatem iſtius Commentarii, eumque propterea tamen patitur edi, ut excitentur fratres ad defenden-

dam

(*) Vide Car. *Arnd* Contin. Biblioth. Mayer. 134.

dam doctrinam de iuſtitia fidei. 8) Enarrationes in II. epiſtolas Petri, & unam Iudæ, A. 1525. 9) Comment. in prophetam Zachariam, e germanico in latinum verſus a M. Laurentio *Span*, & Phil. *Melanchthonis* Comment. in eundem, A. 1553. in ſchola wittenbergenſi dictatus. 10) Libellus de bonis operibus, A. 1520. latine redditus. In quo iuxta decalogi præcepta docet, quænam ſint, vel non ſint bona opera. 11) *Lutheri* (a quo denominatio ſumitur reſpectu miniſterialis reſtaurationis) Catechiſmus maior, cum Præfatione, quæ huic Maiori catechiſmo præponenda erat, atque in Formula Concordiæ etiam præpoſita eſt. 12) Eiusd. Catechiſmus minor, ſic dictus non tantum in ſeſe, quia perbreve eſt ſcriptum, ſed etiam reſpectu Maioris, utpote prolixioris. Minor ſcriptus eſt A. 1529. m. Ian. Maior menſe octobri eiusd. anni.

Tomo VI. (cui *Lutheri* Præfatio eſt adiecta, in qua ait, lectiones ſuas in hunc Moſis librum ſe non in hoc inſtituiſſe, ut cogitaret aliquando edendas eſſe; quoniam tamen Caſp. *Cruciger*, G. *Rorarius* & Vitus *Theodorus* eas edendas eſſe iudicarint, ſinere ſe eos abundare ſenſu ſuo, & vulgari hos pilos exiguos caprarum ſuarum) Enarrationes in Geneſin. Wittebergæ 1556. Quæ prodierunt etiam Noribergæ 1550. & cum annotat. ac triplici Indice M. G. C. *Bürcklini* 1712. 4. Exorſus eſt eas Lutherus A. 1535. & abſolvit A. 1545. die Novembris 17mo tribus ante obitum ſuum menſibus. Ita factum, uti prædixerat in præfatione: *Huius libri enarrationi immorabor & immoriar.* Richardus *Simon* Hiſt. crit. V. T. l. 3. c. 14. durum & acerbum fert iudicium de Lutheri Commentariis, ſcribens, eum Commentaria ſua quæſtionibus theologicis, innumerisque aliis a ſcopo alienis perſpergere, ita ut illa ſint potius lectiones theologicæ vel diſpp. quam genuina commentaria: id in Geneſeos expoſitione cernere eſſe, in qua digreſſionum ingens numerus deprehendatur, quæ iudicium ſolidum parum redoleant. Sed benignius iudicant alii; & inter eos *Chytræus* in epiſt. nuncupatoria Enarrationis in Geneſin, p. 205. *Mörlinus* de lect. ſcriptor. Luth. 38. Theologi *lipſienſes* & *vvitteb.* im Endl. Bericht D iiij. *Kirchner* ap. Io. Olear. in Gymnaſio. pat. 269. *Cronius* de libris ſcriptor. opt. 20. *Carpzovius* in Theol. exeg. 45. H. *Weller* in Olearii Scrin. antiq. Non tamen in hoc Commentario correxit Lutherus duriores locutiones, in libro de Servo

arbitr.

arbitr. uſurpatas, ceu obſervant *Rintelenſes* in Epiſt. apol. p. 30. Dimidiam huius commentarii partem, notante *Dionyſio* werlenſi in Cathol. Ehrenrett. p. 671. vertit in german. linguam Baſil. *Faber*, & alteram partem Io. *Gudenius* ſenior. Liceat & hoc addere, Philippum Melanchthonem Commentarium hunc in Geneſin abavo meo, Ioanni *Fabricio*, paſtori laurentiano in urbe Noriberg. cum effigie & ſua & Lutheri, Lucæ *Kranachii* manu artificioſiſſime picta dono miſiſſe, atque hæc ſequentia inſcripſiſſe:

De dicto: *Non poteſt ſibi homo ſumere quidquam, niſi datum ſit ei a Deo.*

Nullius eſt fœlix conatus & utilis unquam,
Conſilium ſi non detque iuvetque Deus.
Tunc iuvat ille autem, cum mens ſibi conſcia recti,
Mandati officii munera iuſta facit,
Et ſimul auxilium præſenti a Numine Chriſti
Poſcit, & expectat non dubitante fide.
Sic procedet opus fauſtum populisque tibique,
Diriget & curſus aura ſecunda tuos,
Invictamque Dei dextram vis nulla repellet,
Omnia cogentur cedere prona Deo.
Ipſa etiam, quamvis adamanti inciſa feruntur,
Cum petimus, cedunt fata ſevera Deo.
Nec Deus eſt numen Parcarum carcere clauſum,
Quale putabatur ſtoicus eſſe deus:
Ipſe poteſt ſolis currus inhibere volantes,
Ipſe velut ſcopulos flumina ſtare iubet.

1554. *ſcript. manu Philippi.*

Tomo VII. (præfatio eſt iterum Phil. *Melanchthonis*, in qua imaginem duarum gentium in genere humano, credentis videl. & incredulæ ac perverſæ, in latronibus, inter quos pependit Chriſtus, agnoſcit, & de vera ſcripturæ S. interpretatione agit, atque dictum *Epiphanii* hoc: *Speculatione & ſenſu opus eſt, ut intelligatur cuiusque argumenti propoſitum*, explicat, per *ſenſum* intelligens ſpeculationem vocabulorum, quam Grammatica præſtat, per *ſpeculationem* autem inveſtigationem rerum, earumque connexionis, & argumentorum ſeu rationum, quibus aliquid probatur vel reiicitur

rur, ſuadetur aut diſſuadetur: quod officium eſt Dialecticæ) enarrationes in capita quædam *Matthæi*, in *Orationem dominicam*, *Decalogum*, *Symbolum*, videlicet 1) Enarratio 5. 6. & 7mi capitis Matthæi, pro concionibus pronunciata & excepta, cum præfatione Lutheri, in qua teſtatur, Conciones iſtas ſe non invito in lucem prodiiſſe, & porro contra Pontificios, XII. conſiliorum euangelicorum figulos, nec non Anabaptiſtas diſputat. 2) Explanatio dominicæ orationis, a Luthero pro ſimplicioribus in vernacula compoſita, & edita A. 1520. 3) Enchiridion piarum precationum, in quo Decalogus, Symbolum apoſtolicum & Oratio dominica (in quibus tribus, ut *Lutherus* in præfatione loquitur, omnium, quæ tradunt SS. litteræ, quæque doceri poſſunt, & quorum cognitio chriſtiano neceſſaria eſt, certa ac plena ratio continetur, & horum trium cognitio ad æternam vitam eſt neceſſaria) explicatur. Sequuntur tria Symbola, videl. *Apoſtolicum*, (quod, ut Lutherus ait p. 138, breviſſime, & quodam quaſi compendio, omnes chriſtianæ fidei articulos complectitur, & talis eſt confeſſio, in qua iactum fundamentum chriſtianæ fidei) *Athanaſii*, & S. *Ambroſii*, ac *Auguſtini*, ſive quisquis eius eſt auctor, quod incipit: *Te Deum laudamus*: & porro tractatulus de Notis veræ eccleſiæ, ac precatio contra Turcam. A. 1523.) 4 Libellus de Ieſu Chriſto, vero iudæo & ſemine Abrahæ, e germanico verſus per Iuſtum *Ionam*. 5) Liber de Iudæis & eorum mendaciis, itidem a I. *Iona* verſus latine, cum eiusdem epiſtola dedicatoria, in qua de Luthero ait, eum tanta dexteritate tractare promiſſiones & prophetias de Meſſia, & mittendo Filio Dei in mundum, ut nihil unquam viderit eruditius. 6) Epiſtola ad quendam amicum contra *Sabbatarios* i. e. iudæos, in qua eorum dogmata ex Scriptura refutantur, latine reddita a I. *Iona*, qui & præfationem addidit, ubi oſtendit præſtantiam populi iudaici, eiusque doctorum, quales erant Patriarchæ & Prophetæ, ac librum præſentem ipſi *Georgio*, Duci Saxoniæ, alias minime faventi ſcriptis Lutheri eiusve perſonæ, valde placuiſſe narrat. 7) De miſſa privata & unctione ſacerdotum libellus, a I. *Iona* translatus in latinum: in quo p. 228. recitatur hiſtoria de colloquio Lutheri cum ſatana de Miſſa. Videatur autem Caſp. *Sagittarii* Diſſert. pro doctrina Lutheri de miſſa. 8) Conciunculæ quædam, cum præfatione *Lutheri*, in qua eas ieiuna & egena fragmen-

Digitized by Google

fragmenta vocat, ac effudiſſe ſe amici cuiusdam gratia ſub prandiis & cœnis, non ut in publicum ederentur, ſed ut haberet ille, quo ſe ſe exerceret. Pertinent autem illæ ad primam Adventus, *Eſa.* 9, 6. 7. primam poſt Epiphaniam, Quinquageſimam, Reminiſcere, Oculi, Lætare, diem Annunciationis Mariæ, Paſſionem Chriſti, dominicam Quaſimodogeniti, Miſericordias Domini, Iubilate, Cantate, diem Aſcenſionis Domini, dominicam Trinitatis, nec non dominicam 2dam, 4. 13. 19. 20. & 24tam poſt Trinitatis. 9) Sermones aliquot pii, 1. de epulone & Lazaro, *Luc.* 16. 2. de excidio Hieroſolymæ, *Luc.* 19. 3. quid chriſtiano præſtandum ſit. 4. de tollendis abuſibus eccleſiæ. 5. de rebus mediis & ſimulacris. 6. de ſimulacris & ciborum delectu. 7. de fide. 8. de paſtore bono, *Io.* 10. 9. de VII. panibus, *Mar.* 8. 10. de robore & incremento fidei, *Eph.* 3. 11. de X. leproſis, *Luc.* 17. 12. in *Pſ.* 10. 13. de ſumma chriſtianæ vitæ, 1. *Tim.* 1, 5. 14. de ſignis adventum Chriſti præcedentibus, *Luc.* 21. 15. de ove perdita, *Luc.* 15. 16. de ſacramento euchariſtiæ. 10) Homiliæ de baptiſmo, verſæ in latinam linguam a M. Io. *Fredero.* 11) Defenſio *τȣ ϱητȣ* verborum cœnæ, contra fanaticos Sacramentariorum ſpiritus, latine verſa a Matthæo *Iudice.* 12) De uſuris taxandis Commonefactio ad Paſtores eccleſiarum, latine verſa a I. *Fredero.* 13) De conſtituendis ſcholis, & inſtituendis pueris Commonefactio, cum præfat. *Melanchthonis*, brevi quidem, ſed gravi, in qua litterarum & humanitatis ſtudium commendat: *Eſt vero*, inquiens, *omnino vis maior literarum, quam vulgo exiſtimant: neque enim religionis ornamentum aliud ſplendidius eſt, & civilis rerum ſtatus prorſus e literis pendet.* 14) Adverſus papatum, Romæ a ſatana fundatum. A. 1545. 15) Farrago epiſtolarum. Eas ſparſim collegit, & latinitate donavit Vincentius *Obſopoeus*, excepta illa ad Sabaudiæ Ducem, quam ipſe Lutherus latinam fecit: ſuntque numero XX. in quibus & continetur enarratio pſalmi 129. 10. 126. (cum Phil. *Melanchthonis* paraphraſi metrica) & 36ti. 16) Commentarius in *Pſalmum* 118. cum præfatione & Caſp. *Crucigeri*, in qua de dignitate & doctrina huius pſalmi agit, & *Lutheri*, in qua eum ſuum appellat pſalmum, eo quod eum unice amaret. 17) Supputatio annorum mundi, ſive Chronicon a M. C. uſque ad obitum Lutheri, paratum ad ſuum ipſius uſum, deinde vero rogatu aliorum editum. Vnum auſus eſt in hiſtoria Ioram, regis Iuda, ſub

Elia & Eliſæo, in qua 20. annos plus numeravit, quam habent omnes alii chronologi. Adiectus etiam eſt tractatulus de LXX. hebdomadibus *Danielis*, & ſcheda problematis de Iorami chronologia. Denique de ſcriptis Lutheri vid. *Forſteri* Conſilium, quod exſtat in Hülſemanni Meth. concion. p. 424. *Hutter.* ib. 412. *Gerhard.* Meth. ſtud. theol. ſect. V. cap. 2. p. 237. & El. *Frick* in Append. Lutheran. Seckendorf. 2713. Neque vero aliter illa a nobis recipiuntur, quam in quantum concordant cum S. litteris. Io. *Gerhard* Diſp. academ. T. II. 1049. & Mart. *Beerius* in Fortpflanz. euang. wahrh. p. 107.

T. II. in *Aſſert.* articulor. per Bullam LEONIS X. damnat. p. 18. Nam & mala opera in impiis Deus *regit*.	Al. *Operatur*. Herm. *Hugo* de Vera fide capeſſ. 340.
T. VI. ad cap. Gen. III, 1. p. 37. Fuit ſerpens, qui Evam ſeduxit, *beſtiola pulcherrima*; alioqui non ſic ſecure cum eo eſſet collocuta Heva. Poſt peccatum autem illa ſerpentis pulchritudo immutata eſt: minatur enim Deus, futurum, ut repat humi, qui *ante erectus inceſſit, ſicut gallus*.	Hæc a vero aliena videntur Rich. *Simonio* Hiſt. crit. V. T. l. 3. c. 14. p. 432.
Ad cap. IX, 13. p. 118. *Iris ante diluvium non fuit*. Sentio, *iridem fuiſſe novam creaturam*, hactenus mundo non viſam.	Etiam haſce aſſertiones probatione deſtitui, autumat prædictus auctor l. c.
Ad cap. XXIV, 18. p. 340. Itali dicunt, *miſer ſi*. Mein Herr, ja.	Potius, *Meſſer sì*. Meſſere, quaſi Mio Sire. *Il Vocabolar. della Cruſca* 514.
Ad cap. XXIV, 36. p. 344. Sed & Sara uxor domini mei, peperit filium domino meo, poſtquam *ipſa* conſenuit.	Non diſſimulavit B. Lutherus, verſionem ſuam germanicam, in *ſeinem* Alter, cum fonte non convenire: nam in Comment. ſuo in Gen. hanc affert: poſtquam *ipſa* conſenuit. I. *Sanbert*. Opp. poſthum. p. 117.

Ad cap.

Ad cap. XLII, 33. p. 628. Sciamus, hebræam linguam plurale nomen (ut ארנים אלהים) iungere ſolere verbo ſingulari. Cum de uno Potiphare domino Ioſephi loquatur Moſes, tamen ſingulare pronomen iungitur cum nomine plurali. Non eſt ſatis concinna locutio, ſed habet ſuum modum hebræa lingua, *cuius non poteſt reddi ratio.*

Ad eiusd. cap. ℣. 38. p. 630. 631. De voce *Scheolah* — Aliud eſſe kever, aliud *Scheolah.*

Fit ex linguæ uſu & proprietate, ut nomina domini בעל אלהים ארן efferantur numero plurali cum antecedente ſingulari, *ad ſummam dignitatem & honorem excellentiſſimum perſonæ indicandum*, ut Hebræorum interpretes tradunt. Eſt ergo *enallage pluralis* pro ſingulari. Io. *Buxtorf.* in Synt. Theſauri grammat. c. 2. p. 341. & c. 9. p. 421.

Scheol, ſeu mavis, *Schol* intelligit, h. e. locum ſeu ſtatum, quem Latini infernum vel inferos vocant, quo animas hominum a corporibus ſeparatas deſcendere docet. *Grabe* Annot. ad Vrb. Regii Form. caute loq. 189. 202. 206. *Buſmann* diſp. de vocabulo Scheol. *Pearſon* Expoſit. Symb. apoſtol. 414.

LXXXII.

D. Martini LVTHERI Operum ienenſium latinorum Tomi IV. A. 1579 - 1583. His tomis comprehenduntur ea, quæ Lutherus latine ſcripſit. Primo in Tomo præter Nicol. *Amsdorfii* præfationem (in qua narrat, vivo Luthero duos Operum ipſius latinorum tomos Wittebergæ impreſſos, & deinde quidem reliquos etiam ſubſecutos eſſe; ſed tamen Electorem Saxoniæ graves habuiſſe cauſas, ut de nova hac editione Operum Lutheri cogitaret, videl. in wittebergenſi illa multa eſſe mutata, quædam omiſſa aut deleta, aliorum doctorum ſcripta admixta, verſiones non ſatis commodas intertextas, & ſcripta Lutheri absque ſingulari cura ordinis collecta ac diſpoſita: eumque in finem, ut videl. meliorem editionem curaret. e Dania ab Electore evocatum G. *Rorarium*, cui Lutherus

 ipſe

Digitized by Google

ipſe hoc negocii dederat, & inſtitutam Ienæ typographiam; unde & *Franzius* de Interpr. ſcripturæ S. p. 693. editionem iſtam ienenſem pro meliori agnoſcit: præterea etiam diſſerit de diſcrimine librorum Lutheri, & utilitate lectionis illorum) continentur ea ſcripta, quæ concinnata ſunt ab anno 1516. uſque ad viceſimi partem aliquam, nimirum A. 1516. Quæſtio de viribus & voluntate hominis ſine gratia, contra doctrinam Papæ & Sophiſtarum. A. 1517. Epiſtola ad Albertum, magdeburg. & mogunt. Archiepiſcopum. Diſputatio de Pœnitentia & Indulgentiis. Proteſtatio de libertate ſentiendi. Et nota, Proteſtationem huc pertinentem extare p. 76. adeoque inde huc eſſe referendam. Duæ *Tezelii* Diſputationes, oppoſitæ Lutheri ſententiæ de Indulgentiis. Diſputatio Lutheri contra ſcholaſticam theologiam. A. 1518. Conciones II. una quidem de Indulgentiis, altera de Pœnitentia. Dialogus Sylveſtri *Prieriatis* de Poteſtate Papæ &c. contra Lutheri concluſiones cum epiſtola ad Leonem X. & alia ad Lutherum. Diſputatio *Lutheri* de Remiſſione pœnæ & culpæ. Alia de Circumciſione. Alia de Lege, Operibus, Libero arbitrio, Heidelbergæ diſputata. *Aſteriſci* adverſus obeliſcos Eccii. Reſponſio ad Dialogum Sylveſtri Prieriatis, cum epiſtola ad eundem. Replica Sylv. *Prieriatis.* Epitome Reſponſionis Sylv. *Prieriatis* cum *Lutheri* annotationibus, & epiſtola ad Lectorem, in qua pronunciat, Curiam romanam eſſe ſynagogam ſatanæ. Io. *Nannii* viterb. Diſputatio, ſcripta A. 1481. de Monarchia Papæ, cum poſtfatione Lutheri, contra primatum Pontificis. Epiſtola Lutheri ad Hieronymum, brandenburgenſis eccleſiæ epiſcopum. Alia ad Ioh. Staupitium. Alia ad Leonem X. Rom. Pont. Reſolutiones diſputationum de Indulgentiarum virtute, ad Leonem X. Epiſtola ad pium lectorem contra Iac. *Hochſtraten*, qui Pontificem excitaverat ad perimendum Lutherum, eo quod ex ipſius poſitione 13. ſequatur, Pontifices eſſe hæreticos. X. Præcepta wittebergenſi populo prædicata. Iudicium de aſtrologia. IV. Conciones, videl. 1. de virtute excommunicationis, cum epiſtola. 2. de digna præparatione cordis pro ſuſcipiendo ſacramento, cum Appendice, quomodo Chriſti paſſio ſit meditanda. 3. de triplici iuſtitia, & 4. de duplici iuſtitia. Explicatio loci *Eccleſiaſtæ* 7, 20. *Non eſt iuſtus in terra, qui non peccet*, contra Scholaſticos. Inſtructio pro confeſſione peccatorum abbre-

abbrevianda ſecundum Decalogum. Caſp. *Crucigeri* & G. *Rorarii* Adhortatio ad pium lectorem, ut eccleſiæ hiſtoriam & doctrinam diligenter cognoſcat. Epiſtola MAXIMILIANI Imp. e conventu auguſtano miſſa ad Leonem X. Reſponſio FRIDERICI El. Sax. ad epiſtolam Card. Raphäelis. Breve LEONIS X. ad Fridericum. Aliud ad Thomam Caietanum Cardinalem. Poſtilla ſeu Annotationes ſuper Breve præcedens. *Academia vvitteb.* duæ epiſtolæ, altera ad Carolum *Miltiz*, altera ad Leonem X. *Lutheri* epiſtola ad Phil. Melanchthonem. Brevis commemoratio rerum, quæ Auguſtæ A. 1518. peractis comitiis cum Luthero de Indulgentiis geſtæ. Acta *Lutheri* ap. Legatum apoſtolicum, Thomam (*de Vio*) *Caietanum*, Auguſtæ, menſe Octobri. IV. epiſtolæ, videl. 3. ad Caietanum, & una ad pium lectorem. Appellatio prima, a Caietano ad Papam. Epiſtola *Caietani* ad Fridericum de Lutheri cauſſa. FRIDERICI Reſponſio ad præcedentem epiſtolam. *Lutheri* epiſtola ad Fridericum, qua *Caietani* criminationes adverſus ſe refutat. *Academia vvitteb ergenſis* epiſtola ad Electorem Fridericum. Nova decretalis LEONIS X. de Indulgentiis. Appellatio *Lutheri* ſecunda, a Papa ad Concilium. Brevis enarratio dicti ex *Ioh.* 6, 37. *Omne, quod dat mihi Pater* &c. primum iam edita. A. 1519. Vnum & idem Breve LEONIS X. ad Deginhardum Pfeffingerum & Caſp. Spalatinum, mutatis tantum titulis. Epiſtola *Vicecancellarii* rom. Pontificis ad eundem Pfeffingerum. Epiſtola Cardin. Laurentii *de Medicis* ad G. Spalatinum. Brevis hiſtoria de Legato Carolo *de Miltiz*, a Leone X. ad Fridericum miſſo cum aurea roſa, eum in finem, ut *Luthero* reſiſteret. *Lutheri* epiſtola ad Leonem X. Epiſtola *Eraſmi* Roter. ad Fridericum. FRIDERICI reſponſio. *Lutheri* epiſtola ad Monachorum iutterboccenſium conventum. Articuli XV. a Fratribus minorit. iutterboc. Luthero adſcripti. Proteſtatio *Lutheri* brevis. Defenſio contra malignum Eccii iudicium. Articuli hæretici Ioh. *Eccii* & quorundam fratrum, ex illorum aſſertis & negatis deducti. Diſputatio & Excuſatio adverſus criminationes Io. Eccii. Contrariæ poſitiones M. *Lutheri* & Io. *Eccii* Lipſiæ diſputatæ. *Diſputatio Lipſiæ habita* d. 4. Iulii inter Lutherum & Eccium, cum epiſtola ad lectorem de editione huius diſputationis. Sermo *Lutheri* Lipſiæ in arce prædicatus in feriis Petri & Pauli A. 1519. Reſolutiones ſuper pro-

Digitized by Google

propoſitionibus ſuis, Lipſiæ diſputatis, emendatæ. Reſolutio ſuper propoſitione XIII. de Poteſtate Papæ, per autorem locupletata, cum epiſtola ad pium lectorem. VI. Conciones, 1. de ſacramento baptiſmi. 2. quomodo Chriſti paſſio ſit meditanda. 3. de confeſſione & ſacramento euchariſtiæ. 4. quomodo ſit orandum. 5. de matrimonio. 6. quomodo ſit parandus animus ad mortem. Epiſtola Ioh. *Eccii* ad Iac. Hochſtraten de lipſienſi diſputatione. Phil. *Melanchthonis* epiſtola de lipſica diſputatione ad amicum quendam. Excuſatio Io. *Eccii* ad ea, quæ falſe ſibi Phil. Melanchthon ſuper theologica diſputatione lipſica adſcripſit. Defenſio Phil. *Melanchthonis* contra Io. Eccium. *Emſeri* epiſtola de lipſica diſputatione. Ad Ægocerotem emſeranum Lutheri Additio. Ad Ioh. Eccium epiſtola ſuper expurgatione ecciana. *Canonicorum indoctorum lutheranorum* ad Io. Eccium reſponſio. VII. epiſtolæ præſtantium & magni nominis virorum, iam primum impreſſæ, in quibus mentio fit negotii Lutheri & diſputationis lipſicæ, videl. 1. *Staupitii* ad G. Spalatinum, 2. *Rectoris academiæ lipſienſis* ad Lutherum. 3. *Lutheri* ad Carolſtadium. 4. *Eccii* ad Lutherum. 5. Wenceslai *Rosdialovini*, præpoſiti pragenſis, ad Lutherum, 6. Io. *Poduſka*, presbyteri curati pragenſis eccleſiæ, ad Lutherum. 7. Io. *Frobenii* ad eundem. Lutheri in epiſtolam ad *Galatas* Commentarius, illo, qui in V. Tomo Operum lat. witteb. exſtat, & primus dicitur, auctior, cum præfatione, in qua Eraſmum appellat virum in theologia ſummum, & invidiæ quoque victorem. A. 1520. Libellus de libertate chriſtiana, cum epiſtola ad Leonem X. Teſſeradecas conſolatoria pro laborantibus & oneratis, cum epiſtola ad Fridericum Electorem, quippe in cuius ægrotantis gratiam, ſuadente G. Spalatino, liber ille fuit conſcriptus. Confitendi ratio. Ad ſchedulam inhibitionis ſub nomine Epiſcopi miſnenſis editam, ſuper ſermone de ſacramento euchariſtiæ, Reſponſio. Acta *Academiæ lovanienſis* contra Lutherum. Condemnatio doctrinalis librorum Mart. Lutheri per quosdam *Magiſtros noſtros lovanienſes* & *colonienſes* facta. Reſponſio ad illos articulos. Epiſtola Io. *Eccii*, Sedis papiſticæ nuncii. Bulla LEONIS X. contra errores Lutheri & ſequacium. Lutheri Diſp. de præcipuis chriſtianæ doctrinæ articulis ab initio cauſæ ſuæ uſque ad A. 1545. in ſchola propoſitæ, cum duabus epiſtolis, altera Phil. *Melanchthonis*, altera *Lutheri*.

Vati-

Vaticinium Lutheri, quod poſt obitum ipſius in bibliotheca eius repertum eſt.

Tomo II. Scripta ab anni viceſimi parte aliqua uſque ad annum 24. videlicet, Operationes in pſalmos XXII. priores, cum digreſſionibus de Spe & deſperatione, nomine tetragrammato, expoſitione duorum verſuum: *Gloria Patri & Filio* &c. ſuperſtitione & libertate chriſtiana, fide & bonis operibus, confeſſione Lutheri, ſummis deſperationum gradibus, & 4. modis bene & male utentium paſſione Chriſti. Cœpit autem eos enarrare A. 1519. deſiit A. 21. Wormatiam profectus, & complevit eodem anno in pathmo. Ad A. 1520. pertinent etiam ſeqq. ſcripta: Oblatio ſiue Proteſtatio Lutheri, qua teſtatur, ſe nihil aliud adhuc ſcripſiſſe & docuiſſe, quam quod chriſtianæ doctrinæ conſentaneum eſſe viſum ſit, ac paratum eſſe ad meliorem informationem, ſi qua ipſi e verbo Dei afferri poſſit. Reſponſio FRIDERICI El. ad Valentinum a Deutleben, Romæ tunc agentem. Breve LEONIS X. ad Fridericum. Appellatio Lutheri a Papa ad Concilium, ex Tomo I. repetita, & h. l. appendice aucta. Præludium de Captivitate babylonica, in qua præcipue de numero ſacramentorum agitur, & oſtenditur, caput VI. Ioh. loqui de ſpirituali, non ſacramentali manducatione. Adverſus execrabilem antichriſti Bullam. Aſſertio omnium articulorum, per Bullam Leonis damnatorum, cum epiſtola ad Fabianum Felicem (von Feilitz. Vide Tom. V. opp. ien. germ. p. 180. & T. III. p. 517.) Axiomata *Eraſmi* pro cauſa Mart. Lutheri, Coloniæ ex tempore ſcripta. Brevis commemoratio rerum, Coloniæ Agrippinæ in Vbiis geſtarum, in cauſa Lutheri. Reſponſum FRIDERICI El. datum Marino Caracciolo & Hieronymo Aleandro, Legatis rom. Pontificis. Quare Pontificis rom. & diſcipulorum eius libri a Luthero combuſti ſint. Exuſtionis antichriſtian. Decretalium acta. A. 1521. Enarrationes Epiſtolar. & Euangelior. (quas *Poſtillas* vocant) cum epiſtola ad Fridericum Elect. In quibus etiam agitur de myſteriis baptiſtæ & Chriſti. Reſponſio ad librum Ambroſii *Catharini*, cum expoſita viſione *Dan.* 8. de antichriſto, iuxta primam editionem. Confutatio Rationis latomianæ pro incendiariis, lovanienſis ſcholæ Sophiſtis redditæ. CAROLI V. epiſtola ad Lutherum, qua ad Comitia wormatienſia vocatus eſt. Acta Lutheri coram S. Cæſ.

Mai. & Imperii Ordinibus in Comitiis wormatienſibus. Lutheri Reſponſio extemporaria ad articulos, ex Captivitate babylonica a Sophiſtis excerptos & damnatos. Determinatio *theologicæ Facultatis pariſienſis* ſuper doctrina lutherana. Phil. *Melanchthonis Apologia* pro Luthero adverſus furioſum Decretum pariſienſium theologaſtrorum. Ludus Lutheri, a ſtolida & ſacrilega *Sorbona* damnati. Apologia Barthol. *Bernardi*, paſtoris kembergenſis, contra papiſticas leges, ſacerdotibus prohibentes matrimonium. Eiusdem Defenſio ad Fridericum, El. Saxoniæ. Lutheri Sententia de abroganda miſſa priuata. Epiſtola Io. *Eccii* ad Iac. Hochſtraten. Inſinuatio Bullæ pontificiæ per *Eccium* ad Scholam wittebergenſem. Eiusdem Bullæ publicatio per epiſcopum friſingenſem. A. 1522. Synodi Auguſtinianorum de libertate monachorum Sententia. Deliberatio habita de abrogatione miſſarum inter Fridericum & Academiam wittebergenſem. Inſtructio, quid Chriſtianus Beier ad Theologos witteb. deferre ac commemorare debeat. Informatio & Deliberatio delectorum ab Vniuerſitate wittebergenſi. Iudicium Lutheri de Votis monaſticis. Epiſtola ad Fridericum El. in qua reditum ſuum ex pathmo excuſat. Contra Henricum, Regem Angliæ. Sermo de S. *Antonio* eremita. Ad pium lectorem de ſelectu & ordine Scriptorum Lutheri. ADRIANI VI. P. R. Brevia IV. videl. ad Fridericum El. (quod quidem in tabulario vinarienſi non reperitur, putatque *Pallavicinius*, eſſe idem cum Brevi Clementis VII. quod in ultimo huius Tomi fol. legitur. Vide *Seckendorf.* Hiſt. lutheran. 551.) ad Ordines Imperii, ad Senatum bambergenſem, cum annotationibus Lutheri, & rurſus ad Fridericum Electorem. A. 1523. Ad omnes chriſtianos lectores. In quo ſcripto Lutherus iis permittit iudicium, an ipſe, vel Papa contra verbum Dei aliquid doceat. Liber de ratione vocandi & inſtituendi miniſtri Eccleſiæ, cum epiſtola ad Senatum pragenſem. Formula miſſæ & communionis pro Eccleſia wittembergenſi. Exemplum theologiæ & doctrinæ papiſticæ. Adverſus armatum virum *Cochlaeum*. Breve CLEMENTIS VII. ad Fridericum Electorem.

Tomo III. Scripta ab A. 1524. uſque ad annum 38. videlicet Commentarius in epiſtolam ad *Galatas*, ab auctore recognitus. Car. *Arnd* Contin. Biblioth. bibl. Mayer. 134. II. epiſcopales Bullæ, prior pii, poſterior papiſtici Pontificis, ſuper doctrina lutherana &

romana

romana, cum epiſtola Lutheri ad lectorem. Præfatio in V. Ttum, quomodo & quo fructu libri Moſis chriſtianis ſint legendi. *Deuteronomium Moſis* ex ebræo caſtigatum, cum annotationibus Lutheri, eiusque epiſtola ad epiſcopum ſambienſis eccleſiæ. A. 1525. De ſervo arbitrio. A. 1532. Annotationes *in Eccleſiaſten*, cum præfatione. A. 1534. Breves enarrationes *Eſaiæ*, cum 2. præfationibus. Enarratio *Pſalmi* 45. ubi p. 444. elegans eſt adhortatio ad ſtudioſos theologiæ pro addiſcenda ebræa lingua. Convocatio concilii liberi chriſtiani, continens graviſſimam Pontificum accuſationem cum de doctrina, moribus & dominatu in eccleſia ſceleratiſſimis, tum de publica veritatis cognitione denegata, & immani piorum perſecutione. Hic iam poni deberet ſecundus Commentarius in epiſtolam *ad Galatas*; quippe editus A. 1535. ſed relatus eſt certa de cauſa in Tomum IV. A. 1536. Enarratio in prophetam *Ioëlem*, ex prælectionibus eius collecta, cum præfatione. In *Amos*. In *Abdiam*, iterum ex prælectionibus eius collecta. A. 1537. Conciunculæ quædam amico cuidam præſcriptæ, cum præfatione ad lectorem.

Tomo IV. eoque ultimo Scripta ab anno 1538. uſque ad 48. edita, & quidem A. 1538. Commentarius in epiſtolam *ad Galatas*, ex eius prælectionibus collectus, ac denuo recognitus & caſtigatus, cum duabus præfationibus, altera longa, altera brevi, & argumento: isque ad annum 35. referendus erat; ſed ne illius Tomi menſura nimis excreſceret, huc reſervatus eſt. Confeſſio fidei, exhibita Imperatori in Comitiis auguſtanis. Apologia confeſſionis cum præfatione Phil. *Melanchthonis*. Enaratio Lutheri in *Canticum canticorum*, cum præfatione. Annotationes in aliquot capita *Matthæi*, cum præfatione. Enarratio in *Pſalmum* 51. cum præfatione. Præfatio in epiſtolam S. *Hieronymi* ad Euagrium de poteſtate Papæ. A. 1540. Enarratio in pſalmos graduum, h. e. in 120um uſque ad 134tum incluſive. A. 1541. Enarratio *pſalmi* 90. cum præfatiuncula. A. 1542. Commentarius in *Micham*, cum præfatione. Principales loci & ſententiæ concionum prophetæ *Michæ*. Cur & quomodo chriſtianum Concilium debeat eſſe liberum. De coniuratione Papiſtarum. A. 1543. Duæ epiſtolæ de controuerſia ſuper reliquiis Sacramenti altaris. A. 1545. Enarratio in *Hoſeam* prophetam, cum præfatione. Principales loci & præcipuæ ſententiæ concionum *Hoſeæ*. Additio in *Hoſ*. 13, 14. *Ero mors tua, o mors*. Sup-

 puta-

Digitized by Google

putatio annorum mundi, cum præfatione. A. 1546. Enarratio in *Pſalmum* II. cum præfatione. Præfatio in Declamationes iuniorum Principum Saxoniæ. A. 1547. Commentarius in *Ioëlem*. Inſigniores ſententiæ ex concionibus *Ioëlis*.

LXXXIII.

Operum LVTHERI germanicorum Tomi IIX. Ienæ 1575. 1580. Quarta hæc eſt editio, laudata a *Franzio* de Interpretat. Scr. S. 693. eaque iuxta primam & ſecundam facta, pura & incorrupta, ita ut nihil ei additum ſit, nihil detractum; ſed omnia integra relicta, prout ipſe ea germanice ſcripſit Lutherus. Cuius ſtilum germanicum pro heroico agnoſcit laudatque *Praſchius* in Præcept. ſtili lat. 101. Et quidem T. I. continentur ſcripta ab A. 1517. usque ad annum 1522. II. ab A. 1522. ad 1525. III. ab A. 1525. ad 1528. IV. ab A. 1528. ad 1530. V. ab A. 1530. ad 1533. VI. ab A. 1533. ad 1538. VII. ab A. 1538. ad 1542. IIX. ab A. 1542. ad 1546. Iam vero ſinguli nobis inſpiciendi ac perluſtrandi ſunt tomi. Enim vero

Tomo I.

Præmittitur 1. Nic. *Amsdorfii* præfatio de defectibus & erroribus editionis wittebergenſis, de diverſitate ſcriptorum Lutheri priorum & poſteriorum, de illorum præſtantia: (quamuis ipſe illa interire optauerit) nam in iis extare egregias refutationes, & ſolidas explicationes. Vide etiam *Kortholtum* prodr. ingen. theol. cultor. 86. 2. *Lutheri* Præfatio de virtute & contemtu ſuorum ſcriptorum, de libris multorum Patrum & Conciliorum, non eſſe peccatum, quod perierint & euanuerint, deque modo diſcendi theologiam, videlicet per orationem, meditationem & tentationem. 3. IV. Præfationes & Inſtructiones de ſcriptis Lutheri, quid de illis, maxime prioribus, ſit iudicandum, eæque ſunt α Caſp. *Crucigeri* & Georg. *Roravii*, β Excerptum e *Lutheri* præfatione in I. Tomum ſcriptorum latinorum, γ Excerptum ex *eiusdem* præfatione in Catalogum omnium Lutheri librorum & ſcriptorum, δ *eiusdem* in diſputationes contra indulgentias, papatum &c. Sequuntur iam ipſa ſcripta.

A. C. 1517. 1) Epiſtola *Lutheri* ad Card. & Archiegiſcopum mogunt. de diſputatione ſua de Indulgentiis. p. 6. 2) Sententiæ de Indulgentiis. 7. 3) Proteſtatio. 12. 4) Io. *Tezelii* Refutationes ſeu

ſeu contradictiones, pro indulgentiis. 12. 5) Aliæ *eiusdem*. 16. 6) Explicatio VII. *pſalmorum pœnitentialium*. 19. 7) Sermo de Indulgentiis & gratia. 46. 8) Apologia ſermonis præcedentis. 47.

A. 1518. 1) Ad *Hieronymum*, epiſcopum brandenburg. de eius diſputatione de indulgentiis. 52. 2) Ad *Staupitium* de vocabulo *Pœnitentia*. 54. 3) Ad Leonem X. quid ipſum ad diſputationem de Indulgentiis impulerit. 56. 4) Duo acerba & ſeuera ſcripta contra Sylv. *Prieriatem*. 58. 5) Contra Iac. *Hochſtraten*. 61. 6) Explicatio orationis dominicæ. 67. 7) Explicatio *pſalmi* CX. de regno & ſacerdotio Chriſti. 89. 9) Epiſtola Imp. MAXIMILIANI ad papam Leonem X. de cauſſa Lutheri. 99. 9) FRIDERICI Electoris Saxon. Reſponſio ad epiſtolam Raphaëlis Card. S. Georgii. 100. 10) Breve LEONIS X. ad Electorem Fridericum, ut Lutherum iubeat ſe ſiſtere inquiſitioni Card. Caietani. 11) Breve *eiusdem* ad Thomam Caietanum, quomodo cum Luthero agere debeat. 102. 12) *Lutheri* Gloſſa in Breue Pontificis ad Card. Caietanum. 114. 13) Epiſtola *Vniverſitatis vvittebergenſis* ad Car. de Miltiz, ut examen Lutheri curet fieri in Germania. 105. 14) *Eiusdem* Epiſtola ad LEONEM X. in cauſſa Lutheri. 106. 15) Epiſtola *Lutheri* ad Phil. Melanchthonem, ſcripta Auguſtæ Vindelicorum, malle ſe mori, quam ueram reuocare doctrinam. 107. 16) Deprecatio pro M. Luthero ad Io. Rennerum, ne cogatur excurrere Romam, ſed in Germaniæ quodam loco audiatur. 107. 17) Narratio breuis Actorum cum Luthero Auguſtæ Vindel. coram Card. Caietano. 108. 18) Prolixior narratio eorundem, auctore G. *Spalatino*. 108. 19) Proteſtatio & Reſponſio ad duos articulos a Card. Caietano improbatos. 113. 20) Reſponſio ad I. articulum de Indulgentiis. 114. 21) Reſponſio ad II. articulum de fide. 116. 22) Epiſtola ad G. Spalatinum de ſui examine coram Legato. 118. 23) Alia ad Carolſtadium, eiusdem fere materiæ. 119. 24) II. Epiſtolæ ad Card. Thomam caietanum. 122. Quarum priore promittit ſilentium de indulgentiis, ſi & aduerſariis ſuis ſilentium imponatur; poſteriore declarat, ſe iam abire velle, atque a Cardinali appellaturum ad Papam. 25) Epiſtola Conr. *Adelmanni* ad Spalatinum. 123. In qua mentio fit cauſæ Lutheri. 26) Lutheri Appellatio a Card. Caietano ad Papam. 124. 27) Thomæ Card. *Caietani* Epiſtola ad Fridericum Electorem Saxoniæ de cauſſa Lutheri. 124.

 28)

28) Reſponſio Lutheri ad iſtam Caietani accuſationem. 126. 29) FRIDERICI El. Saxon. epiſtola ad Degenh. Pfeffingerum, ut deprecetur apud Cæſ. Maieſt. in cauſſa Lutheri. 134. 30) *Vniverſitatis vvittebergenſis* epiſtola ad Fridericum Electorem, in cauſſa Lutheri. 135. Qua rogant, efficiat apud Pontificem, ut Luthero, ſi errauerit, lux oſtendatur e Scripturis & SS. Patribus. 31) FRIDERICI Electoris Reſponſoria ad Cardinalis S. Sixti (Caietani) ſcriptum p. 124. extans 136. Qua petit, ut Luthero defenſio permittatur, eique errores ſui in ſcripto monſtrentur e SS. litteris, nec inauditus declaretur hæreticus.

A. 1519. 1) Breue LEONIS X. ad Degenh. Pfeffingerum, ut excitet Electorem Fridericum contra Lutherum. 137. 2) Vicecancellarii pontificii epiſtola ad eundem contra Lutherum. 3) Cardinalis de Medicis ad Spalatinum. 138. Vt Miltizio apud Electorem opem ferat. 4) Deſignatio eorum, quæ ſcribenda ſunt ad Papam de actis cum Luthero. 138. 5) Epiſtolæ III. FRIDERICI Elect. una ad Papam, altera ad Fab. de Feilitzſch, tertia ad Carolum de Miltiz. 139. 6) Acta cum Miltizio Altenburgi. 141. 7) Breuis Relatio M. *Lutheri* ad Electorem, quo modo tranſegerit cum Miltizio. 143. 8) Epiſtola ad Pontificem, ſe non poſſe reuocare. 9) Relatio de diſputatione lipſienſi, (A. 1519. a 27. Iunii usque ad 14. Iulii) inter *Lutherum* & *Eckium*, ad Georg. Spalatinum. 144. 10) *Eckii* epiſtola ad Fridericum Electorem de diſputatione lipſiaca. 147. 11) FRIDERICI Electoris reſponſoria. 148. 12) *Carolſtadii* Apologia contra accuſationem Eckii. 13) Nic. *de Amſdorf* ad Spalatinum de prædicta diſputatione. 149. 14) *Lutheri* & *Carolſtadii* reſponſoriæ ad litteras Eckii ad Fridericum Electorem. 150. 16) Declaratio *Lutheri* ad aliquot articulos ipſi ab aduerſariis ſuis imputatos. 165. 17) Sermo de meditatione paſſionis Chriſti. 167. 18) de ſtatu coniugii, 169. Qui quidem eſt emendatus & correctus. 19) de precibus & proceſſione in ſeptimana ſancta. 172. 20) In feſto Petri & Pauli, dictus in arce lipſienſi. 174. 21) de præparatione ad mortem. 177. 22) de ſacramento baptiſmi. 183. 23) de uſuris, maior & minor. 188. 24) de ſacramento altaris, & fraternitatibus. 201.

A. 1520. 1) *Georgii* Ducis Sax. ad Fridericum Electorem. 209. 2) Reſponſoria FRIDERICI. 3) *Lutheri* Declaratio

tio aliquot articulorum in ſermone ſuo de ſacramento altaris. 210. 4) Epiſtola ad Imperat. Carolum, ne ſe patiatur condemnari inauditum. 212. 5) *Ioannis*, Epiſcopi miſnenſis Edictum contra Lutheri ſermonem de ſacramento altaris. 214. Reiicitur in eo ſententia Lutheri de communione ſub utraque introducenda. 6) *Lutheri* epiſtola ad Electorem moguntinum, Albertum, ne credat calumniatoribus ſuis. 214. 7) Epiſtola ad *Adolfum* epiſcopum merſeburgenſem, eadem fere de materia. 216. 8) Reſponſio ad ſchedam, quæ ſub nomine Officialis ſtolpenſis ſparſa eſt. 218. 9) Electoris moguntini ALBERTI Reſponſio ad epiſtolam Lutheri. 220. 10) Reſponſio epiſcopi merſeb. *Adolphi* ad epiſtolam Lutheri. 221. 11) Apographum epiſtolæ FRIDERICI Electoris ad Valentinum Deitleben. 222. 12) *Eckii* epiſtola ad Vicarium de ablegatione ſua Romam. 223. 13) *Lutheri* Sermo de bonis operibus, cum præfatione ad Ioannem Ducem Saxoniæ. 224. 14) Bulla LEONIS X. contra Lutherum. 256. 15) *Luther* de papatu romano, contra capucinum quendam lipſienſem, negans, hæreticos eſſe, qui paſtores non petunt a Papa romano, etiamſi eum in honore habeant. 262. 16) Breue LEONIS X. ad Fridericum Electorem. 279. In quo laudatur, quod Luthero in nullo nouorum articulorum aſſenſum præbuerit, rogaturque, ut elapſo pœnitentiæ termino eum, tanquam hæreticum, curet in carcerem conijci, Romamque mitti. 17) *Lutheri* Reſponſio ad litteras Cardinalis S. Georgii & Deitlebenii. 280. Vbi rurſus ſe offert ad tacendum, modo & aduerſarii idem faciant, immo & ad deponendum paſtoris & profeſſoris munus, ſi ab eo remoueatur. 18) Sermo de excommunicatione. 282. Vbi docet, excommunicationem non eſſe traditionem alicuius in poteſtatem ſatanæ, eumque priuare deprecatione & omnibus aliis bonis eccleſiæ, ſed priuationem externi ſacramenti & externæ conuerſationis, atque in papatu magnam dari corruptelam excommunicationis. 19) Ad chriſtianam Nobilitatem Nationis germanicæ, de eius ſtatus emendatione. 288. 20) *Eckii* Epiſtola ad Academiam wittebergenſem. 315. Is mittit Bullam papalem contra Lutherum, petitque, ut propoſitiones Lutheri reiiciant atque condemnent, niſi priuilegiis papalibus priuari uelint. 21) *Eiusdem* epiſtola ad Ioannem, Ducem Saxoniæ. 316. Cui & ipſi Bullam mittit condemnatoriam. 22) Gabrielis

 ab Eib,

ab Eib, epiſcopi eiſtettenſis Mandatum ad clericos ſuos, ut Bullæ pontificiæ contra Lutherum obedientiam præſtent. 316. 23) Breuis narratio de actis colonienſibus. 317. E quibus conſtat, Legatos Pontificis, Marinum *Caracciolum* & Hieron. *Aleandrum* petiuiſſe ab Electore Friderico, ut Bullam papalem dignaretur in effectum deducere, ſcripta Lutheri concremare, eumque ſiue punire, ſiue carceri mancipare, ſiue Romam transmittere. Sed Elector reſpondit, Lutherum audiendum eſſe, nec eius ſcripta ante, quam conuictus ſit, igne abſumenda. Prædictis etiam oratoribus, Eraſmo primum uacantem epiſcopatum, ſi Papam defenderet, & Lutherum calamo oppugnaret, promittentibus, Eraſmus reſpondit, Lutherum apud ſe maiorem habere auctoritatem, quam ut arma contra eum ferret, librosque eius munitos eſſe uerbo diuino, & ex uno eorum folio ſe ſe plus diſcere, quam ex toto *Thoma*. 24) Breuis modus conſiderandi Decalogum, & Symbolum apoſtolicum, recitandique Orationem dominicam. 319. Vbi hæc doctrinæ capita breuiter explicantur. 25) Sermo de N. T. ſeu de S. miſſa. 329. In quo corruptiones Miſſæ taxantur. 26) Proteſtatio ſiue Oblatio. 339. Videlicet ad ſui defenſionem. 27) De nouis Bullis & mendaciis eckianis. 340. Quibus *Eckius* Lutherum onerabat. 28) Contra Bullam antichriſti. Qua Lutheri propoſitiones condemnatæ, ab ipſomet uindicantur. 29) Appellatio repetita a Leone P. R. ad liberum & chriſtianum Concilium. 351. 30) FRIDERICI Electoris Saxon. reſponſio ad Vniuerſitatis wittebergenſis Rectorem. 353. De Luthero, cuius damnationem, & librorum deletionem urgebat Pontifex. 31) Breuis narratio de modo & cauſſa incendii Decretalium a Luthero facti. 32) Breuis & bona explicatio Orationis dominicæ, a capite ad calcem, i. e. quo modo intelligenda ſit; & a calce ad caput, i. e. quomodo illa ab impiis uel negligitur, uel praue inuertitur. 358.

A. 1521. 1) *Philippi*, Com. palat. ad Rhenum, epiſcopi friſingenſis, Mandatum contra Lutherum. 359. De obedientia Bullæ papali præſtanda, & cauendis Lutheri erroneis dogmatibus. 2) Epiſtola ad hircum lipſienſem, 360. i. e. Hieron. *Emſerum*. Quem tertia, ut ait, contra ſe uice ſcribentem exagitat. Vide tamen, quæ infra notamus in erratis. 3) Replica ad Emſeri Reſponſionem, qua eius mendacia diſcutiuntur. 4) Reſponſio ad Emſeri librum. 361.

In

In qua diſſerit de ſacerdotio omnium chriſtianorum, auctoritate Patrum eccleſiæ, at multo maiore S. Scripturæ, littera & ſpiritu, papatu, apoſtolo Petro, quod Romæ non ſederit epiſcopus annos 25. coniugio clericorum, & contra Thom. *Murnarum*, 5) Refutatio Emſeri. 366. In qua Lutherus uindicat explicationem ſuam dicti *petrini* 1. ep. 2, 5. *Vos eſtis ſacerdotium ſanctum*; videlicet ita omnes chriſtianos eſſe ſacerdotes, ut tamen ſinguli ab epiſcopis non ſint inaugurati, nec teneantur concionari, miſſam celebrare, aliaque munera peragere eccleſiaſtica, niſi ad ea uocati & ordinati ſint. 6) Epiſtola ad Fridericum, Electorem Saxon. 396. Qua promittit, ſe compariturum in Comitiis wormatienſibus, ac lubentem quidem. 7) Informatio confitentium ſuper prohibitis Lutheri libris. Vbi docet, non competere ſacerdoti, confeſſionem alterius audienti, perſcrutari, ſed abſolutionem debere impertire petenti; quodſi autem ille abſolutionem denegauerit, humiliter eam iterum petendam, &, ſi contumax ſit, nec a duritie ſua recedat, uſum S. cœnæ intermittendum eſſe. 8) Fundamentum & rationes omnium Lutheri articulorum, per romanam Bullam iniuſte condemnatorum. 400. Scripſit ille hunc librum latine, cum dedicatione ad *Felicem*, id eſt, Fabianum de Feiliſch, quæ hic omiſſa eſt, deinde autem in germanicam, & quidem ſatis libere, traduxit linguam. *Seckendorf* Lutheran. 285. ipſeque fatetur *Maimbourgius* l. 1. ſ. 31. Lutherum in eo elegantem oſtendiſſe eruditionem. 9) Pontificiorum Conſilium, quomodo cum Luthero in Comitiis wormatienſibus ſit procedendum. 432. Videlicet, audiendum eum, ſi reuocauerit; ſin, omnes Imperii Status cum ſacratiſſimo Imperatore in auita permanſuros fide, Cæſaremque neceſſario Edicta & mandata ad uiuerſum Imperium promulgaturum. 10) Reſponſio ad Friderici Electoris Mandatum. 432. Quod quidem interiit. Eo autem ille ex mandato Imperatoris Luthero iniungit reuocationem aliquot articulorum. Vbi hic ita ſe explicat, ſe ſe pariturum & reuocaturum, ubicunque ſibi error monſtratus fuerit. 11) CAROLI V. Imp. Citatio & litteræ ſalvi conductus ad Lutherum. 433. 12) *Georgii* Ducis Saxon. litteræ ſalui conductus. 434. 13) FRIDERICI Electoris, & IOANNIS Ducis Saxoniæ, fratrum, litteræ ſalui conductus, pro eodem. 14) Epiſtola ad G. *Spalatinum*. 435. In qua ait,

ſe reſcripturum ad Cæſarem, ſtare ſibi ſententiam ueniendi Wormatiam, ſi debeat occidi, tanquam hoſtis Imperii; non autem ueniendi, ſi uelint, ut doctrinam recantet ſuam. 15) Sermo de ſalutari acceptione corporis & ſanguinis Chriſti. Vbi docet, homines notoriis in peccatis uiuentes non eſſe admittendos ad ſacram cœnam; nefas eſſe, homines ad illius uſum cogere: neminem fiducia propriæ dignitatis illuc ſe conferre debere: eleuationem benedicti panis & vini, cum ſono campanulæ, præſentibus in memoriam reuocare ſanctiſſimam Chriſti inſtitutionem, & quidem verba ſecreto dicta, *Accipite, & edite, Accipite & bibite, Hoc eſt corpus meum, quod pro vobis traditur, Hic eſt ſanguis meus, qui pro vobis effunditur:* atque ita credentibus, deuotis & humilibus dandum eſſe cibum & potum hunc tremendum ac venerabilem. 16) Catalogus Electorum, Principum, Epiſcoporum, Comitum, aliarumque perſonarum illuſtrium, & Legatorum in Comitiis wormatienſibus. 437. 17) Actus coram S. Cæſ. Maieſt. Electoribus, Principibus & Statibus Imp. in Comitiis wormat. 440. Vbi Lutherus libros a ſe ſcriptos & emiſſos pro ſuis agnouit, ſed reuocationem contentorum, in doctrina de fide & operibus, denegauit, niſi errores ſibi clare oſtendantur, & ipſe conuincatur. 18) PHILIPPI, Landgrauii Haſſiæ, litteræ ſalui conductus pro Luthero. 449. 19) Litteræ ad S. Cæſ. Mai. poſtquam Wormatia abierat. 452. In quibus gratias agit humillimas, ſaluum ſibi datum fuiſſe conductum, iterumque ſe offert ad comparendum, ſi qui forent, qui libros ſuos iuxta normam verbi diuini iudicare velint. 20) Litteræ ad Electores, Principes & Status Imperii, eodem tempore ſcriptæ, eiusdem argumenti. 21) Epiſtola ad L. *Cranachium* 454. de examine ſuo wormatienſi. 22) Relatio de eodem examine, ad *Albertum* Comitem mansfeldicum. 455. 23) S. Cæſ. Maieſt. Edictum contra Lutherum. 456. Quo ob hæreticas, ut credebantur, doctrinas, earumque pertinacem, ut iudicabatur, amplexionem proſcribitur, librorumque eius venditio ac lectio prohibetur. 24) Expoſitio pſalmi 68. de paſchate, aſcenſione Chriſti, & pentecoſte. 463. 25) Cantici Mariæ, quod dicitur *Magnificat.* 476. 26) Orationis regis SALOMONIS 1. *Reg.* 3. p. 500. 27) De confeſſione (peccatorum priuata & anxia.) 501. An Papa poteſtatem habeat eam imponendi. 28) Pſalmus 119. utilis oratu aduerſus Papam

Digitized by Google

& doctrinas hominum. ſ20. Cum gloſſulis breviculis. 29) Expoſitio pſalmi 37. p. ſ27. 30) Iudicium *theologorum Pariſienſium* de Lutheri doctrina. ſ39. 31) Præfatio in Explicationem euangelii de X. leproſis, *Luc.* 17, 12. p. ſ49. Qua ſententiam de confeſſione ſuam iterum proponit, non ipſam damnans confeſſionem, ſed coactionem ad eam faciendam; dicitque, ſi res inuertatur, & ſacerdotes ac clerici a nobis debeant audiri confitentes, tunc vero illos a rigore ſuo de neceſſitate confeſſionis nimium quantum remiſſuros eſſe. 32) Explicatio euangelii Luc. 17, 14. p. ſſ1. Vbi verbis, *Abite & oſtendite vos ſacerdotibus*, negat indicari neceſſitatem confeſſionis. 33) Mandatum S. Cæſ. Maieſt. ad Vniuerſitatem viennennenſem de cremandis Lutheri ſcriptis. ſſſ. 34) Epiſtola ad Albertum, Electorem, Cardinalem & archiepiſcopum magdeburgenſem & moguntinum, de indulgentiis, quas ille poſt Tezelii obitum reduxit Halam Saxoniæ. ſſ6. Rogat igitur eum Lutherus, ut ocyus deſiſtat ab hoc propoſito, nec clericos coniugium ineuntes adfligi permittat, alioqui ſe editurum, quem in parato habeat, libellum contra Idolum halenſe. Eſt hoc ſcriptum paulo durius atque acerbius, at tamen chriſtianum, atque e pio profectum Zelo. 35) Reſponſio illius *Electoris*, ſſ7. Pia, ut videtur, & modeſta, qua non ingratam ſibi fuiſſe admonitionem teſtatur; ſed ſimulata, ſicut ſequente in ſcripto interpretatus eſt Lutherus. 36) Epiſtola ad Wolfg. Fabricium Capitonem. ſſ8. eo tempore Cardinalis & Archiepiſcopi eccleſiaſten & conſiliarium: qua teſtatur, tantum ſibi dolorem attuliſſe eius litteras, quantam lætitiam Reſponſum Electoris, nec licere adulari Magnatibus in rebus fidei & conſcientiæ, peſſimoque exemplo dirumpi coniugium clerici, neutiquam prohibitum in verbo diuino. Hoc ſcriptum pertinet ad annum 1ſ22. ſed huc relatum eſt, quia reſpectum habet ad duo ſcripta proxime præcedentia. Et quæ ſunt Lutheri a numero 24. ea ab ipſo litteris mandata ſunt in pathmo.

Tomo II.

In cuius fronte ponitur præfationis loco Dehortatio a contemtu verbi diuini, cum admonitione ad eius æſtimationem & obſequium, A. 1ſ22. 1) Auguſtinianorum wittebergenſ. Concluſiones, de votis, mendicatione, aliiſque ordinis ſui traditionibus, quas

partim abolitas, partim temperatas volunt. p. 1. 2) Iudicium aliquot Doctorum wittebergenſium de miſſa priuata ad Electorem Fridericum. p. ead. Quem rogant, ut aboleat Miſſæ corruptelas. 3) Inſtructio D. Chriſtiani *Bayeri* ad Iuſtum *Ionam*, Andr. *Carolſtadium*, Phil. *Melanchthonem*, & Io. *Dolſcium* (Dölzk) 3. Qua illi iniungitur perſcrutari, cur Auguſtiniani diebus præteritis miſſas dixerint nullas. Eam ad rem adhibiti ſunt delecti quidam ex ordine Doctorum, qui poſtea litteris humillimis rogarunt Electorem, ut vitia miſſæ tollat atque aboleat. 4) Ipſæ modo dictæ litteræ *Delectorum*. 5. 5) De abuſu miſſarum. 7. 6) Bulla cœnæ Domini, ſub LEONE X. germanice verſa a *Luthero*, cumque eius gloſſis. 44. 7) *Henrici* iunioris, Ducis brunsvic. ac luneb. Mandatum de cauenda Lutheri doctrina, ubicunque illa deroget chriſtianæ fidei & traditionibus. 58. 8) Fidelis admonitio ad omnes chriſtianos, ut ſibi caueant a ſeditione, quam fortaſſe cœcus aduerſus papatum zelus ſuadere poſſet. 58. 9) Chriſtiana admonitio ad IV. Mendicantium ordines, ut agnoſcant euangelii reſtitutionem pro magno Dei beneficio, neque Lutherum vel extollant ſupra modum, vel hæreſeos temere accuſent. 93. 10) *Georgii* Ducis Sax. edictum contra Lutherum. 65. Quo ſubditi eius iubentur capere ſeminatores doctrinæ lutheranæ, & reuocare filios ſuos Witteberga, aliisque locis, ubi illa doctrina traditur. 11) *Philippi*, Epiſcopi freyſingenſis, Adminiſtratoris naumburgenſis, Comitis palat. ad Rhenum & Ducis Bauariæ, Mandatum contra Lutherum, ſeu contra nouitates & abuſus, ut vocant, a quibusdam introductos, dum miſſas recitant in veſtitu civili, lingua germanica, ſine præuia confeſſione, ſine ſatisfactione, vinum benedictum porrigentes alio in vaſculo, quam calice, etiam infantibus ſeu pueris, & clerici coniugium ineunt. 66. 12) Contra nouitates a *Carolſtadio*, abſente Luthero, Wittebergam introductas. 68. Hoc ſcriptum non eſt integrum. 13) Epiſtola ad Fridericum Elect. Saxon. 69. In qua liberrimo utitur ſtilo, aitque, tantum abeſſe, ut Wittebergam veniat tutelæ ab Electore habendæ cauſa, ut potius ipſe eius Electorem (puta, precibus) ſit redditurus participem; cauere illum debere, ne Cæſaris mandato manus ſibimet inferat violentas; debere etiam portas urbis relinquere apertas, uſque dum a Cæſareanis vi abripiatur,

ſed eam ſe ſe non metuere. 14) Epiſtola ad G. Spalatinum. 71. Qua improbat nonnullorum facta, qui, ſe abſente, abuti cœperunt chriſtiana libertate, & res quasdam funditus abolere conati ſunt, cum debuiſſent verbo eas oppugnare diuino; ſe quidem improbare papiſticam miſſam, ut ſacrificium & bonum opus, imagines, quibus cultus defertur, leges de confeſſione priuata ſcrupuloſa, de certis uſus S. cœnæ temporibus, deque inuocatione ſanctorum; ſed ea omnia a ſe non abrogari, verum redargui duntaxat & errorum conuinci ex SS. litteris. 15) FRIDERICI Elect. Sax. Mandatum ad Hier. *Schurffium*, ut Lutherum litteris ad ipſum Electorem ſcriptis cauſſas exponere iubeat, ob quas Wittebergam e pathmo redierit, eumque moneat abſtinere a concionibus in arcis æde ſacra habendis. 72. 16) Epiſtola, qua *Lutherus* cauſſas acceſſus ſui Electori exponit; quarum prima, eſt vocatio Wittebergenſium; ſecunda, abuſus & tumultus ſe abſente facti, quos ſedare non potuerit, niſi ipſe eſſet præſens, aureſque & linguam adhiberet: tertia, metus ſeditionis in Germania. 72. Sed forma huius Epiſtolæ fuit a G. Spalatino paululum immutata ac temperata. 17) Hier. *Schurffii* Reſponſio ad Electorem. 74. Qua dicit, ſe ſe eius mandato paruiſſe, Sereniſſimique mentem Luthero expoſuiſſe. Addit etiam, quosdam in Saxonia ſine vocatione eccleſiaſtarum munus uſurpaſſe, & talia effutiiſe, ut ciues & ſtudioſi credant, eum denique eſſe verum chriſtianum, qui intermittat confeſſionem, ſacerdotes perſequatur, die ieiunii ouis & carne veſcatur, imagines deiiciat &c. 18) FRIDERICI Electoris nouum ad Schurffium mandatum, correctas iam litteras Luthero reddat deſcribendas. 75. 19) Ipſæ hæ Lutheri litteræ correctæ. 76. 20) Hier. *Schurffii* Reſponſio ad alterum Electoris mandatum. 77. In qua teſtatur, magnam Wittebergenſibus, tam eruditis quam rudibus, lætitiam natam eſſe ex Lutheri aduentu & concionibus. 21) Epiſtola ad Hartmutum a Cronberg. 78. Plena ſolatio pro iis, qui Chriſti, eiusque euangelii cauſſa perſecutionem patiuntur, aut cuiuscunque generis tentationibus expoſiti ſunt. 22) De ſacramento altaris. 82. Id eſſe ſub utraque ſumendum ſpecie. 23) *Ioannis*, Epiſcopi miſnenſis, Mandatum ad paſtores & clericos ſuos. 93. Vt caueant ſibi a nouitatibus; ſe enim in eo verſari, ut ſtatuat ordinetque, quidquid ad diſciplinam & concordiam facere queat.

24) FRIDERICI Reſponſoria ad illum epiſcopum. 93. Qua adprobat eius propoſitum, optatque aboleri abuſus contra verbum Dei, blaſphemias,& prohibitionem coniugii clericorum. 25) Ad Fridericum elect. de oratore ſacro (*Gabriele*) Altenburgum mittendo. 94. Cui Lutherus iniunxit, ne quid nouaret, fideliter autem doceret fidem & caritatem. 26) De traditionibus hominum. 95. Eas eſſe vitandas. 27) Epiſtola ſiue Inſtructio ad eccleſiam erfurtenſem de ſanctis. 104. Quæſtiones de ſanctis cœleſtibus & mortuis eſſe omittendas, fiduciam autem ponendam in Chriſto, nihilque occipiendum ſine præuiis humillimis precibus. 28) Contra falſo dictum Statum Pontificis & epiſcoporum ſacrum & clericalem. 106. In quo agit de partibus muneris paſtoralis ſiue epiſcopalis, cum refutatione abuſuum eius & corruptionum. 29) Epiſtola ad Cl. *Stormium*. 127. Qua dictionem ſuam, qua Magnates & Prælatos, ſtultos & aſinos vocauit, defendere nititur. 30) *Caroli* Ducis munſterbergici Epiſtola ad Lutherum. 127. Qua ſcripti de S. cœna ſub utraque ſumenda petit correctionem & emendationem. Reſponſio autem *Lutheri*, quæ in Caſp. Guttelii bibliotheca extabat, euanuit. 31) Epiſtola ad Bohemos calixtinos, ſeu waldenſes, in Comitiis pragenſibus congregatos. 128. Qua eos hortatur ad perſeuerandum in articulis de communione ſub utraque, & iniuſto Huſſi & Hieronymi pragenſis ſupplicio. 32) Reſponſio adHenrici IIX. Regis Brit. librum. 130. 33) Ad amicum, cur acerbius ſcripſerit contra Regem Henricum. 145. Id quidem fecit conſilio, quia 1. nec Chriſtus, Petrus & Paulus ſemper fuerint molliores ac mitiores. 2. aduerſarii eius pluribus maioribusque contra ipſum uſi ſint conuiciis. 34) Libellus de vita coniugali. 146. Qui conſtat 3. partibus: in I. agitur de perſonis, quæ inter ſe poſſunt contrahere matrimonium: in II. de perſonis, quæ poſſunt ſeparari: in III. de modo pie & laudabiliter agendi vitam coniugalem. 35) Breue ADRIANI VI. P. R. ad Fridericum. Elect. Saxon. perlatum ab Hieron. Rorario, Pontificis a cubiculo. 158. Quo ei commendat Sedem apoſtolicam, & commodum eccleſiæ. 36) Declaratio S. Cæſ. Mai. ſuper Articulis Statuum Imp. de dandis hoc tempore [A. 1522.] annatis, penſionibus, decimo nummo omnium monaſteriorum, eccleſiarumque cathedralium, & cenſu ordinum mendicantium. 158. Eos ſibi maxime probari ait, modo conſen-

tiat

ſiat P. R. quem eo nomine ſe rogaturum promittit. 37) CAROLI Imp. litteræ ad Pontificem de prædicta materia. 159. 38) *Georgii* Ducis Sax. Mandatum ad ſubditos de tradendo Lutheri N. Tto. 160. 39) ADRIANI VI. Breue ad Electores, Principes & Status Imp. Noribergæ congregatos, de ſtudio ſuo procurandi pacem inter Principes chriſtianos, de ſuppetiis Equitibus rhodienſibus latis, deque lutherana doctrina & ſecta eradicanda. 161. 40) Inſtructio prædicti Pontificis pro *Chierigato*, Nuncio apoſtolico ad Imperatorem & Status Imperii, comitia agentes Noribergæ. 163. Qua cauſæ adferuntur, quæ mouere deberent Status ad reſiſtendum ſectæ lutheranæ. Et querelæ Lutheri, *ipſum condemnari inauditum*, hoc modo occurri poſſe autumat Pontifex, ſi dicatur, res fidei credendas eſſe, non vero demonſtrandas. 41) ADRIANI VI. Breue ad Conſules & Senatum urbis bambergenſis, contra Lutherum eiusque libros, 167. Vt eum habeant pro hæretico, nec eius libros vel vendi, vel imprimi permittant. 42) Refutatio præcedentis Breuis. 169. 43) Breuis explicatio oratiunculæ *Aue Maria*. 170.

A. 1523. 1) Epiſtola *Georgii*, Ducis Sax. ad Lutherum. 171. Qua vult, ut profiteatur, num ipſe ediderit ſcriptum ad Hartmutum de Cronberg: in eo enim conuiciis & iniuriis, quas ſtatim ad animum reuocauerit, ſe peti. 2) De magiſtratu politico, in quantum ei debeatur obedientia. 172. 3) Reſponſio ad ſuperiorem Ducis Georgii epiſtolam. 187. Qua ita ſe declarat, ſibi perinde eſſe, ſiue pro confeſſo vel ſito, aut ſeſſo curſoue accipiatur: ſe enim litem condicere, ſi putet ſibi factam eſſe iniuriam. 4) Io. *de Plaunitz* Equitis epiſtola ad Fridericum Electorem de Nuncii apoſtolici Inſtructione, eiusque petitione, ut Noribergenſis Senatus in carcerem compingat paſtores ad S. Sebaldi, S. Laurentii, Spiritus S. Auguſtinianorum, & monachos, qui e clauſtris & Carthuſia elapſi ſunt, opificia didicere, & ciuili utuntur veſtitu. Sed addit, metuendum eſſe, ne, id ſi fiat, ſeditio oriatur in populo, 187. 5) Epiſtola ad Io. de Plauniz. 188. In qua dicit, ſe non ita duriter tractaſſe Ducem Georgium ac Papam, Epiſcopos & Regem Britanniæ; & quamuis aliquando ſit durior in ſcriptis ſuis, tamen verum profiteri. 6) HENRICI IIX. Regis Brit. litteræ ad Fridericum Elector. Sax. & Ducem Ioannem, eius fratrem, 189.

1. contra

Digitized by Google

1. contra Lutherum, qui primum cœperit diſputare, deinde iraſci, porro inflammari, inde tumultuari, & denique in libro contra ſe Regem conuiciis & calumniis ipſam ſuperare inſaniam; 2. contra ſectam lutheranam, quam ait omnium eſſe peſſimam ac perniciosiſſimam, cui reſiſtere debeant Principes Germaniæ. 7) Ad Equites ordinis teutonici. 192. Vt falſam fugientes caſtitatem, caſtitati ſe ſe conſecrent matrimoniali. 8) FRIDERICI Elect. & IOANNIS Ducis Reſponſio ad Henricum IIX. Gall. Regem. 198. Qua negant, ſe unquam conatos eſſe Lutheri doctrinam, ſcripta & conciones defendere, ſed omnia illa ipſi reliquiſſe defendenda; addunt etiam, eum ſine ipſorum præſcitu & conſenſu rediiſſe Wittebergam; Statusque Imperii, ad petitionem Pontificis per Nuncium factam, nullum aliud remedium, nullamque aliam viam componendi diſcordias & tumultus noſſe, quam liberum & chriſtianum Concilium. 9) De Adoratione ſacramenti corporis Domini. 200. Quam reiicit & condemnat. 10) De deſerendis clauſtris monialium. 210. In hoc ſcripto cauſſæ proferuntur, ob quas iſta deſertio ſit facienda. 11) Contra corruptores Mandati cæſarei. 214. Sunt IV. illius articuli; primus de prædicatione euangelii: ſecundus de obſervandis concionatoribus, exorbitatibusque puniendis: de impedienda librorum, niſi cenſuræ ſubiecti fuerint, impreſſione: & quartus de clericis matrimonium contrahentibus eccleſiaſtica cenſura coërcendis. Atque his IV. articulis ſuas Lutherus gloſſas addidit. 12) De IESV Chriſto, quod natus ſit iudæus. 216. 13) Libellus baptiſmi, germanice redditus a *Luthero*. 227. idemque renouatus 230. 14) Fundamenta & cauſſæ e Scriptura ſacra, eccleſiæ competere ius & facultatem diiudicandi doctrinam, & vocandi paſtores. 231. 15) Conſtitutio eccleſiaſtica. 235. 16) Conſtitutio ærarii pauperum. 236. 16) Alia pro eccleſia liſnicienſi. 236. 17) FRIDERICI El. & *Ioannis* Ducis Reſponſio ad Ludovicum Regem Hungariæ & Bohemiæ. 245. Qua deprecantur culpam, quaſi Lutherus ſub ipſorum clypeo errores & hæreſin introducat, diſciplinam eccleſiaſticam conculcet, Regesque & Principes petulanter atque impie conuicietur. 18) Conſilium de componenda cauſſa Lutheri. 246. In hoc conſiſtens: Diem eſſe conſtituendum, quo ſiue Serueſtæ ſiue Naumburgi, ſiue alibi, præſentibus duobus eccleſiaſticis & duobus ſæcularibus Principibus, audiatur Lutherus; inter-

Digitized by Google

intereа autem iubendum eſſe abſtinere ab acerbis ſcriptis, præcipue contra magiſtratus. 19) Iudicium de *Eraſmo.* 246. Eum ait minorem de prouidentia diuina habere notitiam, quam omnes in ſcholis ſophiſtæ docuerint. Seſe occaſionem contradicendi non quidem daturum Eraſmo, neque tamen etiam metuere eius ſcripta, ſi placeat illis operam dare. Inferius Eraſmum vocat hoſtem omnium religionum, ſingularem Chriſti inimicum, & Epicuri Lucianique perfectum exemplar & ideam. 20) Reſponſio & promiſſio ad mandatum Electoris de omittendis ſcriptis acerbioribus. 247. Dicit igitur Lutherus, nunquam ſibi mentem fuiſſe quemquam, ſiue illuſtris ſiue inferioris conditionis, conuiciis laceſſendi, aut eiuſmodi quid ſcibendi, docendi, prædicandi, quod inobedientiam, diſcordiam & rebellionem in S. Imperio excitare queat; quod autem præterito tempore tam duriter & ſevere ſcripſerit contra varios homines & Status, id quidem ſine odio, non tamen ſine cauſa factum eſſe. 21) Epiſtola ad Io. *a Rechenberg*, An quis ſine fide demortuus, poſſit ſaluari? 248. Quod negat, quia dicitur: *Qui non crediderit, cond:mnabitur, Mar.* 16, 16. *Qui non credit, iam condemnatus eſt, Io.* 3, 18. *Sine fide impoßibile eſt placere Deo, Ebr.* 11, 16. Aliam autem quæſtionem eſſe, An Deus nonnullis in confinio mortis, aut poſt mortem poſſit dare fidem, atque ita per fidem ad ſalutem perducere? De hac potentia non eſſe dubium, ſed factum non poſſe probari. 22) Epiſtola ad Io. *a Schleiniz* in cauſſa ſponſaliorum viri iuuenis cum illius vidua, qui eius frontem in confirmatione faſcia cinxit. 251. Epiſcopus miſnenſis negauit ſe illa concedere poſſe ſine Pontificis diſpenſatione: Pontifex autem decreuit, tali in caſu ruſticum 100. nobilem 200. comitem 400. aureos Sedi romanæ pro diſpenſatione ſoluere oportere. Sed quid Lutherus? Hic eiuſmodi ſponſalia pro licitis agnoſcit, quia Deus non prohibuit. 23) Epiſtola ad 3. virgines nobiles, quæ propter lectionem librorum Lutheri eiectæ fuerant e gynæceo freibergenſi. 251. Eas rogat Lutherus, ne hoſtibus ſuis mala precentur, ſed Deo rem committant, qui vindicaturus ſit, immo iam vindicauerit, permittendo eos labi, & iniuriam ipſis inferre. 24) Articuli, propter quos duo pii homines, ordinis S. Auguſtini, *Henricus* & *Ioannes*, Bruxellis, inſtigante *Hochſtrato*, vivi combuſti ſunt. 252. Neque tamen, quod alias ibi ſolebat fieri, capita criminis publice fuerunt

prælecta. Subiungitur Epiſtola ad fratres chriſtianos in Hollandia, Brabantia & Flandria: quos conſolatur propter crudele ſupplicium *Henrici* & *Ioannis*, Bruxellis combuſtorum, & iubet eſſe lætos propter conſtantiam & ſpem, qua illos muniuit Chriſtus. 25) Epiſtola ad Eccleſiam eslingenſem. 253. Qua VI. articuli paſtoris illius primi, ac ceterorum papizantium refutantur. 26) Epiſtola ad G. *Spalatinum* de Electoris periculo, & cærimoniis in æde primaria Wittebergæ. 255. Vbi *Lutherus* ſcribit, Electorem ſatis ſecurum fore, & extra periculum poſitum, quam diu non aperte cauſſam Lutheranam fecerit ſuam; ſibique perinde eſſe, ſiue miſſa & aliæ cærimoniæ more papali fiant, ſiue non; interim ſe, ratione muneris ſui, illas taxare, populumque melius erudire debere, Electoris autem conſilium & iudicium eſſe timidi indicium animi. 27) Iudicium ad D. Gregor. *Bruckium* de fœnore. 256. Quod ait quidem abrogandum eſſe, interim dari poſſe, dum tempora veniant meliora. 28) Conſolatoria ad chriſtianos auguſtanos. 256. Apud quos nonnulli propter nuptias alicuius paſtoris aduerſa & ignominias paſſi ſunt. Solatium itaque illis, eorumque in fide ſociis, porrigit ex natura euangelii, quod, qui cum Chriſto volunt regnare, cum eodem etiam prius debeant pati. 29) Epiſtola ad Leonh. *Puchlerum*, magiſtrum artis palæſtricæ, de adoratione ſacramenti. 258. Liberum eſſe, Chriſtum adorare, vel non adorare in ſacramento, excedere autem libellum ad Waldenſes ſcriptum, quando omiſſionem huius adorationis ſtatuit neceſſariam eſſe. 30) II. Epp. ad Canonicos wittebergenſes. 258. Vt miſſas faciant corruptelas & cærimonias euangelio aduerſas, alias ſe & alios cum ipſis non habituros amplius communionem. 31) Io. a *Plaunitz* Epiſtola ad Electorem (pertinens ad initium huius anni) de quadam deliberatione contra Lutherum in Comitiis noribergenſibus, cui ille interceſſit, aſſerens, rem hanc non poſſe vi tolli, ſed placidis mediis. 260. 32) Breue ADRIANI VI ad Electorem Fridericum. 261. Qua eum tam acerbe hortatur, quam ſuauiter rogat, Lutherum ut miſſum faciat, niſi utrumque gladium, papalem & cæſareum, velit experiri. 33) Explicatio duarum horribilium figurarum. 266. Videlicet monſtri aſinini romani de A. 1496. & vitulini freibergenſis de A. 1523. Illud Phil. *Melanchthon* interpretatur de Papa romano; cui *Lutherus* ſuum addit Amen

ſiue

ſiue adprobationem, quæ etiam repetitur in Tomo III. p. 532. atque hoc, quod tamen non a muliere, ſed a vacca excluſum fuit, iuxta Lutheri opinionem portendebat tragicum caſum miramque rerum mutationem. Vide etiam *Burchardum* in ep. ad Erndl p.61. 34) Enarratio capitis ſeptimi 1. ad *Corinth.* p. 272. 35) Enarratio 1. epiſt. S. *Petri*. p. 293. 36) Deprecatio ad Electorem pro paupere quodam viro. 354.

A. 1524. 1) Explicatio verborum *Io. 1, 29. Poſtero die cernit Ioannes Ieſum venientem ad ſe.* 355. 2) Narratio de moniali *Florentina*, quæ anno ætatis XImo vitæ monaſticæ mancipata votoque conſtricta, poſt ſæviſſimas, quod Luthero & cuidam ſuorum conſanguineorum ſcripſiſſet, & uſtiones perferre non poſſet, pœnas, e monaſterio euaſit. 356. 3) Epiſtola conſolatoria ad Miltenbergenſes, qui euangelii cauſſa perſecutionem paſſi erant. 360. 4) Explicatio *pſalmi* 120. *pſalmi* 127. epiſtolæ II. *Petri*, epiſtolæ *Iudæ*, 362. 5) Duo contraria *Imperatoris* edicta, alterum de A. 1521. alterum de A. 1524. In illo Lutherus condemnatur, & ex Imperio proſcribitur: in hoc ſpes fit Concilii, in quo Lutheri doctrina cognoſcatur & iudicetur. Lutherus iis addidit gloſſas marginales, & præfationem ac clauſulam. 398. 6) Contra cœcam & inſanam XVII. articulorum, ab Arſacio *Seehofero* aſſertorum, quem ideo poſtea in carcerem compegerunt, per Academiæ ingolſtadienſis theologos condemnationem. 421. Vbi *Ingolſtadienſes* ſuas proferunt rationes, Lutherus autem ad eas reſpondet. 7) Nec parentes liberos ſuos ad conjugium cogere, idve impedire, nec liberos ſine parentum conſenſu ſponſalia contrahere debere. 428. 8) Contra nouum idolum, Miſenæ erigendum. 431. id eſt, contra canonizationem *Bennonis*, epiſcopi miſnenſis, ab ADRIANO VI. factam. 9) Quid ſentiendum ſit de lege & bonis operibus. 438. Legem eſſe docendam, ut indicet & arguat peccatum, atque ut homines, pacis ciuilis gratia, in officio & ſub diſciplina contineantur. Si qui autem ſunt, qui ex eo, quod nullum in operibus eſt meritum, velint pro lubitu viuere, illis ſciendum, omnino præcepta eſſe bona opera. 10) Iterum de lege. 439. Legem iuxta cum euangelio proponendam, & quemvis aut obſeruare legem debere, aut confiteri ſuam transgreſſionem. 11) Dehortatio ad Senatum & populum mylhuſanum. 440. Vt ſibi caueant a Th. *Münzero*. 12) Epiſtola

Digitized by Google

ad Fridericum Elector. & Ioannem, Ducem Sax. de ſpiritu ſeditioſo. 441. 13) De uſu & confeſſione libertatis chriſtianæ. 444. 14) Colloquium *Carolſtadii* cum Luthero Ienæ habitum. 446. In quo Andr. Bodenſtein de Carolſtadio conqueſtus eſt, ſe ab illo numerari inter ſpiritus ſeditioſos: nam ſibi nihil commercii eſſe cum illis, ſed tantummodo diſſentire a Luthero in doctrina de ſacramento altaris. Ac tandem prouocat hic illum, dato arrhæ loco ducato aureo, ad duellum calamarium. 15) Actus cum Senatu populoque orlamundano. 450. Vbi diſputarunt cum Luthero de imaginibus tollendis, quia Deus in lege Moſis eas abſolute prohibuerit. 16) Epiſtola ad Barthol. *a Starenberg*, qui demortuæ coniugis ſuæ ſalutem vigiliis, miſſis, & orationibus promotum ibat. 453. Hunc igitur monet, ut abſtineat a vigiliis & miſſis pro defuncta: nam Deum hæc media non præſcripſiſſe, ac ſufficere, ſi ſemel atque iterum orauerit pro illa; perpetuas autem orationes ſignum eſſe paruæ fidei. 17) Ad Magiſtratus ciuitatum Germaniæ, ut chriſtianas erigant & alant ſcholas. 454. Atque in illis docendas eſſe linguas, artes & diſciplinas, ſine quibus ſolida Scripturæ interpretatio non poſſit fieri. 18) Iudicium de legibus moſaicis & cæſareis. 464. Cum receptæ ſint leges cæſareæ, nefas eſſe, illis reſiſtere, quam diu non iubent quid verbo diuino contrarium. 19) De mercatura. 465. Agitur hic de peccatis per mercaturam commiſſis, vadimonium & monopolia improbantur, & mutuum ſine fœnore dandum ſuadetur. 20) De ſumma præceptorum Dei, deque abuſu, & vero uſu legis, 1. *Tim.* 1, 3-11. p. 475. 21) de Dei voluntate ſervandi omnes homines. 1. *Tim.* 2, 4. p. 485. 22) de canone miſſæ. 488. Eum eſſe abominabilem, quia ſacrificium panis & vini opponat ſacrificio corporis. 23) Vniuerſitatis, Senatus, populique wittebergenſis Requiſitio ad Canonicos iſtius urbis, ut cærimonias ſuperſtitioſas & miſſas pontificias abrogent. 506. Atque ideo breviter repetuntur rationes præcedentis ſcripti.

A. 1525. 1) FRIDERICI Electoris 3. epiſtolæ ad Ioannem fratrem de ſeditione ruſticorum. 509. Fortaſſe datam miſeris hominibus fuiſſe cauſſam ſeditionis per prohibitionem verbi diuini & graues exactiones: remittendum illis eſſe aliquid, remque Deo committendam, & in eo ponendam fiduciam, qui Magiſtratus, quos inſtituit, certo tertius ſit conſeruaturus, ac defenſurus. 2)

G. *Spa-*

G. *Spalatini* Conſolatoria ad Fridericum Electorem, mortaliter decumbentem. 511. Ne turbetur ulla re, ſed adhæreat Chriſto, eiusque verbum teneat firma fide ac ſpe immobili. 3) Duæ conciones, in funere prædicti Electoris habitæ, ex 1. *Theſſ.* 4, 13-18. p. 513. 4) Conſolatoria ad Ducem Ioannem, defuncti Electoris fratrem. 521. 5) Epiſtola ad D. Io. Rühelium de obitu Electoris, & ſeditione ruſticorum. 522. In illius pulmonibus, & veſica fellis inuentos fuiſſe calculos, ſed nullum in veſica urinaria; eumque ſuaſiſſe fratri, ne vi utatur aduerſus ruſticos, ſed mitioribus eos mediis pacare ſtudeat. 6) Epiſtola ad Chriſtianos rigenſes, revelenſes & tarbtheanos in Liuonia. 522. Quos monet, ut in fide, quam aſſumſerunt, ſint conſtantes, eamque caritate proximi demonſtrent, præparantes ſe ad crucem, tanquam fidei comitem.

Index in IIX. tomos Lutheri, auctore Timoth. KIRCHNERO. Ienæ 1583. Eiusdem eſt Præfatio, ubi indicat, IV. eſſe huius Indicis partes, ac primam quidem continere res ſeu materias theologicas; ſecundam hiſtorica; tertiam voces & phraſes ebraicas, græcas, latinas, & quasdam Scripturæ S. peculiares; quartam dicta Scripturæ paſſim explicata. Sed non ſatis curate omnia recenſet: certe ea, in quibus Lutherus adhuc ſentiebat cum Pontificiis, aut moderatius de iis iudicat, ſicco pede præterit. Et in folio Hiiij notat ex T. I. f. 400. aut nouæ editionis f. 431. Lutherum credere, nullum eſſe purgatorium, cum ille tamen contrarium ibi dicat, hoc tantum addens, dicta Scripturæ, quæ vulgo adhibentur, non eſſe probantia.

Tomo III.

Rurſum A. 1525. 1) Explicatio VII. pſalmorum pœnitentialium, eaque emendata. p. 1. 2) Hiſtoria de fratre *Henrico* zutphanienſi: cum explicatione pſalmi XI. p. 27. 3) Contra prophetas cœleſtes, Partes II. quarum prior tractat de imaginibus & miſſa, poſterior de ſacramento. 35. 4) Epiſtola ad Albertum, Comitem Mansfeldiæ. 90. Vbi docet, vi rapientibus ædem cathedralem non eſſe reſiſtendum, neminem cogendum ad fidem, aut in erronea conſervandum, nec etiam concedendum, ut a vera deficiat; fœdera quidem iniri poſſe, etiam ſpecie tenus, ſed minime contra legitimum magiſtratum. 5) CLEMENTIS VII. Bullæ duæ de

Digitized by Google

anno iobelæo. 91. Cum gloſſis Lutheri. 6) Fidelis adhortatio ad omnes, Chriſtum eiusque verbum amantes. 97. Ne aures præbeant iſtis Bullis, & doctrinæ pontificiæ. 7) Epiſtola ad Wolfg. *Reiſſenbuſch*, Iur. doctorem & præceptorem lichtenbergenſem, ordinis S. Antonii. 98. Vota non obſtare, quo minus vitam ingredi poſſis coniugalem. 8) Epiſtola ad chriſtianos antuerpienſes. 100. In qua eos hortatur, ut ſibi caueant a ſpiritibus fanaticis. 9) Dehortatio ad chriſtianos argentinenſes, ne *Carolſtadii* fanaticiſmo de ſacramento, imaginibus & baptiſmo locum præbeant. 102. Sequuntur iam aliquot tractatus de ruſticorum ſeditione. 10) Contractus inter fœderatos ſueuos & duo ruſticorum agmina ad locum brigantinum & in Algouia. 105. Cum præfatione & adhortatione Lutheri. 11) Scriptum ad omnes chriſtianos, propter excuſationem rebellionis *Carolſtadianam*. 108. In quo dicit, non tantum ruſticos, ſed etiam inſanos Principes, & ſtolidos Epiſcopos, qui euangelicos paſtores tolerare nolebant, ſed vi expellebant, in culpa eſſe rebellionis. 12) Thomæ *Munzeri* epiſtola ad ciuem quendam islebienſem. 110. Agit de ſua cauſſa, & doctrina, negans ſe ſuadere ſeditionem. 13) XII. Articuli ruſticorum. 111. De conſtituendis paſtoribus, decimis, propriis hominibus, feris, auibus & piſcibus, lignatione, ſeruitiis, danda frumenti quantitate, noua impoſitione, pratis & agris Eccleſiæ reddendis, & caſu mortis. 14) Adhortatio ad pacem. 113. Eſt reſponſio ad XII. articulos ruricolarum ſuevicorum, in qua tam Magiſtratus, quam eis ſubiecti officii ſui commoneſiunt, videlicet illos debere recedere a rigore & tyrannide ſua, hos autem remittere in Articulis ea, quæ ſunt iuſto duriora. 15) Contra latrocinia & homicidia ruſticorum. 123. 16) Phil. *Melanchthonis* Hiſtoria Thomæ Münzeri, coryphæi ſeditionis thuringicæ. 125. 16) Horribile factum & iudicium Dei ſuper Thom. Munzerum. 131. Quo exhibentur horribiles & ſeditioſæ Th. *Munzeri* epiſtolæ, duæ quidem ad Comitem mansfeldenſem, & una ad ruſticos. 17) Th. *Munzeri*, poſtquam captus fuerat, confeſſio. 135. 18) *Eiusdem* ep. ad Senatum populumque mühlhuſanum, ut vitent ſeditionem, ſibique commendatos habeant uxorem & liberos ſuos. 19) Epiſtola *Lutheri* ad D. Io. Rühel, 137. Ne rationem habeat conuiciorum, quibus & ipſe (Lutherus,) laceſſitur: ut qui vocetur *hypocrita*. 20) Epiſtola ad Cardinalem & archi-

Digitized by Google

archiepiſcopum moguntinum. 138. Vt coniugium ineat. 21) Epiſtola ad *Rubelium*. 140. De coniugio, quod Cardinali & archiepiſcopo ſuaſerat: Si ſuo illud exemplo poſſit ab eo obtinere, ocyus ducturum uxorem, tanquam rem, quæ a Deo poſtulatur. 22) Alia. ibid. Eodem de argumento. 23) Duæ epiſtolæ de inito a ſe coniugio. ibid. 24) Epiſtola de libello contra ruſticos. 141. Quem defendit ab imputatione, eſſe nimis durum. 25) IV. Epiſtolæ ad amicos, quibus ſignificat, ſe patris ſui ſuaſu uxorem duxiſſe, cumque ea concubuiſſe, & poſt octo dies & amplius conuiuiolo eos excepturum, non ut hoſpites dona adferant nuptialia, ſed ut Deum pro felici matrimonii ſtatu ſecum implorent. Io. Phil. *Odelem* Apolog. 52. 26) Adhortatio ad chriſtianos liuonos. 152. De ſacris externis & cancordia cum ſacerdotibus & eccleſiaſticis. ibid. 27) Aliud ſcriptum, *Carolſtadium* ſpectans. 154. Carolſtadium ait ſententiam ſuam proponere aſſertiue, ſed dubitatiue: ipſum autem, Lutherum, putaſſe, veram eſſe eius ſententiam; attamen in articulis fidei non habere locum dubitationem. 28) Epiſtola ad Cardinalem & archiepiſcopum mogunt. & magdeb. 155. In qua deprecatur pro islebienſi quodam, cui imputatur crimen fractæ in via pacis & ſecuritatis. 29) Conſtitutio & informatio, quid deinceps agendum ſit cum illis, qui ſacramentum altaris accipere cupiunt. 156. Examen cum illis inſtituendum eſſe, fidem verbis chriſti habendam, nec admittendos, niſi qui ſint pœnitentes. 30) Sermo in ſecundam feriam paſchæ, *Luc.* 24, 30. p. 161. De digna ſacramenti acceptione. 31) Informatio, quomodo chriſtiani Moſen debeant intelligere. 155. Vbi de diſcrimine legis & euangelii; illam a nobis exigere opera, hoc vice verſa nulla poſtulare opera, ſed iubere ſinum expandere, & Dei beneficia in Filio propoſita accipere. 32) Epiſtola ad Ioannem Electorem Saxon. 170. De viſitatione eccleſiarum in eius terris, & prouidendis paſtorum ſalariis. 33) Ad Georgium, Ducem Sax. 171. Quem rogat, ne pergat doctrinam ſuam perſequi: eam enim eſſe diuinam, nec poſſe impediri aut tolli.

A. 1526. 1) Sermo in vigilia natiuitatis Chriſti, *Eſa.* 9, 1-7. p. 173. 2) *Georgii* Ducis Reſponſio ad præcedentem Lutheri epiſtolam: 189. Qua ei varia exprobrat vitia, quod ſe vocauerit Dominum minime faventem, & mendacem, Imperatorem romanum con-

conuiciis laceſſiuerit, atque e Witteberga aſylum fecerit improborum & vota ſua frangentium: malos fructus teſtari de eius doctrina, itaque reverti debere ad eccleſiam romanam. 3) Epiſtola ad Nicol. *Hauſmannum*. 192. Qua mentionem facit reſponſionis, a *Georgio* Duce datæ, eumque accuſat conuiciorum & mendaciorum, negans, ſe ei reſponſurum. Meminit quoque libelli ſui de ſeruo arbitrio, atque *Eraſmum* vocat venenoſum vermem, & inſtrumentum diaboli. 4) Iudicium de ſedanda iam ſeditione. 193. Scriptum hoc repertum fuit in bibliotheca Spalatini, ab eoque in germanicam translatum linguam, ſed non totum, præcipue in fine. Putat autem, reformandam eſſe miſſam, & quidem eam, quæ nunc viget, quæque pro bono opere & ſacrificio venditatur, abolendam; deinde vero eccleſias & ſcholas per dignos viros bene conſtituendas. 5) Explicatio prophetæ *Ionæ*. 195. 6) Et *Habacuci*. 228. 7) Duo ſermones in caput 15. & 16. *Actorum apoſtolicorum*. 259. 8) Modus celebrandi chriſtianam miſſam, & ad ſacram eundi menſam. 269. Libellus hic latine a Luthero ſcriptus, editusque fuit A. 1573. a Paulo autem *Sperato* in germanicam translatus linguam; atque hic exhibetur, prout de nouo reuiſus eſt & correctus. Multa in eo retinet de miſſa, quæ a Romano-Catholicis dicitur, excepto canone, & iis, quæ inferunt ſacrificium. Eos autem, qui ſacra uti volunt ſynaxi, prius nomina ſua profiteri debere apud paſtorem, & interrogatos rationem reddere de fide ſua, alios ſemper, alios ſemel, alios nunquam, prout vel rudes ſunt, vel eruditiores, vel eruditiſſimi; debere etiam, quando peragitur S. ſynaxis, ſeorſum ſtare in eccleſia, & utraque uti ſpecie, quia Chriſtus ſic mandauit; confeſſionem auricularem nec neceſſariam, nec inutilem eſſe, liberumque relinqui accedentibus, ſe ſe præparare ieiunio & orationibus. 9) Miſſa germanica & ordinatio cultus diuini. 277. Non eum in finem ſcripta, ut ſit inſtar legis, & obliget aliorum conſcientias; neque etiam germanica hac miſſa abrogatam vult latinam. Ceterum hic agit de modo catechiſandi, & tradit brevem orationis dominicæ explicationem, retinet elevationem ſacramenti, poſtque panis conſecrationem panem benedictum vult ſumi, ſicut poſt vini conſecrationem vinum benedictum. 10) Præfatio in Syngramma ſueuicum, e latino in german. verſum. 284. Sed hæc verſio nuſquam potuit inueniri. In qua refutat *Carolſtadii* & *Zvinglii* expoſitionem verborum, *Hoc eſt corpus*

meum

meum, atque hac occaſione diverſas aliorum expoſitiones recenſet: aduerſariorum, præſentiam corporis & ſanguinis ſubſtantialem negantium, fundamenta eſſe hæc dua, Abſurditatem, Nullamque neceſſitatem. 11) Supplex epiſtola ad Henricum IIX. Regem Brit. qua veniam petit ſcripti contra ipſum, malorum inſtinctu, & ſine conſenſu ſuo editi libri: dicit etiam, ſe paratum eſſe ad editionem alicuius libri in honorem Regiæ ipſius Maieſtatis, modo ſciat, id non ingratum eſſe, rogatque, ne credat conuiciis hoſtium ſuorum, quibus ſit & vocetur hæreticus: ſuam enim hæreſin nihil aliud eſſe, quam doctrinam de fide in Chriſtum, qua ſalui debeamus fieri, & taxationem corruptionis & tyrannidis, ab Epiſcopis uſurpatæ; & denique rogat, ut Rex ad ſuas ſe partes conuertat, indicatque, libellum ſub Regis nomine contra ſe ſcriptum non eſſe ab eo ipſo profectum. 12) Explicatio IV. pſalmorum conſolatoriorum, ad Mariam, Reginam Hungariæ, cuius maritus Ludovicus in acie a Turcis fuerat occiſus. 288. Videlicet pſalmi 37. 62. 93.

A. 1527. 1) An milites etiam in beato ſint ſtatu. 315. Adfirmat, docens, diſtinguendum eſſe inter perſonam & officium, inter rem eiusque abuſum ſeu deprauationem, gladium magiſtratui commendatum eſſe, in nouo etiam Teſtamento. In quibusdam ſcripti huius exemplaribus ſublata fuere nomina *Lutheri* & *Wittebergæ*, ubi erat excuſum. Et tale exemplum nactus *Georgius*, Dux Saxon. mire eo delectatus eſt, monſtratoque & ad legendum communicato cum Luca *Kranachio* pictore, dixit: *En autorem, qui tam bene, quam Lutherus tuus, quem laudare ſoles; immo melius ſcribit, quam Lutherus.* Sed cum Lucas aliud exemplar cum nomine Lutheri & Wittebergæ, quod penes ſe habebat, exhiberet, & Ser. Dux unum cum altero conferret, indignabundus in hæc erupit verba: *Certe peccatum eſt, tam perverſum monachum feciſſe librum tam bonum.* Vincent. *Placcius* de Anon. 435. 2) Reſponſio ad Reg. Britann. libellum conuiciis repletum, editumque cum *Lutheri* ad eum litteris valde humilibus. 330. Vbi profitetur, ſe humilitate ſua neutiquam detrahere quid doctrinæ ſuæ voluiſſe, aut potuiſſe, ſed humilius ſe ſcripſiſſe tam ad ipſum, quam ad *Georgium* Ducem, quod diceretur, eos incipere fauere euangelio. Se duplicis generis hoſtes habere, Papiſtas & Sacramentarios. 3) Epiſtola ad

Digitized by Google

Ioannem Elector. Saxon. de paſtore waltershuſano, cui ruſtici recuſant dare, quod ipſi competit, ſuadetque viſitationem eccleſiarum. 4) Quod verba Chriſti, *Hoc eſt corpus meum* &c. adhuc ſtent firmiter. 336. In quo ſubſtantialem corporis & ſanguinis Chriſti in S. cœna præſentiam aſſerit. 5) Conſolatoria ad chriſtianos halenſes de cæde Georg. *Winckleri*, ipſorum paſtoris: cum breui Informatione de communione ſub utraque. 383. Is epiſcopalibus, ſed fraudulentis litteris vocatus Aſcarioburgum, indeque dimiſſus cum monſtratore viæ, ſecundo a dicto loco lapide in ſilua a ſicariis, fortaſſe a canonicis quibusdam conductis, transfixus & occiſus fuit, potiſſimum ob communionem ſub utraque. 6) Epiſtola ad Ioannem Elector. Sax. 391. Qua petit, ut Serenitas eius ex monaſterio diſcalceatorum faciat ptocheum. 7) An fugere liceat metu mortis, ſeu tempore peſtis. 391. Adfirmat; ita tamen, ut licentiam hanc deneget propter veritatem verbi diuini captiuis, paſtoribus eccleſiarum, Magiſtratibus, eorumque officialibus & miniſtris. Subiungit p. 397. Breuem inſtructionem, quomodo tempore peſtis curanda ſit anima. Vbi ſuadet, ut cœmeteria extra urbes conſtituantur, & preces fiant contra Sacramentarios. 8) Reſponſio & informatio ad quæſtionem, An iuxta puram euangelii prædicationem, uſus duplicis in ſacramento ſpeciei, metu tyrannorum, poſſit omitti. 399. Reſpondet autem negando: quia doctrina a Chriſto tradita, confitenda eſt coram hominibus, citra metum pœnæ. 9) Io. *Bugenhagii* & I. *Iona* Breuis hiſtoria de reſignatione Lutheri in Dei voluntatem, in tentationibus tam ſpiritual. quam corporal. ſiue ad vitam ſiue ad mortem. 401. Iudicium de Io. *Lichtenbergeri* Vatic. Ea non eſſe ex verbo Dei ſeu Spiritu S. ſed ex aſtrologia, quæ incerta. 10) Narratio de ſupplicio Leonh. *Keiſeri*. 409. Qui in Bauaria propter euangelii confeſſionem exuſtus eſt. 11) Extractum ex literis Lutheri ad aliquem amicum. 428. In quo de grauibus ſuis tentationibus ſpiritualibus conqueritur. 12) Explicatio *Ierem.* 23, 5-8. p. 425. De Chriſti regno, & chriſtiana libertate. 13) Iudicium de ſponſalibus filiæ, in quæ pater non vult conſentire. 435. Duo eſſe media, euangelium, & leges cæſareas. Si filia ſponſum amat, patrem rigore euangelii obligatum eſſe ad conſenſum; ſi vero pater ſit pertinax, filiam debere patientia uti aduerſus illius tyrannidem. Sed & altero medio uti licere: nimirum præ-

Digitized by Google

fractum parentem amandandum eſſe ad forum ciuile, ut inde ſententiam audiat ſuam. 14) Deprecatio ad Ioannem Elect. Sax. pro paupere paſtore. 436. Qui in cauſſa matrimoniali imprudens tulit iudicium, iam vero ſuum errorem agnoſcit, & gratiam implorat. 15) Dehortatio a falſis prophetis, & Adhortatio ad amorem & æſtimationem verorum paſtorum, ad chriſtianos erfurtenſes. 436. 16) Confeſſio de S. cœna. 438. Conſtans tribus partibus, videlicet dehortatione a Sacramentariis, expoſitione locorum SS. litterarum de S. cœna, & traditione articulorum fidei Lutheri, contra iſtam & alias hæreſes. 17) Conſolatoria ad chriſtianos halenſes in Saxonia. 513. Cum iis præciperetur, S. cœnam ſub una ſumere ſpecie: falſum enim eſſe, quod prætenditur, eccleſiam habere poteſtatem mutandi ordinem Chriſti. 18) Inſtructio ad amicum de duplici ſacramenti ſpecie, ad mandatum epiſcopi miſnenſis. 514. In qua p. 520. inquit: Si Papa nobis ſaluum relinqueret hunc articulum, *Nos gratia Dei per fidem ſine operibus ſaluari*, neque conſcientias gravaret *legibus*, nos lubentes toleraturos id, quod caritati imponeret. 19) Amen, ad ſignificationem Papaſini. 532. Equidem hoc ſcriptum iam adfuit in Tomo II. horum operum, p. 268. Sed illic erat verſio, hic autographum. 20) Dehortatio a doctrina Sacramentariorum. 533.

Tomo IV.

A. 1728. 1) Conciones in Geneſin. p. 3. Et quidem in hiſtoriam creationis, Abrahami, Iſaaci, Iacobi, & Ioſephi. 2) In Zachariam. 233. 3) V. Iudicia quibusdam ex nobilibus data. 313. Cum a *Georgio* Duce Sax. religionis cauſſa premerentur. 4) Epiſtola ad 2. Paſtores de anabaptiſmo. 319. Tumultuarie, ut ipſe ait Lutherus, ſcripta; ſed in qua tamen negat, ſe ei fauere: ubi etiam profitetur, in papatu multum eſſe boni chriſtiani, immo univerſum bonum chriſtianum, atque inde ad nos derivatum. 5) Informatio viſitatorum, ad paſtores Electoratus ſaxonici. 333. De Decalogo, Oratione dominica, calamitatibus, ſacramento baptiſmi, ſacramento cœnæ, pœnitentia, confeſſione peccatorum, ſatisfactione pro peccatis, humanis de Conſtitutionib. eccleſiaſticis, re matrimoniali, libero arbitrio, chriſtiana libertate, Turco, quotidianis exercitiis in æde ſacra, excommunicatione, conſtitutione ſuperin-

 ten-

tendentium, & ſcholis, primæ, ſecundæ, & tertiæ claſſis. 6) Epiſtola ad Io. *Rühelium.* 351. Eos, qui ſciunt, Chriſtum S. cœnam inſtituiſſe ſub utraque, non debere eam, in gratiam dominorum ſuorum, ſumere ſub una. 7) Epiſtola ad Io. Fridericum primum, Ducem Sax. 351. De viſitatione eccleſiarum, ad quam neceſſaria videbatur præſentia Io. *Metzſchii*, ſtrategi. 352. 8) Præfatio in viſionem Fr. Claudii a Petra (*von Felſen*) eremitæ, helvetii. 352. de capite hominis barbati, cum triplici Pontificis corona, & 6. gladiis ſine manubriis,quorum unus ex frontep rodit,& duo ex naribus, reliquorum vero cuſpides oculos tangunt & os. Hæc Claudius dicitur vidiſſe noctu, cum oraret, in cœlo. Accedit duplex interpretatio, una Nic. *Horii* ad Car. Bavillum, de magno Principe eccleſiaſtico, altera *Lutheri*, de Papa romano. 9) Admonitio ad amicum. 355. Non eſſe indulgendum uxori, ſed dominio adverſus illam utendum, ita tamen, ut diſtinguatur inter infirmitatem & malitiam: illam tolerandam eſſe, hanc autem coërcendam. 10) Præfatio in libellum *Vrſulæ*, PrincipisMönſterbergenſis, in qua illa cauſas indicat deſerti monaſterii freibergenſis. 356. Lutherus autem libellum piæ Principis edidit in gloriam ſancti & diuini verbi, ad convincendos aduerſarios, qui miracula iactitant, atque huius in memoriam miraculi,quo monialis tam illuſtris ex monaſterio bene munito feliciter euaſit. Vt adeo euangelium noſtrum etiam faciat miracula, ſed quæ impii & occæcati nolint cernere. 11) Andr. *Carolſtadii* epiſtola ad Gregor. *Brückium*. 367. In qua narrat, quomodo mentem ſuam de ſacramento cœnæ Luthero tam ore quam ſcripto expoſuerit, contendens, ſe ſe inſiſtere verbis Scripturæ, Lutherum ſuæ expoſitioni; iuxta *Marcum* omnes diſcipulo e poculo bibiſſe, antequam Chriſtus verba hæc protulerit, *Hoc eſt ſanguis meus*: Chriſtum dicere, Calicem & N. T. eſſe *in effuſo ſuo ſanguine*, Lutherum, *in non effuſo*: Chriſtum dicere, *in ſanguine calicem eſſe N. T.* Lutherum autem, non in ſanguine, ſed *ſanguinem in calice*: Chriſtum dicere de ſanguine, eum pro multis, id eſt, diſcipulis, *effundi* in remiſſionem peccatorum; Lutherum, *bibi*: eundem etiam prætendere, Matthæum & Marcum loqui de effuſione ſanguinis in cruce, Lucam & Paulum de corporali diſtributione ſanguinis ad menſam ſacram. 12) *Lutheri* epiſtola ad Lazar. *Spenglerum*, ſyndicum noribergenſem, quid agendum ſit cum miſſis,

& in quonam conſiſtat miniſtrorum coactio & habilitas. 372. Videlicet, miſſas ſine communicantibus eſſe abolendas, diebus ſacris unam aut duas miſſas in duabus præcipuis eccleſiis celebrandas, per hebdomadem vero quouis die, quo communicantes adſint; neque hic audiendas eſſe paſtorum contradictiones, vel etiam in miſſæ reformatione populi murmurationes, ſed eum docendum, multas corruptelas in ſacra eccleſiaſtica irrepſiſſe, quietos igitur eos eſſe oportere, ſi quarum partium mutatio fiat, nec ſuis indulgere cogitationibus, quaſi optimis, ſed deuotis Deum inuocare precibus, qui ritus in eccleſia non iuxta hominum placita, ſed ad verbi ſui normam inſtitui velit. 13) Deprecatio pro paupere orphano, ad Wilh. *Reiſſenſteinium*. 373. Vt pergat benefacere miſero illi, Deique officium & encomium, quo eſſe ſtudet & vocatur *pater orphanorum*, Deo fauente ac remunerante, ad ſe rapiat. 14) Epiſtola ad Greg. Brückium. 373. Qua ſe purgat contra Carolſtadii imputationes, rogans, ut hominem deuitet. 15) Andr. *Carolſtadii* epiſtola ad Krautwaldium & Schwenckfeldium. 375. In qua indignatur, *Lutherum* ſcripſiſſe: *In cœna remiſſionem peccatorum ex calice bibimus.* 16) *Lutheri* Reſponſio & refutatio non nullorum argumentorum Carolſtadii. 376. Quibus hic contra ipſum pugnauit, in primis de verbo *Dedit*. Enim vero Lutherus oſtendit, 1. Regulam hanc, *Vnus locus Scripturæ explicandus eſt per alterum*, non eſſe uniuerſalem, ſed valere tantum de obſcuris; ſed nondum probatum eſſe, verba inſtitutionis S. cœnæ eſſe obſcura. 2. In capite VI. *Ioannis* dici quidem, carnem Chriſti ſpiritualiter manducari, minime vero, tantum ſpiritualiter. 3. Non ponendum eſſe ſpatium temporis inter verba euangeliſtæ, & verba Chriſti, *Accipite, edite, hoc eſt corpus meum*; ſed euangeliſtam indicare, quid Chriſtus illa proferens fecerit, videlicet, quod benedictum eis porrexerit panem. 4. Obſcurum eſſe quam maxime, quod prætendat, verbum *Dedit* aliud, & verbum *Eſt* aliud denotare: ſeque negare, in S. cœna eſſe dationem figuratam, quamuis corporalis in ea datio ſignificet ſpiritualem. 17) Præfatio in libellum de falſorum mendicantium fraudibus & nequitiis. 381. Quamvis urbem & pagum ſuos debere alere pauperes, peregrinos autem non admittendos ſine veris teſtimoniis. 18) Præfatio in libellum Steph. *Klingenbeilii* de coniugio clericorum. 381. Iam ut hic illud adprobat

Digitized by Google

& propugnat, ita Lutherus in præfat. idem agit negotium, & gloriatur, ſe reformatione ſua Pontificios in libros propuliſſe, maxime in ſacros ſeu biblicos; *Ariſtotelem* vero, *Summiſtas*, & *Sophiſtas* cum *Sententiarum magiſtro* deturbaſſe, doctrinam de indulgentiis tolerabiliorem reddidiſſe, peregrinationibus & cœnobiis modum poſuiſſe, & catechiſmi exercitium reduxiſſe: quæ omnia, ait, non præſtitiſſet Concilium. Annectitur etiam Reſponſio ad quæſtionem: Copulatus cum virgine, ante concubitum cognovit, eam eſſe corruptam, quid ergo faciendum? nimirum hoc: Si teſtes in iudicio audent ſtare contra ſponſam, eamque poſſunt convincere, diuortium eſt faciendum: ſin vero illi non audent, habendi ſunt pro mendacibus, dupliciſque generis occiſoribus, & ſponſa pro virgine agnoſcenda. 19) Conſolatoria ad viduam aliquam. 384. Cuius maritus deſperato ſimilis, ſibimet ipſe violentas intulit manus, deinde autem reſipuit, atque in vita chriſtiana obdormivit.

A. 1529. 1) Explicatio catechiſmi, ſive Catechiſmus maior. 385. Cum 2. præfationibus. Explicatio iſta ſunt conciones in catechiſmum. 2) De bello contra Turcas. 431. Oſtendit, duos eſſe viros, qui contra Turcas pugnare debeant, chriſtianum & Cæſarem. Nimirum hortandos eſſe noſtros ad pœnitentiam & preces, & Imperatorem ac Principes ad præſtationem officii ſui, quæ conſiſtit in defenſione ſubditorum. Sic feliciter proceſſurum bellum, neque Turcas prævalituros. Vnde patet, cum grano ſalis accipiendam eſſe propoſitionem Lutheri, a Pontifice tamen damnatam: *Pugnare contra Turcas idem eſt, ac Deo reſiſtere:* eam enim protulit reſpectu illius temporis, quo non recte docebatur de officio magiſtratuum, ipſique Principes de ſuo non ſatis recte inſtructi erant officio, & veris contra Turcas ferendis armis, ſed ipſis ſuadebantur Cruciatæ, Indulgentiæ, Proceſſiones, Peregrinationes, & Imperator ſub ſpecioſo titulo *Capitis chriſtianorum*, ac *Defenſoris fidei*, ad expeditionem invitabatur. 3) III. Sermones: 1. de peccato in Spiritum S. *Matth.* 12, 31. 32. p. 447. Intelligit autem per hoc peccatum eiusmodi actum, quo quis confeſſionem peccati, quam Deus omnino poſtulat, peruertit, atque e peccato bonum ſibi fingit formatque opus, nec propterea vult puniri, ſed laudari ac celebrari. 2. de Chriſti fratribus ac ſororibus, *Matth*, 12, 46. 49. p. 451. 3. de pro-

Digitized by Google

propria iuſtitia ſeu ſanctitate, in *Gen.* 9. p. 455. Qualem venditavit phariſæus ille, orans in templo, & publicanum præ ſe contemnens. 4) Præfatio in Iuſti *Menii* libellum de chriſtiana œconomia. 462. In quo ſimpliciter & perſpicue ſtatus coniugii laudatur. In Præfatione autem oppugnat auctor eos, qui putant, coniugium non eſſe neceſſarium, nec ſatis iuſtam curam adhibent pie & recte educandi liberos. 5) Reſponſio & Conſilium de Abbate aliquo Principe, qui monaſterium deſerere, habitumque monachalem deponere vellet: ad *Ioannem*, Electorem Saxoniæ. 464. Non eſſe in cuiusquam hominis poteſtate, alteri ſuadere, ut vitam monaſticam & religionem permutet, ſed illum ipſum, qui ei mancipatus, ſuam debere conſcientiam experiri, an veritatis & cultus diuini cauſſa hoc habeat propoſitum, nec ne: videri autem, ſatius eſſe, ut celſiſſimus Abbas executionem propoſiti ſui differat in aliud tempus, ſtudeatque prodeſſe monaſterio abuſuum & corruptelarum abrogatione, &, ſi non ſe poſſit continere, clam ducat uxorem, quoad alia veniant tempora, quibus publice liceat profiteri matrimonium. Sic eum non redditum iri mendicum, & tamen ſuæ conſulere poſſe conſcientiæ, ac monaſterii ſaluti. 6) Reſponſio ad *Philippum*, Landgrauium Haſſiæ de colloquio marpurgenſi cum Sacramentariis. 465. Se ad id venturum, ſi pars aduerſa ſit parata ad cedendum aliquantiſper; ipſum vero nec poſſe, nec velle tantillum indulgere. 7) Gratiarum actoria ad Ioannem, Electorem Saxon. pro donatis veſtibus. 466. Vbi pariter precatur, velit alio tempore Seren. ſua elector. eo uſque differre donum ſuum, donec ipſe fiat ſupplex. 8) Summa Diſputationis marpurgenſis, perſcripta a Phil. *Melanchthone*. 467. Colloquio huic interfuere & ſubſcripſere M. *Luther*, Phil. *Melanchthon*, Iuſt. *Ionas*, Andr. *Oſiander*, Io. *Brentius*, Steph. *Agricola*, Io. *Oecolampadius*, Vlr. *Zuvinglius*, Mart. *Bucerus*, & Caſp. *Hedio*. 9) Adhortatio ad Ioachimum, Elector. Brandenburg. in cauſſa Wolfg. *Horningii*. 470. In qua hortatur rogatque eum, ut ne amplius deneget Horningio uxorem & facultates eius, alias ſe preces contra ipſum concepturum, & quotidie dicturum. 10) Sermo bellicus contra Turcas. 472. In quo excitat Germanos ad fortiter pugnandum, & conſolatur eos, qui ab hoſtibus capiuntur, atque mancipiis adſcribuntur. 11) Explicatio Decalogi, *Exod.* 19. & 20. facta

pro

Digitized by Google

pro concione.486.12) De ſecretis ſurreptis litteris,ad *Georgium*,Ducem Sax. 532. Duci petenti, ut vel affirmaret vel negaret, litteras ad Wenceſl. *Linckium* ſimul miſſas,eſſe ſuas,reſpondit,eum de veritate earum debere interrogare illos,qui tradiderant; cumqueDux hac reſponſione non eſſet contentus,atque interea litteras publicaret,reſponditLutherus,ſe illas, quæ in Ducis manus pervenerunt,non ſua ſcriptæ manu, neque pro ſuis agnoſcere, neque tamen poſſe abnegare, ignarum, an non cum genuinis conueniant. Interim iuxta Ducis opinionem ſe illas pro ſuis agnoſcere velle, eumque male feciſſe, eas, ut alienum bonum, retinendo & publicando. Sanctum etiam *Hieronymum* pronunciare, ſecretas litteras, ab alio interceptas, eſſe vanas, etiamſi in iis eſſent convicia, nec eſſe aliud, quam nudas cogitationes, de quibus non ſit reddenda ratio. Si igitur litteræ non ſint ſuæ, pro fictis & falſis habendas; ſi vero ſint ſuæ, Ducem obligatum eſſe ad eas, cum apographis earum & impreſſis exemplaribus, tanquam alterius bonum, ſine mora reddendas. Quod niſi fiat, ſe recitaturum contra eum & reliquos ſuos hoſtes pſalmum VII. cuius etiam dat explicationem. 13) *Georgii* Ducis Præfatio in N. T. Emſeri. 542. Qua Lutheri interpretatio, tanquam ſcandaloſa & hæretica, proſcribitur & condemnatur. 14) Conſolatorium ſcriptum in grauibus tentationibus. 546. Tentatum non debere de ſe iudicare iuxta ſenſus ſuos, nec cogitare, ſe ſolum eſſe, qui habeat tentationes ſalutis æternæ cauſſa, nec petere liberationem; ſed Deo gratias agere pro honore huius viſitationis, & cum Davide precari ex *pſalmo* 18. Huc etiam facere *pſalmum* 142.

Tomo V.

A. 1530. 1) Præfatio in proph. *Danielem.* p. 1. In qua dicit auctor,omnia terrena,in SS. litteris prædicta, eſſe iam impleta; poſtque annum 1530. omnia meliorem in ſtatum commutatum iri. 2) *Ezechielis* caput 38. & 39. in germanicam translatum linguam, cum gloſſis. 3. 3) Elegantia & ſelecta Scripturæ dicta, quibus ſolatii loco uſus eſt in magnis tentationibus. 6. 4) Theſes de chriſtiana eccleſia. 9. Quas contra totam diaboli ſynagogam atque inferni portas tuendas in ſe recepit. 5) Breue exerptum ex libro de Votis monaſticis. 11. Vt oſtendat, vitam monaſticam eſſe pernicioſam mini-

Digitized by Google

minimeque chriſtianam. 6) Conſolatoria ad patrem Io. *Lutherum.* 12. Scripta paulo ante illius obitum, in qua eum iubet Deo gratias agere pro ſalutari notitia I. Chriſti, eaque per patientiam in variis aduerſis confirmata, ac ſpem ponere in meliori quæ ipſum exſpectet vita. Huc pertinet ſcriptum de vis repulſione, quod extat T. VI. p. 31. 7) Confeſſio chriſtianæ doctrinæ & fidei XVII. articulis comprehenſa. 14. Vnde poſtea formati fuerunt articuli Aug. Confeſſionis. 8) Conr. *Wimpinæ*, Io. *Menſingii*, Wolfg. *Redörfferi*, Doctorum, & Ruperti *Elgerſma* Licentiati, Iudicium de illis articulis. 16. In quo illi refutantur. 9) Scriptum ludicrum de Comitiis monedularum & cornicum. 20. Quo perſtringere voluit Sophiſtas & Papiſtas cum ipſorum concionibus & ſcriptis. 10) *Ioannis* Elect. Sax. epiſtola ad Lutherum. 21. Vt revideat formatos a Philippo ex ipſius prædictis articulos, moneatque, ſi quid corrigendum; item ut ſententiam dicat de prohibitione concionum, Lutheranis, ut aiunt, facienda. 11) Lutheri Reſponſio. 22. Qua ſcriptum Melanchthonis adprobat; de concionibus autem ſic ſentit, humiliter quidem petendum eſſe a Cæſare, ut illas, in quibus verbum Dei docetur, permittat; ſi vero nolit, obediendum eſſe, quia, ſicut Elector Torgæ, ita Imperator Auguſtæ Vindel. pro lubitu poſſit præcipere. 12) Epiſtola ad *Philippum* Landgrav. Haſſ. 22. Quem rogat & hortatur, ne aures præbeat Sacramentariis, atque in ſententiam eorum concedat, ſed antiquæ fidei inhæreat. 13) Epiſt. ad Ioannem El. Saxon. in Comitiis auguſt. præſentem. 23. Quem ſolatur contra labores, pericula, ſumtus, conuicia, argumento ab innocentia ac Dei voluntate, & euangelii in ipſius terris fœcunditate petito. 14) *Electoris* ad Lutherum epiſtola. 25. Qua ſignificat, ſe in Cæſaris edictum de intermittendis concionibus non potuiſſe conſentire. 15) Relatio de pomposo introitu S. Cæſ. Maieſt. in urbem Auguſtam. 25. Vbi inter alia refertur, Electorem brandenb. pro Epiſcopis, & Principibus eccleſiaſticis, quia nemo illorum ore latine loquendi pollebat, Legatum apoſtolicum latinis excepiſſe verbis. 16) Relatio auguſtana. 27. Vbi agitur de ingreſſu Imperatoris, quidque ille primum Proteſtantibus, deinde toti Imperio propoſuerit. Dicitur etiam, Imperatorem petiiſſe articulos a *Philippo* formatos, ut uideret, eosque miſiſſe ad Legatum pontificium, maximæque difficultatis il-

lum de miſſa viſum fuiſſe. 17) Electoris Sax. *Ioannis* ad Lutherum Epiſtola de abrogatis a Cæſare concionatoribus, quodque ille promiſerit, ſe oratores daturum, qui euangelium pure & clare prædicarent. 28. 18) Breuis recenſio præcipuorum articulorum chriſtianæ confeſſionis, quam Proteſtantes ediderunt A. 1530. d. 25. Iun. qui erat poſt feſtum S. *Ioannis baptiſtæ*. 29. Recitata autem fuit Confeſſio germanice, quamvis & latine concepta eſſet, a meridie, per Chriſtianum *Beierum*, Electoris Sax. Cancellarium, in palatio, ubi tunc Cæſar degebat, epiſcopali, non tantum coram Statibus Imperii, ſed etiam coram Imperatore ipſo, Carolo V. & rege Ferdinando, Cæſ. Maieſt. fratre. Ipſa vero confeſſio ſequetur infra, Tomo VI. p. 387. 20) Conſtans chriſtiana doctrina & Confeſſio fidei eiusd. *Ioannis*, Elect. Sax. 31. Qua ſe offert ad amicabilem controuerſiarum compoſitionem, vel ad Concilium liberum & chriſtianum, atque ad obedientiam erga Cæſarem, ut caput chriſtianitatis, in omnibus, quæ non ſunt contra Deum, aut conſcientiam. 21) Aliquot notabiles hiſtoriæ, quæ in hisce Comitiis acciderunt. 33. 22) Aliquot Epp. ad theologos & politicum aliquem, tempore Comitiorum auguſtanorum ſcriptæ, atque in germanicum idioma conuerſæ. 39. Sunt autem theologi illi, *Melanchthon*, *Brentius*, *Spalatinus*, *Ionas*, *Rühel*, politicus, Laz. *Spengler*. 23) Explicatio pſalmi 118. p. 45. 24) Caſp. *Cruccigeri* Præfatio in *Pſ.* 118. p. 70. 25) *Lutheri* Epiſtola ad Archiep. mogunt. cum explicatione pſalmi II. p. 72. 26) Admonitio ad omnes theologos in Comitiis auguſtanis congregatos. 76. Vbi corruptiones eccleſiæ romanæ recenſentur, diciturque, ſi Lutherus nihil aliud boni feciſſet, id tamen maximum eſſe, quod inciuilibus finem attulerit indulgentiis. 27) Altera reſponſio ad Elect. Sax. de prohibitione concionum. 94. Quæ quidem ſpectat ad p. 22. & ſoluit obiectiones, 1. Iudicium his in rebus Cæſari relinquendum. 2. non eſſe ſuſpicandum, Cæſarem iudicaturum contra Deum eiusque verbum. Nam ad 1. reſpondet: Cæſarem in litteris vocatoriis promiſiſſe clementem rerum cognitionem; ſi autem velit eſſe iudex, admittendum omnino eſſe, dummodo non iudicet contra clarum Dei uerbum. ad 2. Deum vehementer prohibuiſſe, ne confidamus Principibus. 28) Excerpta ex Confutatione aug. conf. p. 95. 29) Propoſitio *Cæſaris* ad Status Imperii de articulis controuerſis. 92.

Vt

Vt utraque pars ſuas afferat ſententias, quomodo illi poſſint componi. Vbi Romano-Catholici inter alia proponunt, S. cœnam poſſe, ut olim, ſub utraque diſtribui, & laicis quidem vinum benedictum per fiſtulam calicis, modo communicantes prius ediderint peccatorum confeſſionem: ſed & illis, qui unam deſiderent, eandem eſſe porrigendam, cum utrobique integer ſit Chriſtus. 30) *Lutheri* Iudicium de aliquibus articulis controuerſis. 111. Reſponſio ad duas Qq. 1. an recte fecerint Principes, non permittendo amplius vitam monaſticam & miſſam? 2. An non præſtet reducere externa quædam in eccleſiam, ut ſit paritas rituum, ne Proteſtantes nomen ſortiantur Schiſmaticorum? 114. Reſpondet ad 1. affirmando, quia perſuaſi fuerunt, illa eſſe contra euangelium. Ad 2. Quid iuuet conſenſus in accidentibus, ſi in ſubſtantia rei eſt diſſenſus? Alioquin ſane recipi poſſe externas cærimonias & ritus, pacis & concordiæ cauſſa, dummodo non gravetur conſcientia. 31) Epiſtola ad Gregorium *Bruckium*. 119. Qua in præſentibus anguſtiis fiduciam in Deo ponendam eſſe docet, ſimilitudine petita a machina cœli, quæ ſtat firmiter, ſine columnis; atque a denſis copiaque aquarum repletis nubibus, quæ tamen non habent pavimentum, in quo ſubſiſtant, quoue fulciantur. Hæc duo miracula ſe nuper conſideraſſe, quum nocturno tempore, quo cœlum erat ſerenum, proſpiceret e feneſtra. 32. 32) Epiſtolæ 2. ad Phil. *Melanchthonem*. 120. Vbi dicit, pure iudicare de traditionibus, eſſe apoſtolicum quid: communionem ſub utraque non eſſe adiaphoram, interim excuſandam eſſe eccleſiam, cui altera ſpecies fuerit ſubtracta: cauendum, ne quid nimis fiat in concedenda iuriſdictione eccleſiaſtica: de concordia doctrinæ non poſſe agi, ubi papatus adhuc viget. 33) Epiſtola ad *Ioannem*, Elect. Sax. 122. Media ab adverſariis propoſita, in primis communionem ſub una, miſſas ſolitarias, & canonem non poſſe acceptari. 34) Explicatio *pſalmi* 117. p. 123. 35) Epiſtola de Interpret. ſeu verſione Bibliorum, & invocatione ſanctorum. 140. Ait, ſe vertiſſe N. T. quia nemo Pontificiorum hunc in ſe recipere laborem ſuſtinuerit, & addidiſſe *Rom.* 3, 28. voculam *ſolum* allein, quia & germanica lingua, & verborum ſeries ſic poſtulabat. Ducem Sax. *Georgium* damnaſſe quidem & prohibuiſſe N. ſuum T. commendaſſe autem Emſerianum; hoc vero non aliud eſſe a ſuo, immo idem illud, demptis

Digitized by Google

duntaxat Lutheri nomine, præfatione & gloſſis. Sic idiotiſmum linguæ vernaculæ exprimendi gratia ſe reddidiſſe verba archangeli ad Mariam, *gratia plena*, du holdſelige, & *vir deſideriorum* Dan. 10, 11. lieber. Sanctos autem non eſſe iuuocandos, quia nullum de eo habeamus præceptum; quia periculoſum, ita, ut facile nos a Deo avertamus: denique quia ex illis quaſi facti ſint dii, & ſingulis peculiares adſcriptæ vires. 36) Explicatio *pſalmi* 82. p. 147. cum præfatione de reducta per euangelium auctoritate & poteſtate Magiſtratus ciuilis. 37) Recantatio de purgatorio. 160. Vbi dicta Scripturæ, quæ Pontificii pro purgatorio ex 2. *Maccab.* 12, 43-46. *Pſ.* 66, 12. *Apoc.* 14, 13. 1. *Cor.* 3, 15. adferunt, rectius exponuntur, & commenta Pontificiorum refutantur. 37) Concio de mittendis in ſcholam liberis. p. 171. cum dedicatione ad Laz. *Spenglerum*, in qua laudibus effert Scholam noribergenſem, ne ipſi quidem Academiæ pariſienſi poſtponendam; ac præfatione ad paſtores, quorum officium eſt, ſcholas civibus commendare. 38) Admonitio ad ſacramentum corporis & ſanguinis Chriſti. 186. Vbi famem quidem tanti epuli poſtulat, & dignam præparationem, ſed neutiquam vim ſive coactionem eo utendi certis temporibus. 39) Explicatio pſalmi 111. p. 202. 40) de clavibus. p. 217. Vbi refutat diſtinctiones clavis errantis & non errantis, clavis ſcientiæ & poteſtatis, atque oſtendit, Ligare & Solvere *Matth.* 16, 19. & c. 18, 18. non eſſe Præcipere, & leges ferre, ſed idem, ac Retinere, vel remittere peccata. 41) de rebus matrimonialibus. 237. Vbi agitur de ſponſalibus clandeſtinis & coactis, concubitu adulterino poſt ſponſalia publica cum alia femina, & divortiis. 42) III. Præfationes. p. 257. Prima in Brevem extractum e iure pontificio de rebus cum verbo Dei convenientibus; ſecunda, in libellum de religione Turcarum; tertia in libellum Iuſti *Menii* de Anabaptiſtarum doctrina & myſterio. 43) Informatio & reſponſio ad V. Qq. de ſacramento altaris. 262. 1. an ſufficiat ſumere ſub una ſpecie. 2. an liceat, ſi calix denegatur. 3. an intra privatos parietes. 4. an liceat, in honorem magiſtratus, calicis benedicti porrectionem ſevere prohibentis. 5. an ſufficiat ſumtio ſub una, ſi quis non tantopere deſideret alteram. Reſpondet ad omnes negando. 44) Conſilium de baptizanda virgine iudæa. 263. In lacu aquis repleto ſedere eam debere, capiteque in aquas intingi, cum pro-

pronunciatione verborum: *Ego baptizo te in nomine P. F. ac Sp. S.* deinde albo induſio tegendam, atque ante omnia tentandam, num ſincere baptiſmum deſideret. 45) Conſilium de fuga: an paſtor eccleſiam ſuam deſerere, eamque hoſti euangelii, qui tamen amicitiam ſimulat, cedere debeat. 264. Reſpondet negando: omnia autem patienter ferenda eſſe, donec vi deponaris, aut mando Magiſtratus expellaris. 46) Piæ cognitiones *Patrum* & doctorum eccleſiæ de cruce patienter ferenda. 264. 47) Aliquot Epp. ad Ioachimum, Elect. brandenb. Epiſcopos brandenburg. havelburg. & lebuſenſem, item ad Equites Electoratus brandenburgici. 265. In cauſa Wolfg. *Hornungi*, ut ei reſtituantur uxor & liberi, cum domo & aliis bonis. 48) Epiſtolium ad filiolum *Ioannem*. 298. Hortatur eum, ut bene diſcat, & aſſidue precetur; idque ut obtineat, fingit ſe fuiſſe in pomario quodam, ubi delicatiſſimi naſcantur fructus, & pueri ac puellæ ludant ſuaviter, quicunque reperiantur in claſſe diſcentium atque orantium. 49) Aliquot fabulæ *Æſopi*, verſæ in vernaculam a Luthero, cum eius præfatione de vero huius libri uſu. 268.

A. 1531. 1) Dehortatio ad dilectos Germanos. 273. Ne bellum occipiant euangelii cauſa: bello autem laceſſitos, armis ſe poſſe defendere: Cæſari quoque debere obedientiam, ſed uſque ad aram. 2) Gloſſa ad Edictum cæſareum. 289. In quo dicitur, Auguſtanam confeſſionem SS. euangeliis confutatam eſſe, & chriſtianam eccleſiam, ex inſpiratione Spiritus ſancti ſufficientes habuiſſe rationes communionem ſub una introducendi; ſed utrumque negatur. 3) Contra famoſum libellum, qui prodiit Lipſiæ. 302. In quo Luthero, ſed falſo, imputatur, eum docere, non eſſe obediendum Imperatori, & Lutheranos ſe parare ad bellum. 4) Admonitio pro Paſtoribus ad populum, ante ſumtionem S. cœnæ facienda. 310. Vt firma fide memoriam paſſionis Chriſti pro nobis factæ recolant. 5) Admonitio ad eos, qui acceperunt ſub utraque. 310. Vt ita pergant, nec dubitent hoc profiteri, ſi fuerint interrogati. 6) Sermo de cruce & calamitatibus, & quomodo ſint ſubeundæ. 7) Concio in euangelium de Maria Magdalena. *Io.* 20, 11-18. p. 316. 8) IV. Præfationes. 321. prima in Alexii *Krojners* concionem de ſacram. corp. & ſangu. Domini, ſub utraque ſumendo; ſecunda in eiuſd. concionem de S. chriſtiana eccleſia; tertia in *Brentii* libel-

Digitized by Google

libellum de coniugio; quarta in Ægidii *Fabri* Explicationem pſalmi LI. 9) Adhortatio ad paſtorem aliquem. 327. Ne taceat ad iniquam remotionem miniſtri euangelii, neque conſentiat alteri in eius locum ſe ſe intrudenti. 10) Conſolatoria ad matrem ipſius Margaretham Lutheram, paulo ante eius obitum. 328. 11) Conſilium ad fideles chriſtianos, quorum paſtores contemnuntur & expelluntur inter falſos fratres. 330. Ipſos debere conſtanter adhærere doctrinæ euangelii, & pati perſecutionem ſuorum. 12) Adhortatio ad chriſtianos freibergenſes, qui communionem accipiunt ſub utraque. 330. Chriſto confidendum, eamque doctrinam libere confitendam. 13) De taxatione peccatorum. 331. Eam omnibus fidelibus paſtoribus, ratione muneris, incumbere. 14) Epiſtola ad *Ioannem* Elect. Sax. in cauſſa acerbi ad Ducem *Georgium* ſcripti. 332. Promittit, ſe lenius in poſterum ſcripturum, dummodo Dux ille ipſum non laceſſat. 15) Conſilium ad paſtorem, cuius officium ſpernitur, quemque omnibus modis perſequuntur. 332. Ei ſuadet diſceſſum; quem tamen ita faciat, ut benedictionem impertiat contemtoribus & perſecutoribus, cauſamque Deo commendet. 16) Conſolatoria ad Principem, contra tentationes de rebus externis. 332. Iubet bono eſſe animo, ſibique gratulari de pace conſcientiæ, cum qua bona fortunæ nullo ſint modo comparanda. 17) Concio de SS. angelis, in *Matth.* 18, 10. p. 333. 18) Concio nuptialis in *Hebr* 13, 4. p. 338.

A. 1532. 1) Explicatio capitis V. VI. & VII. S. *Matthai.* 343. cum præfatione contra Canoniſtas. 2) Explicatio *pſalmi* 147. p. 461. 3) Sermo in *Gal.* 3, 23. 24. de diſcrimine legis & euangelii. 472. 4) Alius in *Mich.* 5, 1. de regno Chriſti. 477. 5) Alius in benedictionem, quæ in dimiſſione populi chriſtiani pronunciatur ex *Numer.* 6, 24-26. p. 481. 6) Epiſtola ad *Io. Fridericum*, Elect. Sax. 483. Pacem ab imperatore oblatam, non eſſe recuſandam. 7) Litteræ commendatitiæ. 484. Pro Io. *Riſchmanno*, Lutheri adhuc famulo. 8) Conſolatoria ad *Ioannem* Elect. Sax. Vt Deus morbum, quem immiſit, per gratiam ſuam regere & moderari velit. 9) II. Epiſtolæ ad Georg. *Mohrium*, paſtorem bornenſem. 485. De ſuſceptione muneris eccleſiaſtici alio in loco. Sed Lutherus hanc mutationem nec ſuadere vult, nec diſſuadere. 10) Conſolatoria ad eum, cui filius præmature ereptus eſt. 486. 11) Alia

pro

Digitized by Google

pro eo, qui tentationes ſentit ob prædeſtinationem. Hiſce autem opponenda eſt fides in Chriſtum: quam ſi habes, tu quoque es in numero prædeſtinatorum. 12) Scriptum contra fanaticos. 488. Quo dicitur, Chriſtum *Io. 6.* non loqui de S. cœna; & ſi *Zvinglius* eiusque aſſeclæ ſeruati ſunt, martyres tamen inde non eſſe faciendos. 13) Epiſtola contra doctores clandeſtinos. 491. Quales erant anabaptiſtæ. 14) II. Epiſtolæ ad *Ioannem*, Elector. Sax. de pacificatione ſupra dicta. 495. 15) II. Conciones in funere *Ioannis*, Elect. Sax. in 1. *Theſſ.* 4, 13. 18. 16) II. Epp. ad non neminem, verum amatorem verbi diuini. 506. Cui precatur confortationem ſpiritus, & augmentum fidei. 17) Conſolatoria ad virum nobilem, triſtitia & melancholia vexatum, propter obitum Principis. 507. Argumenta eius ſunt: 1. nondum omnium dierum ſolem occidiſſe. 2. ferendum eſſe aliquid, diſcendamque patientiam. 3. nec dum cauſſam adeſſe triſtitiæ. 4. neque lætitiam faciendam inimicis. 18) Epiſtola ad Senatum alicuius urbis de vocando alterius loci paſtore. 508. Paſtori illi non audet auctor eſſe, ut eccleſiam ſuam deſerat, quæ ipſo opus habet: ſi autem ipſe velit mutare ſtationem ſuam, non vult repugnare. 19) Conſolatoria ad chriſtianos, euangelii cauſſa Lipſia eiectos. 508. Eos ad Principem infenſum bonis uti debere verbis, de veritate nihil cedere, & patientiam exercere: poſt nubila orturum Phoebum. 20) Epiſtola ad *Schlickios* in Valle S. Ioachimi. 509. Quos rogat, ne clandeſtinis & fanaticis doctoribus locum ſuis in terris concedant. 21) Aliquot conciones in *Eph.* 6, 14-17. p. 509. De armis chriſtianorum. 22) Conſolatoria ad eum, qui vitæ ſuæ faſtidio tenetur. 527. Cogitandum 1. Deo obediendum eſſe, vitamque, quam ille concedit, pie acceptandam. 2. reſpiciendum Chriſti exemplum, qui duriſſimam nactus vitam, tamen eam non depoſuit ſine cœleſtis Patris voluntate. 3. diabolum, qui violentum vitæ finem ſuadere laborat, ſpernendum, & contumelioſe abigendum. 23) Alia conſolatoria, ad Laur. *Zoch.* 524. Deum ſæpe nobis eripere conſolationes rerum, ut Scripturarum conſolatio locum in nobis reperiat: faciem nos debere vertere ad inviſibilia gratiæ, & non apparentia ſolatii, dorſum vero obuertere viſibilibus. 24) Concio in *Luca* 21, 25-33. p. 529. De beato Chriſti aduentu ultimo, ſignisque diei extremi præcedentibus. 525.

Digitized by Google

Tomo VI.

A. 1533. 1) Reſponſio ad chriſtianos lipſienſes, an ſalva conſcientia poſſint accipere unam ſacramenti ſpeciem, ſub forma acceptæ utriusque, ut Magiſtratui ſuo ſatisfaciant. p. 1. Reſpondet negando, ſi in conſcientia ſua convicti ſint, utramque ſpeciem a Chriſto eſſe inſtitutam & mandatam. 2) Wolfg. *Widemanni*, conſulis lipſ. epiſtola ad Lutherum, qua interrogat, num ſit auctor illius ad cives lipſ. ſcriptæ epiſtolæ. 3) Reſponſoria ad præcedentem. 2. In qua Lutherus viciſſim quærit, quis eum ad ſcribendum mouerit aut impulerit. 4) Formula iurisiurandi, quam Dux *Georgius* ſubditis ſuis, qui retrocedunt a confeſſione aug. confeſſionis, præſcripſit. 5) Iudicium de *Georgio* Duce. Eum non tantum ſpiritualiter, ſed corporaliter a diabolo obſeſſum eſſe, quia tyrannice audeat dominari conſcientiis. 6) Apologia Lutheri, contra imputatam a Duce *Georgio* ſeditionem, cum ſolatio ad chriſtianos, ab eo iniuſte Lipſia expulſos. 3. In qua negat, ſe excitaſſe rebellionem ac ſeditionem: nihil enim aliud continere illam epiſtolam, quam informationem dubiorum, & conſolationem afflictorum. 7) Reſponſio ad Ducis *Georgii* nuperum libellum. 17. Vbi negat, ſe eſſe mendacem, periurum, & fugitivum monachum, multaque monachatus abominabilia rececenſet. 8) Epiſtola ad *Ioannem*, Elect. Sax. de uſu armorum contra Cæſarem. 31. Negat, eum eſſe licitum, quia Cæſar eſt magiſtratus noſter; neque hic valere dictum: *Vim vi repellere licet.* Si vero Cæſar iubeat Electorem ſubditos ſuos euangelii cauſſa aggredi, perſequi, eiicere, occidere, non ei parendum, ſed rem Deo committendam eſſe. Simile ſcriptum extat p. 325. 9) Concio in 1. *Tim.* 1, 5. 6. 7. p. 33. Qua ſumma vitæ chriſtianæ traditur. 10) Aliquot conciones in 1. *Io.* 4, 16-21. p. 46. De caritate Dei & proximi. 11) Secundus articulus fidei de I. Chriſto. 66. Aliquot concionibus Torgavii habitis expoſitus. 12) De miſſis ſolitariis, & conſecratione ſacerdotum. 86. Vbi commemorat diſputationem diaboli ſecum, cum expergefactus eſſet e ſomno, inſtitutam. Vide Tomum VII. witteberg. lat. 228. & C. *Sagittarii* diſſert. pro doctr. Lutheri de miſſa. 13) Epiſtola ad Sen. populumque francofurt. ad Moenum, de doctoribus zvinglianis. 110. Eos eſſe vitandos. 14) III. Præfationes. 117. Vna in Ægid.

Ægid. *Fabri* libellum de falſo ſanguine & idolo in eccleſia cathedrali ſchweinenſi. 2. in Balthaſ. *Raida* Reſponſionem contra libellum Agricolæ *Phagi*, i. e. Georgii *Wicelii* calumnioſum. 3. In Fratrum Bohemiæ, Moraviæ &c. Confeſſionem fidei, cultus divini, & cærimoniarum. Quam quidem commendat, fateturque, eos nobiſcum convenire in doctrina de S. cœna, videlicet corpus & ſanguinem Chriſti accipi, atque immerito accenſeri hæreticis. 15) Conſolatoria ad eos, qui euangelii cauſſa a Duce Georgio ex oppido oſchatzienſi fuerant eiecti. 121. Fugam eorum placere Deo, qui collecturus ſit eorum lacrimas, & tyranno retributurus ſecundum eius opera. 16) Commendatitia pro M. Georg. *Schnellio*, ad Senatum rotenburgenſem. 122. Vt eius, unius civium ſuorum, ſtudia iuvent aliquo ſtipendio. 17) Conſolatoria ad eum, qui metu receſſit ab uſu S. cœnæ ſub utraque, iam vero pœnitentia ducitur. 123. Adprobat eius pœnitentiam, ſuadetque, ut potius exilium arripiat, quam ut contra conſcientiam unius uſum ſpeciei repetat.

A. 1534. 1) Homiliæ in *pſalmum* LXV. dictæ Deſſaviæ coram Principe. 123. 2) Explicatio *pſalmi* CI. p. 137. 3) Epiſtolium ad Io. *Ruelium*. 171. De Phil. *Melanchthone*, & Miſſis ſolitariis. Eum cum *Herzheimero* nolle ſcripto agere, ſe autem illas amplius perſecuturum. 4) Epiſtola de libro ſuo, qui agit de Miſſis ſolitariis. 171. Qua repetit & confirmat Confeſſionem ſuam contra fanaticos, pariterque fatetur, etiam apud Pontificos, ubi Chriſti inſtitutio obſervatur, verum Chriſti corpus accipi, licet ſacramentum ſub una duntaxat detur. 5) Conſolatoria ad Balthaſ. *Iöppelium*, olim Ducis *Georgii* organiſtam. 177. Quem confortat amore Dei patris, cuius filium Iöppelius cœpit diligere: eum quoque calamitates verſurum in gaudia. 6) IV. Conſolatoriæ ad Principem aliquem, tentationibus ſpiritualibus & corporalibus obnoxium. 178. 7) Conciones in *Io.* caput XVII. p. 181. 8) Conſolatoria ad Io. *Rübelium*, morbo vehemente conflictantem. 219. Quem cogitare iubet, ſe ab eo probari, a quo vocatus ſit ad communionem verbi, quod baptiſmo & ſacramento ipſi aſſignatum, ſique conducat, eum quoque ſanitatem redditurum. 9) Alia ad Autorem *Broizen*, civem brunſvicenſem, cuius uxor ex hac diſceſſit vita. 219. Chriſtum pro nobis paſſum eſſe: congruum igitur eſſe, ut & nos patiamur ad-

adverſa a Deo immiſſa: hoc etiam ſolatii eſſe argumentum, quod illa pie ac placide obierit. 10) Alia ad quempiam, triſtitia & melancholia oppreſſum. 220. Reſiſtendum eſſe cogitationibus triſtibus, lætandum in Chriſto, tanquam benigno redemtore & domino, eique confidendum. 11) Conciones in caput XV. 1. *ad Corinth.* p. 221. De reſurrectione mortuorum, editæ a Caſp. *Crucigero.* 12) Conſolatoria ad Caſp. *Mollerum*, cancellarium mansfeldicum. 291. Deo gratias agendas, quod ipſum ad cognitionem verbi ſui vocaverit, & patienter ferendum morbum, præſertim cum iugum noſtrum leve ſit. 13) Conſilium ad læſum quempiam. 293. Vt caveat ſibi a vindicta privata. 14) Iudicium de ſolitudine vitanda: quia 1. homines, ſi ſoli ſunt, gravius peccare ſolent, quam cum aliis converſantes. 2. Deus hominem creavit ad ſocietatem, non ad ſolitudinem. 3. ſolitudo parit curas & triſtitiam.

A. 1535. 1) Conciones in *Matth.* 3, 13-17. p. 295. De baptiſmo. 2) Concio in Matth. 8, 1-13. De centurione capernaumitico. 3) Epiſtola ad *Ioannem* Elect. Sax. de non ineundo contra Cæſarem fœdere, aut ferendis contra eum armis. 325. Nam 1. id eſſe periculoſum. 2. euangelicæ doctrinæ neutiquam congruum. 3. Chriſtum adeſſe, qui poſſit eripere e periculo. 4. Deum calamitatibus tentare fidem & conſtantiam noſtram. 5. patientia & precibus nos plus effecturos, quam hoſtes minis & machinationibus ſuis; & ſi Cæſar irruat, ſeque & ſocios ſuos poſtulet, ſe coram eo promte compariturum, ut Elector a periculo liberetur. Pertinet autem hoc ſcriptum ad annum 1529. 4) Increpatoria ſeu correctoria, ad Marchionem brandenburgenſem *Albertum*, Cardinalem & Archiep. mogunt. magdeburg. & halberſtad. 326. Qua ei exprobrat iniuſtum Io. *Schanzii* ſuſpendium, ac defendit Ludov. *Rabium* a detractionibus, quæ ei imputantur. 5) Præfatio in Confeſſionem Laz. *Spengleri*. 328. Quam edidit in ſolatium & confortationem infirmiorum, qui ob talem confeſſionem perſecutiones patiuntur. Dicit autem in Præfatione, ſe optare, ut quis repurget Legendas ſanctorum a fabulis; ceterum librum iſtum poſt S. ſcripturam omnium eſſe utiliſſimum chriſtianis. 6) Simplex modus precandi. 329. Vbi docet, quid in ſingulis orationis dominicæ, decalogi & ſymboli apoſtolici partibus cogitandum & conſiderandum ſit. 7) Præfatio in Vrb. *Regii* Refutationem novorum

Va-

Digitized by Google

Valentinianorum & Donatiſtarum monaſterienſium. 337. Non ſequi, Ex Lutheri doctrina orti ſunt fanatici, ergo doctrinam illam eſſe diabolicam: nam ex apoſtolis prodiiſſe Iudam, e chriſtiana eccleſia hæreticos, ideoque ipſa ſacra biblia vocata fuiſſe *librum hæreticorum*, quia hæreſes illi ſuas inde volebant probare. 8) An chriſtianus, qui rectius e verbo Dei informatus eſt, cultui idololatrico ſine læſione conſcientiæ intereſſe poſſit. 339. Negat, quia interrogans eo conſcientiam ſuam gravari ſentit, ac fatetur. 9) Solutio quæſtionis, an patri familias, ubi ſacramentum S. cœnæ non porrigitur ſecundum Chriſti inſtitutionem, ſacrum illud epulum domi ſuæ adminiſtrare, eoque ſe & domeſticos ſuos reficere liceat? 339. Reſpondet negando, quia ipſius officium non eſt, id peragere; neque etiam neceſſe eſſe, quoniam ſine uſu S. cœnæ, per fidem ſalvari poſſit. 10) Præfatio in Nova monaſterienſia. 340. Qua contra Anabaptiſtas diſputat, qui priores nuptias diſſoluunt, baptiſmum condemnant, negantque Chriſtum eſſe ex ſemine Mariæ, e qua tamen natus eſt. 11) De communione ſub utraque: An liceat eam ſumere domi, intra privatos parietes. 342. Hoc quidem, ne malum aliis exemplum detur, & tandem deſeratur cœtus publicus, non vult adprobare; interim non repugnat, ſi quis aliunde petat SS. ſymbola, ex mero eorum & in conſcientia radicato deſiderio. 12) An chriſtianus, ſalva conſcientia, pontificii epiſcopi conſecrationi adeſſe poſſit? Reſpondet, interrogantem ſuam de eo conſcientiam explorare debere. 13) Aliquot dicta ſeu poſitiones contra *Concilium conſtantienſe.* 343. Potius dicendum *Obſtantienſe*, quia in eo, *Non obſtante Chriſti mandato, & Eccleſiæ exemplo*, mutationem fecerunt ſ. cœnæ. 14) Conſolatoria pro chriſtianis witweydenſibus, qui euangelii cauſſa perſecutionibus vexantur. 349. Dolet eorum ſortem, iisdemque adprecatur fidei conſtantiam, Deique ſolatium; ſed litteras cum iis ſuas non vult communicari, ne inde, ut Lipſienſes, maioribus incommodis exponantur. 15) Conſolatoria ad eum, cui Deus dedit filium, ſed mox eundem abſtulit. 350. Sic enim 1. voluiſſe Deum. 2. ſub cruce multiplicem latere gratiam. 16) Hiſtoria, quæ contigit Stasfurti A. 1534. in vigilia nativitatis Chriſti, ubi quidam, qui ſimulabat confeſſionem peccatorum, varias ſacerdoti quæſtiones propoſuit de Chriſto, negans, eum natum eſſe ex virgine Maria, &

& pro peccatis noſtris paſſum ac mortuum. Qui videtur fuiſſe malus dæmon. Præmiſſa eſt Lutheri præfatio. 17) Aliquot articuli, a Papiſtis nuper falſati, & malitioſe laudati contra Lutheranos. Cum Epiſtola *Lutheri* ad paſtores ſuſatenſes (zu Soſt) 354. Fatetur, ſe & ſuos complices in Comitiis auguſtanis ſeſe largius explicaſſe, ac quædam conceſſiſſe Pontificiis; ſed illos ab ullo recedere puncto noluiſſe, ſeque conſtanter huius eſſe ſententiæ: Si Papa ſibi ac ſuis euangelium velit pemittere liberum atque ſincerum, agnituros eius auctoritatem ac iurisdictionem. 18) SPIRITVS S. Indictio Concilii univerſalis, liberi & chriſtiani, ad omnes chriſtianos, contra Papæ rom. tyrannidem. 356.

A. 1536. 1) Explicatio *pſalmi* XXXIII. 359. Ad menſam facta. 2) Conſolatoria ad Io. *Reinetk*, cuius uxor deceſſit. 374. Quia Deus hanc vitam ſic ordinet ac moderetur, ut diſcamus & exerceamus cognitionem optimæ ſuæ voluntatis; atque hæc ex eius verbo nobis innoteſcit. 3) Præfatio in Ambroſii *Mybani* Explicationem *pſalmi* XXIX. 375. Deum non tantum miracula feciſſe in creatione rerum, ſed hodieque facere, quamvis non obſerventur. 4) De diſtinctione ſpiritualis & civilis regiminis. 376. Eam eſſe plane neceſſariam, & neutri parti competere, ſeſe in alterius in gerere negotia. 5) Concio nuptialis in *Eph.* 5, 25-33. p. 377. 6) Epiſtola ad Laur. *Caſtnerum* 382. De cauendis, nec audiendis fanaticis & clandeſtinis doctoribus, niſi probaverint, ſe a Deo eſſe miſſos. 7) Præfatio in Ant. *Corvini* Brevem expoſitionem euangeliorum dominicalium. 383. Qua conſervationem puræ euangelii doctrinæ pronunciat neceſſariam, conciones *Corvini* ob brevitatem & ſimplicitatem ac ſinceritatem commendat, immo dignas eſſe ait, quæ populo publice prælegantur, ac denique optat, ut quis eodem modo explicet pericopas epiſtolicas. Sed hæc Præfatio per errorem huc translata eſt, cum pertineat ad annum XXXVtum. 8) Epiſtola ad Greg. *Brückium*, qui Electoris Saxon. nomine interrogaverat, quo ſe modo res habeat cum ſcriptis ad Cardinalem & Electorem moguntinum litteris: videri enim illis contumeliam factam Ser. Domui brandenburgicæ. 384. Reſpondet, Electorem Saxon. potius debere auctorem eſſe Cardinali, ut ad frugem redeat; nec contumelia affici familiam aliquam, ſi nefarius in ea homo corrigatur & increpetur. Sic feciſſe *Eſaiam* adverſus regem Acha-

Digitized by Google

Achaſum, & plures *prophetas* apud alios reges. Reges & Principes ſub Dei poteſtate eſſe, eumque velle, ut illi verbis reprehendantur, niſi pœnam irati Numinis velint incurrere. 9) Duriuſcula increpatoria & dehortatoria ad *Albertum*, Cardinalem, & Archiep. mogunt. magdeburg. & halberſtad. 385. In cauſſa Io. *Schanzii*, quem ait iniuſte & inauditum ab eo ad laqueum condemnatum fuiſſe. 10) Confeſſio auguſtana 387. Quæ quidem pertinet ad annum 1530. adeoque ad Tomum V. p. 31. 11) Apologia Confeſſionis, germanice reddita a Iuſto *Iona*. 12) Epiſtola ad Senatum auguſtanum. 508. Dicit, lætari ſe, quod conſenſus inter paſtores auguſtanos ſit de ſacramento cœnæ, ſeque laboraſſe, ut Vrbanus *Regius* iſtuc redeat, ſed piiſſimum Principem nolle eum dimittere.

A. 1537. 1) II. Conciones in Matth. 4, 1-11. de tentationibus Chriſti. 509. 2) Donatio CONSTANTINI M. 520. Germanice reddita a Luthero, qui conqueritur de peſſima illius ſcripti latinitate, & gloſſulas atque annotationes addidit. 3) Præfatio in Concilium gangrenſe, germanice verſum a Io. *Kymeo*. 528. Concilium illud, quamvis non generale, ſed nationale, unum eſſe ex optimis, multisque papatus corruptelis adverſari. 4) Conſolatoria ad mulierem, quæ ſuperato morbo timidi, fracti & parvi eſt animi. 529. Cogitandum, Chriſtum ei eſſe vicinum, & onus ſublevare, longeque plus paſſum eſſe, quam ipſam: atque hunc piis eſſe precibus, ut iuvet amplius & liberet, invocandum. 5) Præfatio in aliquot Epiſtolas Io. *Husſi*, in carcere ſcriptas A. 1416. p. 530. Edidit illas eum in finem, ut in Concilio futuro congregati ſibi caverent ab exemplo Conſtantienſium, ubi veritas vi fuerit impugnata & oppreſſa. 6) Epiſtola ad *Ieſelium*, iudæum rosheimenſem. 533. Cui denegat interceſſionales ad Electorem Sax. quia iudæi eiusmodi favore abuſi ſint, atque ea cœperint agere, quæ chriſtianis minime ſunt toleranda. Se quidem ſenſiſſe, atque iam ſentire, iudæos humaniter eſſe tractandos, ſi forte Dei gratia ad pœnitentiam ſe convertant, Ieſumque pro Meſſia agnoſcant. Tempus a Daniele præfixum dudum effluxiſſe, nec finem eſſe ipſorum exilii. Cur? quia non recipiant eum, qui inter ipſos natus ac paſſus eſt. Ipſos quidem identidem dicere, Ieſum noſtrum fuiſſe condemnatum & cruciferum; ſed cogitare debere,

Digitized by Google

nullum ex prophetis iudaicis fuiſſe, qui non fuerit reprobatus maleque tractatus. 7) Lugenda ſeu Legenda mendax de *Ioanne* chryſoſtomo ad SS. Patres in concilio mantuano. 534. Vbi in præfat. dicit, ſe quidem ipſum ad Concilium properaſſe, huic autem cum non poſſit adeſſe corpore, ob infirmitatem, & pecuniæ inopiam, tamen ſcripto præſentem eſſe velle. 8) Deprecatio pro paupere paſtore, ad Prælatum aliquem. 540. Rogat, ut ei ſubveniat, & loco 20. florenorum, quos in ſalarium conſtituit, 100. ut olim, ſolvat, & famæ ſuæ conſulat. 9) Præfatio in Ambroſii *Moibani* Explicationem *Marci* 16, 15. 16. p. 541. De prædicando ubivis euangelio. Dolet autem in illa, tam Lutheranos, quam Pontificios plurimos impie vivere, & fidem abiicere. 10) Epiſtola ad Heluetios de concordia wittebergenſi. 542. Qua teſtatur, eos recte ſentire de verbo externo, baptiſmo, & clave ligante. Quodque attinet ad S. cœnam, nos nec deſcenſum aut aſcenſionem Chriſti docere, ubi illa peragitur, nec modum definire, quo ſit præſens corpus & ſanguis eius, ſed ſimpliciter inhærere verbis inſtitutionis: & ſi quid adhuc dubii reſtet inter utramque partem, exercendam utrinque eſſe humanitatem, & ſuſpiciones miſſas faciendas. Ad hanc epiſtolam reſponderunt Helvetii Tiguro d. 4. Maii A. 1538. eorumque verba adducit G. *Calixtus* de Toler. Reformator. n. LXXIII.

A. 1538. 1) Articuli chriſtianæ doctrinæ, qui Concilio mantuano erat offerendi, auctore *Luthero.* Cum Præfatione. 544. 2) De poteſtate Papæ & Epiſcoporum. 558. Quod ſcriptum non eſt Lutheri, ſed *theologorum* Smalcaldiæ, poſt Lutheri diſceſſum, adhuc congregatorum, in eoque reiiciuntur hæc tria: 1. Papam romanum iure divino omnium epiſcoporum & paſtorum eſſe primum. 2. eundem iure humano duplicem gerere gladium, ita ut Reges ac Principes conſtituere & deponere, ac mundana regna ordinare poſſit pro lubitu. 3. & hoc credendum eſſe ſub periculo ſalutis. 3) Præfatio in Galeatii *Capellæ* Hiſtoriam. 566. Quem laudat, ut genuinum hiſtoricum. Ceterum ait optimum informandi modum fieri per exempla, ea autem tradi in Hiſtoriis, atque ex his fluxiſſe omnia iura, artes, conſilia, dehortationes, minas, terrores, ſapientiam, prudentiam, cum omnibus virtutibus; ideoque & hiſtoricos mortalium utiliſſimos eſſe, optimosque doctores: Monar-

Digitized by Google

Monarchas & Principes curare debere, ut res ſui temporis in litteras redigantur, atque in tabulariis aſſerventur; ſed, qui hiſtoricorum munere funguntur, debere eſſe veraces, magnanimos, integros, atque extra invidiam & adulationem poſitos. 4) Severum & iratum ſcriptum contra M. Sim. *Lemnii* Epigrammata. 568. Libellum iſtum habet pro famoſo, non tantum quia marium & feminarum honeſtarum famam impie violat, ſed & epiſcopum halenſem *Albertum*, hominem mendacem, laudibus effert. Ceterum petit, ut, quisquis turpiſſimum libellum poſſidet, Vulcano eum conſecret. 5) Præfatio in Conſilium delectorum Cardinalium & Prælatorum, iuſſu PAULI III. P. R. de Reformatione eccleſiæ. 569. Id hac fini ſcriptum eſſe credit, ne opus videatur eſſe Concilio; eandemque ob cauſam editam fuiſſe Reformationem Curiæ romanæ. 6) Conſilium ad virum probum, cuius uxor ab alio fuit compreſſa. 570. Monſtrat difficultates, iuxta Ius canonicum, & Iudicium Proteſtantium, ſuadetque, ut eam, ſi veniam petierit, cum melioris promiſſione vitæ, retineat, eique ignoſcat. 7) Præfatio in libellum, quid Papa in comitiis noriberg. a Cæſ. Maieſt. & Statibus Imperii, cauſſæ lutheranæ ergo, deſideraverit & expetiverit. 571. Papiſtas ait ſe ornare noſtris plumis, atque ex libris noſtris mutuari, quæ ad rem ſuam colorandam faciant; præ ſe etiam ferre reformationem Curiæ & Eccleſiæ romanæ, atque annatas nomen ferre theſauri contra Turcas colligendi; ſed hiſce omnibus ſubeſſe fraudes. 8) Præfatio in III. Symbola. 572. Apoſtolicum videl. Athanaſianum, & Ambroſio-Auguſtinianum: Sic teſtari voluit Lutherus, ſe facere cum orthodoxa eccleſia, non vero cum falſa & gloriabunda, quæ multum idololatriæ, iuxta præclaras haſce confeſſiones, ſubintroduxit. Vide *Lutheri* præfat. germ. in prophetas.

Tomo VII.

Adhuc A. 1538. 1) Inſtructio Viſitatorum eccleſiæ ad paſtores in Electoratu ſaxonico. p. 1. Cum præfatione *Lutheri*, in qua monſtrat utilitatem eiusmodi viſitationum. Ipſe etiam eſt auctor huius Inſtructionis, dum ea, quæ viſitatores IV. Ioannes *von der Planiz*, Hieron. *Schurf*, Aſmus *von Haubiz*, & Phil. *Melanchthon* obſervarunt, & vel abroganda, vel ad uſum transferenda iudicarunt,

runt, collegit, & in uſum paſtorum edidit. Tractantur autem ſequentia capita: de doctrina, X. præceptis, vera chriſtiana oratione, calamitatibus, ſacramento baptiſmi, ſacramento corp. & ſanguinis Chriſti, vera chriſtiana confeſſione peccatorum, de humana conſtitutione eccleſiaſtica, re matrimoniali, libero arbitrio, chriſtiana libertate, Turcorum gente, quotidianis in eccleſia exercitiis, vera chriſtiana excommunicatione, conſtitutione ſuperintendentium, & ſcholis primæ, ſecundæ, & tertiæ claſſis. 2) Commendatio alicuius æthiopis. 21. Vt locupletiores ei ſuccurrant manu liberali: nam Deum nos tentare eiusmodi exteris, & interdum non nullos eorum meliores fieri iis, qui ſibi orthodoxi videntur, ſicut habemus exempla in decimo leproſorum, & centurione capernaumitico. 3) Explicatio dicti *Gal.* 1, 4. p. 22. 4) Præfatio in Iuſti *Menii* librum, quomodo ſinguli chriſtiani erga doctrinam, ſive bona ſive mala ſit, ſe gerere debeant. 30. In illa autem docetur, nunquam in chriſtianitate eſſe quietem a ſectis, hæreſibus, falſis fratribus, aliaque diaboli progenie: & talia Deum permittere, ut reſpiciamus & honoremus verbum ſuum, non homines, aut humana. 5) Epiſtola contra Sabbatarios. 31. Qui contendebant, circumciſionem eſſe continuandam, Meſſiam nondum veniſſe, iudaicam legem durare æternum debere, atque ab omnibus gentibus recipiendam. 6) Explicatio capitis XIV. XV. & XVI. *Ioannis.* 42. Pro concione facta.

A. 1539. 1) Conſolatoria ad virum nobilem de morte uxoris. 217. Deum non odiſſe eum, quia ipſe Deum non oderit: debere igitur ſic admittere virgam Dei, ut tamen de paterno eius amore nullus dubitet, mediisque in doloribus paci Dei, quæ omnem ſuperat rationem, concedat locum. 2) De conciliis & eccleſia. 218. Ait, Papam huc usque fucum feciſſe Imperatori promiſſione concilii: neque enim ſerio id velle dare, & liberum quidem, ſed tale, in quo ne hilum quidem recedat a receptis dogmatibus & ritibus. Et ſic porro agit de auctoritate ſcriptorum, a Patribus eccleſiæ profectorum, de traditione Concilii apoſtolici *Act.* 15, 28. 29. de IV. conciliis oecumenicis, de *Neſtorii* & *Eutychis* ſententia, & de eo, quid ſit Concilium. 3) *Lutheri* & aliquot *theologorum vvitteberg.* Iudicia de defenſione, ſi euangelici Principes ab aliis Imperii Principibus, aut ipſo etiam Imperatore, euangelii cauſſa,

cauſſa, armis laceſſerentur. 276. Reſiſtendum eſſe Principibus, ut latronibus & homicidis; Imperatori autem, non ut tali, ſed ut inſtrumento, quo Papa abutitur. 4) Contra *Antinomos.* 286. Qui cum Io. *Agricola*, ſuo capite, legem Decalogi ex Eccleſia in Curiam relegatum ibant. *Lutherus* negat ſe cum illis facere, & Agricolæ, ad ipſius deſiderium, præſcribit formulam recantationis. 5) Poſitiones *alicuius antimoni*, cum earum refutatione, ſive VI. diſpp. *Lutheri.* 290. Ad hunc relatæ annum, quia ſectæ huius in præſente Tomo, atque hoc tempore, primum facta eſt mentio. 6) Relatio de Io. Islebii [ſive Agricolæ] falſa doctrina & turpi facto cum reſponſione ad vanas eius querelas. 299. Per turpe autem factum intelligitur eius dolus, quo Io. Luſtium induxit ad imprimendum Poſtillam ſuam, mentiens, Lutherum eam cenſuiſſe, & adprobaſſe. 7) Præfatio in Io. *Sutelii* Explicationem euangelii *Luc.* 19, 41-48. de Ieruſalemi everſione. 304. Mundum adeo perverſum eſſe, & in dies fieri peiorem, ut plane neceſſarium ſit, divinæ exempla ultionis hominibus proponere & inculcare, ſi forte eorum intuitu perterriti ad pœnitentiam ſe velint convertere. Quod niſi fiat, vereri ſe, ne Germaniæ aliquando idem eveniat, quod Ieruſalemo. 8) Explicatio *pſalmi* CX. de regno Chriſti, facta pro concione, & excepta editaque a Caſp. *Crucigero.* 305. 9) Conſilium ad *Henricum*, Ducem Sax. de Miſſis privatis. 354. Eas, quia ſunt idololatricæ, eſſe abolendas; monachis autem tantiſper permitti poſſe, ut horas cantent, ſibique ipſis ſermones habeant. 10) Contra Cardinalem ALBERTVM, epiſcopum magdeburgenſem. 354. Quo ſcripto defendit Io. *Schenizium*, quem Cardinalis inauditum, tanquam furem, condemnavit ad ſupplicium patibuli, atque ita ſe ipſum reddidit iudicem iniuſtum & homicidam. 11) *Lutheri* ceterorumque *theologorum vvitteberg.* Conſilium ad Senatum noriberg. de communi & privata abſolutione. 369. In diſſidio Andr. *Oſiandri* & aliorum paſtorum noribergenſium. Vtramque partem piam habere intentionem; & privatam quidem abſolutionem eſſe chriſtianam & cum ſolatio coniunctam, non tamen ita neceſſariam, quaſi non poſſit ſine illa obtineri remiſſio peccatorum: promiſſiones gratiæ eſſe univerſales, a quibus nemo ſe debeat excludere: diſtinguendum inter prædicationem & iuriſdictionem, & publica quidem peccata coërceri

Digitized by Google

iuriſdictione, reliqua omnia per miniſterium verbi, & quamvis abſolutionem fieri, ſaltem tacite, ſub conditione fidei: & quia Oſiander ad communem nauſeat abſolutionem, eum ad illam non eſſe cogendum, ſed & eundem a condemnatione alterius partis, quæ communi abſolutione utitur, abſtinere debere, ceterum bonum & chriſtianum de clave ligante iudicium inſignem virum illum tuliſſe. 12) Conſolatoria ad Io. *Mantelium* contra tentationem mortis. 371. Chriſtum pro nobis paſſum & mortuum eſſe, ut morte ſua mortem noſtram abſorberet, & nos, ſicut ille, reſurgeremus aliquando ad vitam æternam. 13) Admonitio ad conſulem alicuius urbis. 372. Vt aboleat corruptelam coemeterii, atque ita tandem honos adhibeatur piis in eo dormientibus.

A. 1540. 1) Ad paſtores, ut declament contra uſuras. 372. Quidquid enim ultra ſortem vel ſummam exigitur, illud uſuram eſſe, & quidem illicitam ac pernicioſam, niſi eluas pœnitentia. 2) Epiſtola ad Io. *Fridericum*, Elect. Sax. ut mandato inſtruat legatos Hagenoviam. 390. Huius videlicet tenoris, ne poſſint aut debeant recedere ab eo, quod nuper Smalcaldiæ fuit concluſum. 3) Præfatio in Confeſſionem Roberti *Barneſii*, angli, quam edidit, cum ad rogum duceretur. 391. Ad hoc autem ſupplicium condemnatus fuit ab *Henrico* IIX. Rege Britann. quia noluit conſentire in eius repudium: quæ cauſſa etiam Thomæ *Moro*, & Io. *Fiſchero*, epiſcopo roffenſi, capitalis fuit. 4) Extractum e ſcripto *Lutheri* ad Principem aliquem. 392. Quem rogat, ut eccleſiæ & ſcholarum curam gerat, quo euangelium ſine impedimento propagari poſſit.

A. 1541. 1) Conſolatoria ad Frid. *Myconium*, qui diu laboraverat phthiſi. 392. Mortem piorum non eſſe mortem, ſed dulcem ſomnum; interim ſe optare, ut Deus Myconium ſervet, ſe autem, tanquam enervatum & inutilem, hinc migrare iubeat. Qua epiſtola Myconius adeo fuit erectus & confortatus, ut poſt eam ſexennium viveret, atque eccleſiæ Chriſti ſeruiret. 2) Alia ad Paſtorem, multis calamitatibus expoſitum. 393. Mendaces æque ac hæreticos, vitandos: Iudas ac Demades aliquandiu propter paucos, qui in magno cœtu convertendi ac ſalvandi ſunt, tolerandos: ſi vero populus impium imitatur paſtorem, pulverem a pedibus excutiendum, ſolumque vertendum eſſe. 3) II. Concio-

nes

nes in baptiſmum infantis Bernhardi, Principis anhaltini, *Ioannis* filii, *Matth.* 3, 13-17. 4) Contra *Henricum*, Ducem Brunſvic. quem *Hans Worſt* vocat. 406. Opponit hoc ſcriptum alii Henrici Ducis, in quo ille Electorem Saxonicum, Lutherum, eiusque ſocios convicio hæreticorum & ſeditioſorum oneravit, & doctrinam euangelicam evertere laboravit. Agitur hic inter alia de eccleſia, atque initio motuum lutheranorum: quod quidem adſcribendum *Alberto* Card. & Elect. moguntino, qui, ut pallium redimere poſſet, Tetzelium ablegavit ad prædicandum & vendendum indulgentias pro pecunia. 5) Præfatio in Caſp. *Güttelii* concionem. 431. Iubet nomen ſuum, ceu exoſum & inviſum, deleri, ſicubi illo in libello appareat, docens præterea, Conciliorum traditiones non eſſe verbo Dei æquiparandas, multo minus præferendas. 6) Præfatio in Vrbani *Regii* Explicationem *pſalmi* LII. contra ſanguinolentos Saulitas & Doëgitas. 432. Fatetur, Regium non opus habere ſua præfatione, nam per ſe eſſe & doctiſſimum & celeberrimum; ſe autem ita tantum confirmare voluiſſe eius dicta, quibus magnum euangelii hoſtem, igne, laqueo, & gladio ſævientem, graphice deſcribit. 7) Adhortatio ad orationem contra Turcam. 433. Hanc pœnam nos commeruiſſe peccatis noſtris: multos enim, immo plurimos euangelicorum non ſe gratos exhibere propter euangelii lucem, ſed ita vivere, quaſi verbum Dei ipſis eum in finem ſit datum, ut liberi ſint ab obſervatione præceptorum divinorum; paſſim graſſari ſectas, avaritiam, uſuras, iniuſtitiam, oppreſſionem tenuiorum; orandum autem eſſe ſine dubitatione, & ſine præſcriptione temporis, modi ac menſuræ. 8) Epiſtola ad Principem aliquem de transſubſtantiatione. 441. Ait, ſe audiviſſe, de ea actum eſſe Ratisbonæ: eſſe autem merum Papæ commentum, nec inde faciendum articulum fidei; neque etiam ex circumgeſtatione, reſervatione in ciborio, & eleuatione; adorationem autem in ſumendo per ſeſe accidere, cum genibus flexis verum corpus & verus ſanguis ſumitur ſine diſputatione. 9) Principum aliquot Proteſtantium Petitio ad Lutherum. 442. Vt media proponat, quibus concordia poſſet fieri inter Romano-catholicos & Proteſtantes, poſtquam iam actum ſit de præcipuis articulis, videl. iuſtificatione, (cuius doctrinam puram ipſe primus reduxerit) eique annexis aliis: Cæſarem enim quam

Digitized by Google

maxime deſiderare concordiam, eamque Germaniæ in perturbato hoc rerum ſtatu, & ingruente a Turcis periculo, oppido fore utilem, præſertim cum ipſe ita ſe declaraſſet *Lutherus*, ſi doctrina relinqueretur pura & libera, & communio ſub utraque populo redderetur, tolerantiam in reliquis articulis fieri poſſe. Ad hanc petitionem reſpondet *Lutherus*, vix ſibi videri conciliatos eſſe IV. articulos, quia in iis adverſa pars mentionem faciat liberi arbitrii, atque in doctrina de iuſtificatione adducat, tanquam dictum probans illud *Gal.* 5, 6. *Fides per caritatem efficax eſt:* cumque retineat adhuc X. articulos, qui illos IV. evertunt, clare patere, adverſarios non habere ſerium concordiæ ſtudium: ſi tamen IV. illi articuli pure prædicandi permittantur, Imperatoriam Mateſtatem in Edicto ſuo poſſe hoc addere, quamvis X. articuli nec dum potuerint ad conſenſum reduci, ſperandum tamen, fore, ut illi ex pura IV. præcipuorum prædicatione elucidari & conciliari queant. 10) III. Epp. ad Io. *Fridericum*, Elect. Sax. in quarum prima 1. improbat conciliationem, quam cum noſtratibus pars tentavit adverſa in articulo de iuſtificatione, nam dictum *Gal.* 5, 6. non loqui de iuſtum fieri, ſed de vita iuſtorum; diverſa autem eſſe, *Fieri* & *Agere*, *Eſſe* & *Facere:* adverſarios enim uſu illius dicti hoc intendere, hominem iuſtificari non fide tantum, ſed etiam per opera; hoc autem eſſe falſum, nec concedi unquam poſſe. 2. diſſuadet iter Electoris ad Comitia ratisbonenſia: in ſecunda librum de Reformatione ait eſſe Sax. Ducis, *Georgii*, ſibique valde placere, quod Philippus (*Melanchthon*) falſitates ſatisfactionis & Miſſæ tam bene oſtenderit: in tertia, religionum conciliationem eſſe fraudem moguntinam & papiſticam, nec credendum, adverſarios ſerio rem agere, niſi aperte confiteantur, ſeſe enormiter exceſſiſſe, Papamque, qui inde a XX. annis multos pios homines ob euangelii confeſſionem ſuppliciis affecit, aut affici permiſit, graviter peccaſſe; Confeſſionem cum Apologia mittendas eſſe Ratisbonam, & per legatos offerendas Cæſari, hac cum declaratione, non poſſe nos ſalva inde recedere conſcientia. 11) Epiſtola ad oratorem aliquem aulicum, de miniſtris eccleſiæ contributione ad bellum turcicum minime gravandis. 448. Idem enim eſſe, ac ſi contributio exigeretur ab ipſis bonis eccleſiaſticis; miniſtros quippe eccleſiarum nihil habere proprii.

Tomo

Digitized by Google

Tomo IIX.

A. 1542. 1) Exemplum conſecrationis veri chriſtiani epiſcopi. p. 1. In epiſcopo naumburgenſi, quem, Capitulo electionem euangelici recuſante, eccleſia illius loci elegit, & Proteſtantibus antiſtitibus conſecrandum dedit. Vbi pariter ad tres haſce obiectiones reſpondet: 1. eſſe contra liberam Capituli electionem. 2. membra Capituli, ſine læſione iuris iurandi conſcientiæque ſuæ alii, quam ab ipſis electo, fidem polliceri non poſſe. 3. nefas eſſe conſecrari ab hæreticis. 2) Fr. *Richardi*, dominicani, Confutatio Alcorani, in germanicum translata a Luthero. 11. Alicubi autem obſervante G. *Calixto*, idque in Bibliandrina Collectione ſcriptor. alcoranicor. P. II. p. 83. quam ex eius bibliotheca accepi, ſua manu adnotante, tantum in epitomen contraxit Lutherus. 3) Præfatio in Franciſcanorum Eulenſpiegel & Alcoranum 38. Quem librum vocat *Librum conformitatum*, eoque comprehenduntur Legendæ *Franciſci*, (quales etiam dantur *Benedicti*) quarum tenebris & fabulis olim obſcuratæ & deceptæ fuerunt mentes hominum. Improbat autem, illos tantopere commendari & inculcari non tantum populo, ſed etiam clericis & monachis, addens, ſi *Franciſcus* & *Benedictus* ſalvi facti ſunt, de quo quidem nolit dubitare, nec nobis deſperandum eſſe; Papam autem cum verbo Dei tam ægre poſſe conciliari, quam Chriſtum cum Beliale. 4) Admonitio ad pacem, tempore tumultus wurzeniani, ad *Io. Fridericum* Electorem, & *Mauricium* Ducem Saxoniæ. 40. Beatos eſſe pacificos, damnandos autem vindictæ & belli cupidos; ſe ad illius conceſſurum partes, qui invaſionem patitur ab altero, eique, qui patitur, eiusque militibus abſolutionem peccatorum inperiturum; quicunque autem ſub truculento Martis mancipio militant, aufugere debere, animamque ſervare ſuam, & implacabilem atque inſanum Principem relinquere ſolum. 5) Præfatio in Io. *Spangenbergii* Poſtillam. 43. Chriſtum dominum noſtrum, eſſe myſterium; non omnes, qui hodie ſcribunt, eſſe puros; Scripturam S. præcipue paſtoribus & doctoribus, diligenter eſſe legendam, meditandam, docendam, & vita exprimendam. 6) Iudicia de mulieribus in puerperio morientibus, baptiſmo infantum ab alia perſona, quam ordinario miniſtro eccleſiæ peracto, & infantibus expoſititiis, de

 qui-

Digitized by Google

quibus non conſtat, ſintne baptizati, nec ne. 44. Mulieres illas mori in vocatione ſua, adeoque beatis adſcribendas, ſi in fide moriantur: infantem, cuius membrum aliquod ex utero prominet, nedum integrum adhuc in utero hærentem, non eſſe baptizandum: in caſu neceſſitatis licitum eſſe baptiſmum, etiam a muliere factum, modo teſtes aliqui adſint; deinde autem infantem, ſi ſupervivit, in ædem ſacram perferendum, atque a miniſtro eccleſiæ, confirmationis ergo, conſecrandum, ſed ſine uſu exorciſmi: expoſitum infantem, de cuius baptiſmo non liqueat, baptizandum, etiam illum, qui a matre, omni hominum conſortio in & poſt partum deſtituta, baptizatus eſt. 7) Conſolatio mulierum, infantes mortuos enixarum. 46. Dei voluntatem noſtra longe meliorem eſſe, earumque vota ac deſideria pro infantum baptiſmo a Deo recipi piarum inſtar precum, nec dubium, eos ad ſalutem pervenire: multa enim Deum facere intuitu fidei & voti ſeu deprecationis alienæ, ſicut doceat exemplum viduæ nainiticæ, *Luc.* 7, 13. & regii illius miniſtri *Io.* 4, 50. 8) Conſolatoria ad Io. *Cellarii* viduam. 48. Eius malum non eſſe omnium maximum, &, ſi vel maxime cunctorum hominum mala in unum poſſent conferri cumulum, illa tamen longiſſime ſuperari a paſſione Chriſti, pro nobis facta: hinc igitur petendum ſolatium, Chriſtum enim infinitis modis præſtare maritis, coniugibus, liberis, & quibus aliis cunque, quæ nobis cara & iucunda ſint. 9) Conſolatoria pro eo, cui facultates ſuæ ſunt ablatæ. 48. Patientem non eſſe ſolum, qui affligitur: reſpiciendum eſſe *Iobum*, qui omnibus fuit privatus bonis, & bonum tamen vidit exitum: debere eum curas ſuas reiicere in Dominum, cui ipſe ſit curæ cordique: omnes noſtras calamitates nihil eſſe reſpectu paſſionis Chriſti, easque leviores fore, ſi nos fide & patientia eſſemus fortiores.

A. 1543. 1) De iudæis, eorumque mendaciis. 49. Scriptus eſt hic tractatus propterea, quod iudæi non ceſſarent allicere chriſtianos ad ſuam religionem; hortatur igitur auctor, ut hi ab illis ſibi caueant. Habetque IV. libros ſive partes: prima continet iudæorum gloriationes, ſe eſſe ſemen Abrahæ. 2. ſibi a Deo commendatam circumciſionem. 3. datamque legem. 4. ſe poſſediſſe terram Canaan, ac tenuiſſe urbem Ieruſalem cum templo: in ſecunda probatur, Meſſiam veniſſe, ex *Gen.* 49, 10. 2. *Sam.* (*Reg.*) 23, 1. & ſeqq.

Digitized by Google

ſeqq. *Ier.* 33, 14. & ſeqq. *Hagg.* 2, 7-10. *Dan.* 9, 24-26. tertia compeſcit eorum convicia & blaſphemias contra Chriſtum, appellando eum magum & diaboli inſtrumentum, Ieſu, id eſt, ter centum & ſedecim, ſpurium, conceptum fuiſſe in matris impuritate, matrem vero eius *Hariam*, id eſt, ſterquilinum: in quarta agitur de diſcrimine Meſſiæ chriſtiani & iudaici, & quid utraque gens a ſuo exſpectet petatque Meſſia. Refutantur autem eorum & gloriationes, & convicia, & falſæ dictorum ſacrorum interpretationes. 2) Conſolatoria ad uxorem aliquam, cui ex impatientia & ira malum excidit verbum, ſeu dira imprecatio, cuius cauſſa nunc tentatur, metuitque, ne diaboli, quem aliis imprecata fuerat, mancipium eſſe debeat. 106. Diaboli inſpirationi non eſſe credendum, quippe qui ſit mendaciſſimus, ſed verbo Dei, quod docet, Chriſtum propterea eſſe mortuum, ut omnes eos, qui ſub poteſtate diaboli ſunt, liberaret, atque hoc verbum per abſolutionem annunciare miniſtros eccleſiæ: hiſce igitur credendum eſſe, diabolum vero eum ſuis ſuggeſtionibus propellendum. 3) Dehortatoria ad nobiles quosdam, ne paſtorem ſuum, quem ob vitiorum taxationem odio proſequuntur, virum alioqui pure docentem, pieque viventem, a munere ſuo dimittant. 106. Munus enim hoc non eſſe hominum, ſed Chriſti; Chriſtum igitur perſequi, qui perſequatur eius miniſtrum, eumque bene meritum, nec tantum facere iniuriam homini innocenti, ſed maximum etiam inferre damnum eccleſiæ, privando eam fideli doctore, in cuius locum non facile quiſpiam ſit conceſſurus: ſe ſe nolle eos impii huius propoſiti cauſſa excommunicare, at ipſosmet ſe iam excommunicaſſe; reſipiſcere igitur debere, paſtorem ſibi reconciliare, eidemque libertatem relinquere docendi, redarguendi, conſolandi, ſicut ipſum decet ratione muneris. 4) De Schem hamphoras, & genealogia Chriſti, *Matth.* 1, 1-17. p. 108. Illud eſſe luſum ex meris litteris; hanc autem oſtendere, Ieſum noſtrum fuiſſe e familia Davidis, quia mater eius ex eadem prouenerit. 5) Præfatio in Wenceſl. *Linckii* Annotationes in V. libros Moſis. 135. Moſen eſſe abyſſum omnis ſapientiæ: non eſſe modum librorum, nec bonorum tamen librorum dari ſuperabundantiam; atque his annumerandas *Linckii* Annotationes. 6) De ultimis verbis Davidis. 2. *Sam.* (*Reg.*) 23, 1-7. p. 137. Quibus articulus de S. Trinitate, &

& differentia trium perſonarum, item de divinitate & humanitate Chriſti præclare exponitur. Lutherus autem verba illa interpretatur non ſecundum verſionem iam datam, ſed ſuo in præſenti iudicio; ſic enim profitetur p. 138. 157. & 170. 7) Epiſtola ad omnes paſtores ephoriæ wittebergenſis. 170. Vt populum hortarentur ad pœnitentiam & preces, Turcis ingruentibus. Etiamſi non ſit finis vitiorum, ne inter ipſos quidem euangelicos, paſtores tamen non deſiſtere debere a prædicatione pœnitentiæ, & adhortatione ad vitam ſanctam Deoque placentem. Zelo ardens, in hæc tandem erumpit verba: *Qui non vult reſipiſcere ac fieri melior in Dei nomine, is fiat, ſi ita vult, peior in nomine diaboli.* 8) Iudicium de cærimoniis & excommunicatione. 171. Illarum renovatio improbatur, huius autem reductio, ſi fieri poſſet, probatur, & utilis cenſetur, oppreſſio autem & excoriatio miſerorum ſubditorum omnibus damnatur modis, & liberatio a Deo expetitur. 9) Dehortatio ad ſtudioſos wittebergenſes. 172. Vt ſibi caueant a meretricibus infectis & inficientibus: diabolum eas ablegaſſe Wittebergam, ut ſtudioſam corrumperent inventutem: hic autem eſſe eccleſiam & ſcholam chriſtianam, ubi diſcendum verbum Dei, virtutes, & caſtitas: ſtultos iuvenes nihil velle pati, ſed quamvis uſtionem meretricia conſuetudine curare velle, cum potius deberent obviam ire deſideriis carnis, iisque reſiſtere: ſingulos vitare debere turpiſſimas iſtas veneres, Deumque ut probam ſibi det uxorem rogare; nihilominus ſatis fore negotii. 10) Deprecatoria ad miniſtrum aulicum pro paupere vidua & orphanis defuncti alicuius ſacerdotis. 172. Vt commendet eam ſuo Principi, tantiſper alendam, donec tranſire poſſit ad ſecundas nuptias. Viduabus paſtorum egenis iure meritoque tertiam aut quartam redituum, quibus viri fruebantur, dandam eſſe partem; ſed mundum tam eſſe pravum, ut eos malit ad ſe rapere. 11) Conſolatoria ad Wolfg. *Heinzium*, quem uxor fecit viduum. 146. Vitam hanc miſeriis eſſe mancipatam, ut diſcamus, quam parvæ ſint omnes illæ reſpectu miſeriæ & damnationis æternæ, a qua liberati ſumus per Chriſtum; hunc fore & manſurum noſtrum, ſi omnia prætereant, noſque hinc migrare oporteat. 12) Iudicium & brevis reſponſio ad Caſp. *Schvvenckfeldii* litteras cum libello aliquo. 146. Ipſum in Sileſia incendium excitaſſe contra ſacramentum, mox faviſſe eutychiſmo, nihilque in-

Digitized by Google

intelligere, ſed inſanum eſſe ſtultum, atque a diabolo obſeſſum, eundemque cacodæmonem libellos ex eo eructare & evomere, tandemque vovet, ut Dominus eum, ſatanam, increpet, eiusque, & Sacramentariorum, atque Eutychianorum ſpiritus ſit in perditionem.

A. 1544. 1) Brevis confeſſio de ſ. cœna. 147. Qua ſe declarat, tantum abeſſe, ut faciat cum Sacramentariis, quorum nomine comprehendit *Carolſtadium*, *Zvinglium*, *Oecolampadium*, *Schvvenckfeldium*, ut eos, tanquam ſectarios, ſacramenti hoſtes, & hæreticos condemnet, deque ſalute *Zvinglii*, ut ſacramenti hoſtis, ethnicorumque aliquot ſervatoris, fere dubitet. Recenſet etiam varias verborum Chriſti, *Hoc eſt corpus meum*, expoſitiones, videlicet 1. *Carolſtadii*, Hic *ſedet* corpus meum; 2. *Zuinglii*, Hoc *ſignificat* corpus meum; 3. *Oecolampadii*, Hoc eſt *ſignum corporis mei*; 4. *Schvvenckfeldii*, Corpus meum, quod pro vobis traditur, *eſt hoc*, puta, cibus ſpiritualis; Io. *Campani*, Hic panis eſt *corpus per ſe*, ſive corpus ex pane; aliorum, Id, *quod pro vobis traditur*, *eſt corpus* meum; aliorum, Hoc eſt *memoriale corporis mei*; & rurſus aliorum, Nulla hic opus eſt diſputatione, *Cuivis liberum eſt ea de re ſtatuere, quidquid libuerit*; non enim hic tradi aiunt caput aliquod fidei. 2) Conſolatoria ad Hieron. Paumgartneri, carceri incluſi, uxorem. 183. Deum ſuos, inter quos omnino ſit eius maritus, vir præſtans fide Chriſti, quam & confeſſione & operibus expreſſerit, non deſerere; triſtitiam in gaudium converſum iri; noſtram paſſionem longe minorem eſſe paſſione Chriſti, quæ nobis in omni calamitate poſſit eſſe ſolatio. 3) Concio in epiſtolam feſti SS. angelorum, *Apocal.* 12, 7-12. p. 184. De SS. angelis. 4) Præfatio in librum Iuſti *Menii* de ſpiritu Anabaptiſtarum. 190. Atque hunc tam potenter refutaſſe hæreſin Anabaptiſtarum, ut, ſi vacca rationem haberet, fateri cogeretur, omnia eſſe vera, & nihil ſubeſſe falſi. 5) Conſolatoria ad Georg. *Spalatinum*, triſtitia & mœrore ſpiritus oppreſſum. 191. Eo, quod paſtori alicui matrimonium conceſſiſſet cum defunctæ ſuæ uxoris nouerca. Dicit igitur ſcriptor, ſi vel maxime ſit in culpa *Spalatinus*, eum tamen non propterea eo usque mœrori indulgere debere, ut ſibi mortem attrahat; Chriſtum non eſſe fictum & pictum, exiguum & puerilem ſervatorem, qui tollat minora tantum peccata, ſed magnum, exellen-

tem ac potentiſſimum ſervatorem, qui ſumma, maxima & damnabiliſſima peccata condonare & auferre valeat, dum eorum modo te pœniteat: eumque veniſſe in mundum, ut opera diaboli, ad quæ pertinet animi triſtitia, diſſolvat ac deſtruat. 6) Conſolatoria ad paſtorem aliquem, infirmitate corporis laborantem, atque a malis & improbis hominibus vexatum. 193. Malorum perſecutiones eſſe mercedem fidelitatis ac diligentiæ in munere eccleſiaſtico præſtitæ: tranſeundum eſſe per gloriam & dedecus, per convicia & laudes, per odium & amorem, per amicos & inimicos, uſque dum veniamus in cæleſte illud regnum, paratum nobis ab initio mundi. 7) Concio in *Luc.* 14, 1-11. p. 194. Cum præfatione Caſp. *Crucigeri*, qui concionem hanc edididit. Habita autem fuit in æde nova, quæ ad ſacra inibi peragenda debebat conſecrari. 8) Conſolatoria ad viduam aliquam, ſuper mariti obitu. 203. Eam ſe ſolari debere, 1. quod ille pie obiverit, atque in numero ſit beatorum. 2. voluntatem Dei, iuxta quam ille deceſſerit, omnium eſſe optimam. 9) Alia ad pios parentes, quorum filius ſtudiis addictus in academia obiit. 204. Eos, poſtquam modice doluerint & ploraverint, erigere ſe debere gaudio, Deoque gratias agere, qui tam pium, tamque beatum filio indulſerit exitum: eum iam bene ſtare, & adeptum eſſe, quod nos inter tot ac tantas ærumnas atque afflictiones ſectamur: ipſos impenſas ſuas optime collocaſſe, mittentes eum in ſcholam cæleſtem, omnique felicitate repletam.

A. 1545. 1) Alia ad Principem, ob M. Georg. *Helti*, miniſtri, conſiliarii & olim præceptoris ſui ex hac vita diſceſſum. 204. Acceptandam eſſe Dei voluntatem, qua ille abductus ſit ex his terris, ut probaretur fides, ſpes & caritas noſtra, atque ut in virtutibus iſtis magis magisque proficeremus: Deum maiora poſſe dare, quam quæ auferat. 2) Italicum ſcriptum mendax de morte Lutheri. 206. 3) Præfatio in librum, cui titulus; Papæ fides erga FRIDERICVM Barbaroſſam. 207. Videlicet HADRIANI IV. & ALEXANDRI III. qui peſſime tractarint laudatiſſimum Imperatorem illum; & quidem contra ALEXANDRVM III. quem credit pedem impoſuiſſe cervici auguſtiſſimi, eamque compreſſiſſe, magnas iras gerit, dirumque facinus acerbiſſimis perſtringit verbis. 4) Contra papatum, a diabolo inſtitutum. 208.

Hoc

Digitized by Google

Hoc ſcriptum formatum fuit contra duo PAVLI III. ad Imp. CAROLVM V. Brevia, quibus Imperatori ius indicendi vel nationale concilium competere negat pernegatque; hoc enim eſſe præcipuum Pontificis romani. Contrarium igitur adfirmat *Lutherus*, docens pariter, Concilium eſſe ſupra Pontificem: quid ſit *liberum*, *chriſtianum*, & *germanicum Concilium*: Papas ſæpe inſultaſſe Imperatoribus: hiſce omnino ius eſſe, non nullos eligere ac denominare ad concilium: Papam non eſſe caput chriſtianitatis, nec ſupra Concilia, Imperatores & Angelos; nec habere immunitatem, ut nequeat a Concilio iudicari & deponi; nec Imperium romanum ad Germanos transtuliſſe, ſed id eos accepiſſe a Carolo M. atque Imperatoribus CPtanis. 5) Epiſtola ad *Io. Fridericum* Elect. Sax. & *Philippum* Landgrav. Haſſ. 248. Ne captum *Henricum* Ducem Brunſv. ac Luneb. dimittant: ſpem enim decollaſſe, ad frugem ut redeat. 6) Præfatio in Io. *Frederi* Dialogum, in honorem coniugum, contra Sebaſt. *Franckium* ſcriptum. 255. Se Sebaſt. Franckium indignum iudicaſſe, contra quem ſcriberet; ſcripſiſſe autem hanc præfationem in adverſarii honorem libelli: illum eſſe fanaticum, ſpiritatum, ſacramentarium, & muneris eccleſiaſtici oſorem. 7) Concio in *Io.* 5, 39. *Scrutamini ſcripturas.* 258. Habita Halæ Saxonum. 8) Conſolatoria ad tentatum de prædeſtinatione. 263. Hanc ſcrutationem eſſe illicitam & prohibitam, intuendum autem Chriſtum, eumque amandum, venerandum, imitandum; nam extra eum omnia eſſe terribilia, in ipſo autem ſummam pacem & lætitiam, quæ mœrorem prædeſtinationis facile diſpellat. 9) Concio in *Luc.* 19, 41. 48. p. 264. De ſumma coecitate & ingrato animo pravi mundi, qui clementiſſimam Dei viſitationem non agnoſcit, ſed in peccatis ſuis æternum vult perire.

A. 1546. 1) II. conciones, una de Chriſti baptiſmo, *Matth.* 3, 13-17. altera de converſione Sauli, contra monachos, *Act.* 9, 1-19. Habitæ Halæ Saxonum, paullo ante eius obitum. 2) Concio in *Rom.* 12, 3-6. p. 281. Wittebergæ in ſecunda poſt Epiphaniam dominica habita, eaque ultima. 3) IV. Conciones, recitatæ Islebiæ, paullo ante eius mortem. 285. videlicet. 1. in dominica IV. poſt Epiphaniam, *Matth.* 8, 23-27. 2. in feſto oblationis Ieſu in templo, *Luc.* 2, 22-32. 3. in dominica V. poſt Epiphaniam,

Matth. 13, 24-30. & 4. in feria S. Matthiæ, *Matth.* 11, 25-30. 4) Explicatio multorum inſignium dictorum ſcripturæ S. 309. A Luthero Bibliis patronorum & amicorum inſcripta. 5) Enchiridion, ſive Catechiſmus parvus. 345. 6) Conciones ſacræ, collectæ a *Luthero*. 355. 7) Aliquot iudicia & conſolatoriæ, quæ ſine die repertæ ſunt: 1. Magiſtratum non habere poteſtatem, falſos doctores & hæreticos, niſi ſeditioſi ſint, gladio alioue ſupſupplicio percutiendi. 2. amentes & phreneticos a diabolo quidem vexari, ſed propterea non eſſe damnationis reos. 3. eos, qui expoſiti ſunt incredulitati ac deſperationi, non debere ſolos manere, ſed conſortium hominum quærere, deque pſalmis & dictis conſolatoriis loqui; debere etiam eſſe certos, graves iſtas & triſtes cogitationes non eſſe ipſorum proprias, ſed inſpiratas a ſatana; non debere illis inhærere, ſed miſſas facere; debere credere, quodvis verbum ſolatii, quod aud'ant a viro pio ac probo, eſſe Dei verbum, cui firmiter credi poſſit; debere rogare alios, ut pro ſe orent Deum optimum maximum, ac credere, per preces auxilium ſe impetraturos; denique, ſi non tam facile recedit tentatio, debere eam patienter ferre, & magis magiſque reſiſtere inſultibus ſatanæ, donec ex *pſ.* 129, 2. poſſint cantare: *Multum me affecerunt anguſtiis, at tamen non prævaluerunt mihi.* 4. Concordatum Stetinenſium cum Canonicis ſeſe non improbare, Canonicos tamen teneri cum reliquis civibus onera ferre communia; neque Cæſarem eos eximere poſſe, cum Deus velit dari Magiſtratui, quod eius eſt; itaque Canonicos primum amice monendos eſſe, debitum ſuum ut præſtent; ſin, auctoritate Magiſtratus adigendos ad officium ſubditorum. 5. Viros nobiles debere contentos eſſe eiusmodi paſtoribus, qui verbum Dei pure docent, & legitime adminiſtrant ſacramenta, etiamſi non ſint exquiſita eruditione præditi: ſi velint habere meros *Auguſtinos* & *Ambroſios*, ipſos ſibi eos comparare debere, cogitantes, etiam Principem contentum eſſe oportere, ſi in tota nobilitate ſua tres ſint, quibus eximia concredi poſſint munera. 6. Valde ingratos ubivis eſſe homines pro divini dono verbi, eiusque miniſtros contemnere. 7. Sponſalia liberorum, ſub poteſtate patria hærentium, clandeſtina, minime eſſe probanda cum ICtis ſive Conſiſtorio wittebergenſi, ſed omnino damnanda, tanquam opera diaboli, turpiſſimamque erga Deum & parentes inobedientiam, e

papatu

Digitized by Google

papatu originem habentem. 8) Propoſitiones contra theologos lovanienſes. 380. In germanicum idioma translatæ a Caſp. *Crucigero.* Vide *Apolog.* libri Concord. p. 281. 9) Iuſti *Ionæ* & Mich. *Celii* Relatio de obitu D. Mart. Lutheri. 383. Qui contigit Islebiæ d. 18. Febr. ſive nocte hanc diem præcedente, circa horam quartam. Islebiam autem hoc tempore venerat, invitatus a Comitibus mansfeldenſibus, ut diſcordias inter ipſos componeret. Vide *Seckendorf.* Lutheran. l. 4. p. 2598. 10) Epitaphium Lutheri. 388. Rhytmice. Atque ita iam abſolvimus prolixam & laborioſam IIX. iſtorum ienenſium Tomorum recenſionem, quæ tamen lectoribus ut utilis, ita & grata, ſpero, futura eſt, quoniam in epitome hic traditur, quidquid in vaſtis illis Tomis, ſingulisque eorum partibus comprehenſum, & latius propoſitum eſt.

Tomo I. ad hircum lipſienſem, id eſt, *Emſerum*, p. 360. b. Tu præter multas improbas epiſtolas, tertium contra me librum *ſcripſiſti*, Thomæ Rhadini; & ne quis venenoſum cor tuum cognoſceret, *Romæ imprimendum curaſti.*	At ipſe Thomas *Rhadinus* illius auctor erat orationis, eamque idem Romæ publicavit. *Seckendorf.* Lutheran. 283.
T. II. 151. b. Etiam hodie Magiſtratum oportet *adulteros ſupplicio mortis afficere.*	Adulteria puniri, Ius ipſum naturæ præcipit; *an* autem *mortis*, aliave pœna afficiendi ſint delinquentes, *id vero dependet a determinatione legislatorum in qualibet Rep.* Vt adeo *a legibus pœnalibus moſaicis* ad omnium aliarum Rerumpubl. leges pœnales apodictice concludi non poſſit. Hier. *Brückner* Deciſ. iur. matrimon. T. II. 270.
Pag. 152. *Si non vult uxor, veniat ancilla.*	Non hic loquitur de adulterii aut fornicationis crimine, quaſi illud ſit permiſſum, ſed de legitima cauſſa divortii. Io.

	Iod. *Beck* diſp. de Coniugal. debiti præſtat. p. 14.
P. 230. b. in Rituali baptiſmi; Quidquid ei ab Adamo annatum, *atque ipſe addidit.*	Hæc verba, *atque etiam ipſe addidit*, includenda erant *parentheſi*, quia non niſi ad adultos pertinent. Chriſtian. *Chemnitius* in Brevi inſtruct. fut. miniſtri eccl. 215. Melch. *Zeidler* diſp. de Peccato actuali infantum p. 72.
Ibid. Auf daſs er mit allen glaubigen *deiner* verheiſſung ewiges *lebens* zu erlangen würdig werde.	Verba illa vel ſic pronuncianda: *Deine* verheiſſung ewiges *lebens* zu erlangen würdig werde; vel ſequente modo: Auf daſs er mit allen glaubigen *deiner* verheiſſung, ewiges leben zu erlangen, würdig werde. *Zeidler* l. c. p. 76.
T. V. 160. b. *Recantatio purgatorii*, per D. M. L.	Io. Wilh. *Peterſen* Aet. euangel. p. 27[illegible] putat, *titulum ipſum non eſſe factum a Luthero*, ſed ab editore.
T. VI. 532. b. *Scriptor ille*, qui Acta concilii (conſtantienſis) germanice deſcripſit, additis multorum inſignium figuris, *cuique libido fuiſſet male ſcribendi de Huſſo.*	Eſt ille Vlricus *de Reichenthal*, eiusque liber in publicum prodiit A. 1483. An autem ab hiſtorici officio recedere maluerit, quam vera narrare, *non liquet.*
Ibid. Sacerdos aliquis *ſeſe obtruſit* Huſſo, quærens, an vellet peccatorum facere confeſſionem.	Ille *vocatus fuit* ad hoc officium, & quidem ab ipſo Reichenthalio, iuſſu & auctoritate ſuperioris alicuius, fortaſſe *Ludovici*, Comitis palatini ad Rhenum. p. 247.

T. IIX.

T. IIX. 340. b. *De ubiquitate ſive omnipræſentia Chriſti non eſt diſputandum.* Aliter hic ſe res habet; neque etiam Scholaſtici hic loquuntur de ubiquitate, ſed ſimplicem de corporali Chriſti præſentia ſenſum retinent. Nimirum *in doctrina de veritate præſentia Chriſti in S. Cœna,* ubi potiſſimum reſpicienda & conſideranda eſt Domini inſtitutio. *Calovius* Harmon. p. 17.

Timoth. *Kirchner*, thuringus, diſtinguendus a Conr. *Kirchero*, Concordant. biblicar. auctore, mira habuit fata, ſedemque ſæpius mutavit, & mutare coactus fuit: primum enim ludi dachwichienſis fuit moderator, deinde paſtor modo Magnæ Furræ, modo dachwichienſis, modo herbslebienſis in Thuringia, modo amfortenſis in archiepiſcopatu magdeburgenſi, modo ienenſis. Paulo poſt, accepta Ienæ laurea doctorali, conſtitutus ibidem fuit profeſſor theologiæ: inde autem pulſus, accepit ephoriam generalem wolffenbuttelenſem, floruitque quam maxima ſapientiſſimi Principis IVLII gratia, ſed ea, ob tractatum de Diſciplina editum, amiſſa, gandersheimenſi inſpectione & lectionibus in pædagogio contentum eſſe oportuit. Reverſo autem ſereniſſimi Ducis favore, pædogogii illius Helmſtadium translati director & profeſſor, transmutatoque pædogogio in academiam, primus eius vicerector & theologiæ profeſſor declaratus fuit. Reperiuntur etiam litteræ, a laudatiſſimo illo Principe A. 1576. Gandersheimii ſcriptæ, in quibus eum vocat conſiliarium ſuum eccleſiaſticum, & ſuperintendentem generaliſſimum, ſicut in patentibus, ſub initium muneris wolffenbuttelani, appellaverat theologum excellentem celeberrimumque, & *Selneccero* parem. Quantacunque vero hæc erat gratia, ea tamen denuo excidit, cum liberius adverſus tonſuram Principis alicuius, in monaſterio huysburgenſi factam, locutus eſſet: dimiſſus autem ab hero ſuo, cum familia Erfurtum migravit, indeque poſt aliquod temporis ſpatium Heidelbergam vocatus fuit ad profeſſionem theologiæ primariam obeundam, quam etiam ornavit, donec poſt obitum LVDOVICI Electoris deponeretur. Poſt tot mutationes, vocatus conceſſit Vinariam, ibique adminiſtravit munus ſuperintendentis generalis, inconſtantis vitæ finem expertus A. 1587. æt. 54. ex negotio Formulæ concordiæ, Colloquio qued-

Digitized by Google

quedlinburgenſi, Enchiridio theologico, & Theſauro explicationum ex operibus Lutheri, ut Gebh. Theodor. *Meier* Monument. Iul. p. 4. ſcribit, notiſſimus. Vide I. G. *Leuckfeld.* in Antiqq. gandersheim. p. 324. & ſeqq. & *Lex. univ. hiſtor.* T. III. 256.

LXXXIV.

Tomi II. Operum LUTHERI germanicorum impreſſi Islebiæ A. 1564. 1565. recuſi Lipſiæ A. 1603. Contineri in hiſce ſcripta, quæ neque in wittebergenſibus, neque in ienenſibus tomis reperiuntur, titulus quidem adfirmat, ſed præter veritatem: multa enim in illis reperies. El. *Frick* in Narrat. de Lutheri ſcriptis p. 2738. In Bibliotheca Schraderiana P. I. Aa 4. non nemo refert, quædam illata eſſe, quæ non ſint Lutheri, & noſtrorum quosdam tangi & perſtringi, ſaltem tecte. Et I. quidem Tomo, cui præmiſſa eſt epiſtola dedicatoria Io. *Aurifabri*, & præfatio, in quarum utraque dicitur, ſcripta Lutheri poſteriora præſtare prioribus, atque adeo inter tomos hoſce poſteriorem priori, continentur ſcripta ab A. 1516. usque ad A. 1530. Nimirum

A. 1516. 1) Præfatio in librum, qui inſcribitur *Theologia teutonica.* 2) Alia in librum, *Quid ſit vetus homo.*

A. 1518. 1) Brevis narratio, quid contigerit doctrinæ Lutheri hoc ipſo anno. 2) Relatio de eo, quod ipſi contigit hoc anno in comitiis auguſtanis.

A. 1519. 1) Sermo de digna præparatione ad S. cœnam. 2) Admonitio, quomodo paſſio Chriſti ſit meditanda. 3) Hiſtoria de diſputatione lipſica.

A. 1520. 1) De libertate chriſtiana. 2) Epiſtola ad FRIDERICUM Electorem. 3) Sermo de duplici iuſtitia, in *Phil.* 2, 5. 6. 4) Explicatio *Decalogi.* 5) Quid contigerit Lutheri doctrinæ hoc anno. 6) Hiſtoria de ſtructo vitæ Lutheri periculo. 7) De patrocinio, Luthero a nobilibus lato. 8) Silveſtri *de Schaumberg* epiſtola ad Lutherum. 9) Fran. *de Sickingen* epiſtola ad eundem.

A. 1521. 1) *Sermo* in Epiphania Domini habitus. 2) Quomodo homino rite in fidem chriſtianam ſit baptizandus. 3) Solatium & Conſilium, paſtori alicui datum, quomodo is ſe in officio ſuo gerere debeat. 4) Sermo habitus Erffurti, in itinere

wor-

wormatienſi. 5) Explicatio pericopes euangel. de X. leproſis, Luc. 17, 11-19. 6) Hiſtoria de eo, quod contigit Luthero Wormatiæ. 7) Seria precatio, fuſa Wormatiæ. 8) Quid Luthero eiusque doctrinæ contigerit. A. 1521. 9) Paſſionale Chriſti & antichriſti, cum figuris ligno inciſis a Luca *Cranach*, ſeniore.

A. 1522. 1) Explicatio 2. *Tim.* 3, 1-9. de papatu. 2) Iudicium de monaſteriis & votis monaſticis. 3) Contra furioſum decretum theologorum pariſ. 4) Apologia Phil. *Melanchthonis*, ab ipſo Luthero traducta in linguam teutonicam. 5) VIII. ſermones, habiti poſt reditum ex pathmo. 6) Explicatio ſpiritualis numerorum VII. XII. & LXXXIV. 7) Sermo de cruce & calamitate. 8) Sermo de peccato, iuſtitia & iudicio, in *Ioh.* 16, 8. 9) Deprecatio pro piſcatore quodam. 10) Sermo de poteſtate Petri, in *Matth.* 16, 18. 11) Præfatio in epiſt. ad *Rom.* primam Phil. *Melanchthonis* explicationem. 12) Deprecatio pro M. Wolfg. Stein. 13) Præfatio in libros *Weſſeli* groningenſis. 14) Sermo in dominica XIII. poſt Trinit. de ſ. cruce & reliquiis. 15) Sermo de præſtantia doctrinæ *Ioannis* baptiſtæ. 16) Alius de Mariæ & omnium ſanctorum cultu. 17) Epiſtola ad Ioannem Baronem de Schwarzenberg. 18) Articuli præcipui, per quos hactenus chriſtiani fuere ſeducti. 19) Sermo in dominica poſt aſcenſionis feſtum. 20) Alius in feſto aſcenſionis. 21) Alius in feria Pentecoſtes.

A. 1523. 1) Epiſtola ad Comitem mansfeldenſem, *Albertum.* 2) Sermo in dominica poſt Epiphaniam. 3) Cæſarum decretum de negotio lutherano, promulgatum Noribergæ. 4) Actus degradationis & combuſtionis trium equitum & martyrum ordinis S. Auguſtini, factus Bruxellis. 5) Chriſti Indulgentia. 6) Sermones aliquot, in dominica Miſeric. Domini, in domin. Cantate, in feſto Aſcenſionis, de duplicis generis hominibus, in 4. & 5. dominica poſt Trinitatis, & in 8. poſt Trin. de poteſtate, quam SS. euangelia habent ſuper concilia. 7) Epiſtola ad Canonicos wittebergenſes. 8) Alia ad omnes chriſtianos, qui ſunt Wormatiæ. 9) Alia ad Carolum, Ducem Sabaudiæ. 10) Teſtimonium Gregorio *Morgenſtern* dresdenſi datum de natalibus legitimis. 11) Alia ad Michaëlem de Born de paſtore ſeditioſo. 12) Alia ad Senatum olſnitienſem de eodem. 13) Alia ad monialem nobilem, quæ fidem matrimonialem dedit filio alicuius ci-

Digitized by Google

vis. 14) Scriptum ad Canonicos wittebergenſes, quomodo cultum diuinum in eccleſia ſua cathedrali inſtituere debeant. 15) Quid Luthero eiusque doctrinæ contigerit A. 1522. & 1523.

A. 1524. 1) Sermo in dominica Invocavit. 2) Quinam veri & nobiliſſimi ſint libri N. T. 3) Epiſtola conſolatoria ad Lambertum Thorn, qui propter euangelium in carcerem erat coniectus. 4) Epiſtola ad Ioh. de Schwarzenberg. 5) Præfatio in explicationem Pſalterii per Ioh. *Bugenhagium.* 6) Alia in aliquot pſalmorum latinam explicationem, germanice verſa a M. Steph. *Rodr.* 7) Alia in Ioh. *Watteri* Cantiones ſacras quatuor vocum. 8) *Io. Friderici*, Ducis Saxoniæ, epiſtola ad Lutherum de fœnore, vom Zinsgeld. 9) Iudicium Lutheri & Phil. *Mel.* quid de fœnore non ex Moſe, ſed e legibus civilibus ſit iudicandum. 10) Sermo in XI. domin. poſt Trinit. de hypocrita, & peccatore pœnitente. 11) Iudicium de coacto matrimonio. 12) Sermo in 22. domin. poſt Trinit. de Regno Dei. 13) Epiſtola ad Catharinam Schüziam. 14) Iudicium de abſtinentia a coniugio in favorem familiæ ſuæ pauperis. 15) Teſtimonium de matrimonio Ioh. Aurei. 16) Hiſtoria de Luthero eiusque doctrina hoc anno.

A. 1525. 1) Præfatio in explicationem pericoparum epiſtolicarum & euangelicarum. 2) Sermo in dictum Gen. 3, 15. 3) Sermo in Gen. 22, 18. 4) Alius de coniugio. 5) Epiſtola ad Io. Rüel, cancellarium mansfeldicum. 6) Alia ad Leon. Koppium, civem torgenſem. 7) Alia ad Senatum & paſtorem domitzſchenſem. 8) Sermo in dom. XIX. poſt Trinit. in Matth. 9, 1-8.

A. 1526. 1) Sermo in *Pſ.* 112. de divitiis, honore & voluptate, quomodo iuſti hiſce utantur, impii abutantur. 2) Alius de ſacramento euchariſtiæ, contra Sacramentarios. 3) Delineatio papatus, eiusque membrorum. In qua agitur de variis ordinibus ſacris, eorumque figuræ pariter repræſentantur. 4) Epiſtola ad Io. Fridericum Ducem Sax. de votis monaſticis. 5) Sermo in feſto Trinitatis, *Ioh.* 3, 1-15. 6) Iudicium de caſu quodam matrimoniali. Qui tamen non exprimitur. 7) Epiſtola ad Io. Rüel. 8) Alia ad Georg. Mohr, paſtorem in Born. 9) Alia ad Phil. Gluenſpies de chriſtiana libertate. 10) Præfatio legenda ante celebrationem ſ. cœnæ. 11) Epiſtola ad Thomam Neuhagen. 12) Iudicium de abductione uxoris alicuius. 13) Aliud de ſpon-

Digitized by Google

ſalibus ſine conſenſu matris initis. 14) De moguntina confœderatione circa debellandum Electorem Saxoniæ & extirpandam religionem lutheranam. 15) Titulus libelli contra fœdus ſive propoſitum illud moguntinum. 16) Iudicium de eo, quod agendum eſt Electori Saxon. circa illam moguntinam confœderationem. 17) Aliud. 18) *Lutheri*, *Melanchthonis* & Iohannis *Pomerani* de Landgravii Replica circa moguntinam confœderationem Iudicium. 18) Hiſtoria de Luthero eiusque doctrina A. 1525. & 1526. 19) Sermones in capita 18. Exodi. Explicatio autem capitis 19. & 20. exſtat in Tomo IV. operum ienenſ. germ. Ceterorum quoque capitum explicationem habebat Georg. *Bucholzer*, præpoſitus berolinenſis, in ſua bibliotheca, ſed A. 1564. ipſo ægrotante, furto ſubrepta fuit. 20) Epiſtola ad IOANNEM El. Sax. de pœna adulteri. 21) Alia ad eund. de conſtituendo novo paſtore in eccleſia ſchweinizenſi, ſed & ab ipſis illis alendo. 22) Alia ad chriſtianos reutlingenſes. 23) Lectio aut ſermo contra fanaticos, & de officio magiſtratus politici, ex 1. Tim. 1, 18. 19. 20.

A. 1527. 1) FERDINANDI, Regis Hung. & Boh. Mandatum contra Lutherum. 2) Sermo Lutheri in dom. I. poſt Epiphan. 3) Alius de fructu & virtute aſcenſionis Chriſti, in *Pſ.* 68, 19. 4) Præfatio in explicationem Eccleſiaſtæ Io. *Brentii*. 5) Alia in ſuam ipſius Poſtillam. 6) Epiſtola conſolatoria ad Eliſabetam Agricolæ. 7) Iudicium de ſecundis nuptiis deſerti. 8) Epiſtola ad D. Ioh. Ruel. 9) Hiſtoria de Luthero eiusque doctrina hoc anno.

A. 1528. 1) Præfatio in libellum Iuſti Menii, quo doctrina D. Conr. Klingii de miſſa refutatur. 2) Iudicium de ſponſalibus contractis citra conſenſum parentis. 3) Aliud de ſponſalibus in tertio gradu. 4) Epiſtola conſolatoria de prædeſtinatione. 5) Nova fabula Æſopi de leone & aſino. 6) Ducis Saxoniæ Apologia de confœderatione moguntina. 7) Lutheri epiſtola ad Wenceslaum Linck. 8) *Georgii* D. S. ad Lutherum epiſtola. 9) Huius Reſponſoria. 10) Hiſtoria de Luthero eiusque doctrina hoc anno.

A. 1529. 1) Sermones in caput 18. & 19. ac partem capitis 20. *Ioannis* de paſſione Domini. 2) Præfatio in explicationem epiſtolæ ad Coloſſ. autore Phil. *Mel.* 3) Alia in librum Caſpa

Digitized by Google

Huberini de Ira Dei. 4) Alia in moribundi informationem per Thomam *Venatorium*. 5) Epiſtola ad Ioſeph. Levinum Metzſch in Mila de duplici religione ſub uno eodemque Magiſtratu. 6) Epiſtola ad Nicol. Hausmannum, paſtorem zwickauienſem. 7) 2. epiſtolæ ad Albertum, Comitem mansfeldicum. 8) Sermones in aliquot capita Deuteronomii, nempe 1. 4. 5. 6. 7. 8. 9. Vbi in explicatione VII. capitis p. 529. exſtat relatio Lutheri de itinere ipſius marpurgenſi & colloquio ibi habito, facta pro ſuggeſtu. 9) Explicatio *cantici* Moſis, *Deut.* 32. 10) Hiſtoria de Luthero eiusque doctrina hoc anno.

Tomo II. ab A. 1530. usque ad 38. excluſive. Et quidem

A. 1530. 1) Epiſtola ad Ioh. Levinum Metzſch. 2) Conſolatoria ad Iuſti Ionæ uxorem. 3) Epiſtolæ ad Wolfg. Wibelium. 4) Interceſſio pro quodam paupere. 5) Epiſtola ad Catharinam de Bora, uxorem ſuam. 6) Præfatio in explicationem Amoſi Brentianam. 6) Epiſtola ad Lazarum Spenglerum, ſyndicum noribergenſem. 7) Alia ad IOANNEM, El. Sax. 8) Brevis explicatio aliquot *pſalmorum*, videl. primi & ſeqq. usque ad 25tum incluſive. 9) Brevis explicatio aliorum *pſalmorum* a M. Vito *Dieterico* collecta, nimirum 29. 42. 45. 51. 56. 81. 128. 132. 137. 147. 148. 10. Explicatio *pſalmi* 23. 24. & 25ti. 11) Sermo in *pſ.* 26. poſt obitum FRIDERICI, El. Sax. 12) Iudicium de Miſſa privata. 13) Epiſtola ad IOANNEM El. Saxon. de electione Regis Romanorum. 14) De electione Regis Rom. quod & olim illa uſitata fuerit, Scriptum Phil. *Melanchthonis*. 15) Hiſtoria de electione Regis Rom. facta Coloniæ. 16) Hiſtoria de Luthero eiusque doctrina hoc anno.

A. 1531. 1) Epiſtola ad uxorem Matthæi Zellii. 2) Alia ad civem quend. noribergenſem. 3) Alia ad IOHANNEM, El. Saxon. 4) Citatio in cauſa matrimoniali. 5) Sermo in *Tit.* 2, 13. 6) Sermones in caput 6. 7. & 8. *Ioannis*.

A. 1532. 1) Præfatio in XXII. ſermones Brentii, cum Turca vellet irruere in Germaniam. 2) Epiſtola ad Valentinum Hausmannum. 3) Alia ad eund. 4) Electorum moguntini & palatini Tentatio pacis inter Proteſtantes & Catholicos in conventu ſchwinfurtenſi: & alia huc pertinentia. 5) Similis pacificatio tentata Noribergæ. 6) Cæſareum mandatum de pace religioſa, ſancitum

citum Ratisbonæ. 7) Iudicium Lutheri de bonis eccleſiaſticis. 8) Aliud de ſequeſtratione. 9) Epiſtola ad Valentinum Hausmannum. 10) Alia ad IO. FRIDERICVM El. Sax. de mitiganda executione in cauſa matrimoniali. 11) Alia ad nobilem quendam, qui amiſerat gratiam Principis. 12) Vaticinium poſt obitum Electoris Sax. IOANNIS. 13) Hiſtoria de Luthero eiusque doctrina hoc anno, & ſuperiore.

A. 1533. 1) Epiſtola ad Senatum bremenſem. 2) Scripta varia, cum *Papæ* & *Imperatoris*, tum *Electoris Saxoniæ*, *Lutheri* & *theologorum vvitteberg.* de futuro concilio. 3) Hiſtoria de Luthero eiusque doctrina hoc anno.

A. 1534. 1) Epiſtola ad D. Ioh. Ruel. 2) Alia ad Gabriel. Zwilling. 3) Iudicium de recipiendis euangelii cauſa ſubditis aliorum Magiſtratuum, & in quantum IO. FRIDERICVS, El. Sax. eiusque Confœderati facere poſſint fœdus cum Civitatibus imperialibus. 4) Conſilium & iudicium de colloquio haſſiaco, (marpurgenſi) quo mittendus erat Phil. *Melanchthon*. 5) Scriptum contra Sacramentarios. 6) Aliud contra Wolfg. *Siberger*, famulum Lutheri, ſub nomine avium, quibus ille captandis erat deditus, formatum. 7) Informatio de remediis contra timiditatem & alias tentationes in corporis infirmitate. 8) Solatium in agone mortis. 9) Epiſtola ad nobilem quendam, qui Principis ſui gratia excidit. 10) Hiſtoria de Luthero eiusque doctrina hoc anno.

A. 1535. 1) Explicatio capitis 36. & 37. prophetæ *Eſaiæ*. 2) Iuſti *Ionæ* & *Lutheri* Iudicium de coniugio cum defunctæ uxoris ſorore, eaque iam ſtuprata. 3) Epiſtola ad Gabr. Zwilling. 4) *Theologorum vvittebergenſium* iudicium de caſu deſertionis. 5) Aliud *Lutheri* & Phil. *Melanchthonis* in ſimili caſu. 6) Epiſtola ad IO. FRIDERICVM El. Sax. 1. poſtq. FRANCISCVS Rex Galli Phil. Melanchthonem ad ſe vocaverat. 7) Alia ad eund. de Concilio. 8) Conſolatoria ad amicum, filio privatum. 9) Actio inter Electorem Sax. IO. FRIDERICVM, & Legatum pontificis Pet. Paul. *Vergerium*, circa concilium. Et alia huc pertinentia. 10) Hiſtoria de Luthero eiusque doctrina hoc anno.

A. 1536. 1) Deliberatio ſiue Iudicium *Theolog. vvitteberg.* de peccatis electorum. 2) Theſes Lutheri de poteſtate Concilii 3)

Epiſtola ad Anton. Rudolfum Weinmeiſter, in qua rogat, ut conſenſum ſuum filii propoſito matrimoniali præbere velit. 4) Concordia *theologorum vviteberg.* & *paſtorum civitatum ſuperioris Germaniæ* de cœna Domini, & aliis articulis. 5) Articuli huius Concordiæ. 6) Lutheri epiſtola ad Senatum ratisbonenſem. 7) Alia ad Albertum, Comitem mansfeldicum. 8) Hiſtoria de Luthero eiusque doctrina hoc anno.

A. 1537. 1) Epiſtola ad Senatum iſnenſem. 2) *Theologorum, qui Smalcaldiæ convenerant*, epiſtola ad Status Imperii ibidem collectos, de conſtituendis & alendis miniſtris eccleſiæ & præceptoribus ſcholaſticis. 3) *Lutheri* ſermo in Symbolum apoſtolicum. 4) Epiſtola ad uxorem ſuam de morbo ſuo in urbe Smalcaldiæ. 5) Chartis ludentium Quæſtiones ad Concilium mantuanum. Scriptum hoc eſt ſatiricum. 6) Epiſtola ad paſtorem grimenſem. 7) Hiſtoria de Luthero eiusque doctrina hoc anno. 8) Imperatoris CAROLI V. & papæ PAVLI III. nec non *Statuum proteſtantium* negotiationes de Concilio, cum Excerpto Receſſus Imperii noribergenſis de A. 1534. circa idem. 9) *Lutheri* ſermones in caput 1. & 2. *Ioannis* euangeliſtæ. 10) Præfatio in Apologiam Iuſti Menii contra Conr. Kling. 11) Epiſtola ad *Ioachimum*, Princip. anhalt. qua ipſum in fide confirmat. 12) Alia ad nobilem, cuius filius aut ſtupratam, cui fidem coniugalem dedit, debet ducere, aut, ipſa abſoluta, per omnem vitam cœlebs manere. 13) Deſcriptio vitæ aulicæ, carminice. Huic tomo itidem præmiſſa eſt Ioannis *Aurifabri* præfatio, ſiue epiſtola ad Imp. MAXIMILIANVM dedicatoria, in qua agit de officio chriſtiani magiſtratus circa ſacra, conſtantia Electoris Saxoniæ, & multiplici fructu pietatis magiſtratus politici. Extant etiam ſub initium huiusdem tomi aliquot ſcripta, in priorem referenda, & quidem ad annum 1523. Lutheri ſermo in Pentecoſte: ad annum 1528. epiſtola ad amicum, & Nova lipſienſia contra M. *Haſenberg* & *Mirttanum*, adverſarios coniugii Lutheri: ad annum 1529. Confeſſio fidei Lutheri, Præfatio in librum, qui inſcribitur Enchiridion pro informatione adoleſcentum, & IOANNIS, Elect. Sax. proteſtatio, cur non potuerit conſentire Receſſui Imperii ſpirenſi. Et hæc de Lutheri operibus ſufficiant: ubi hoc notandum, omnia Lutheri opera german. recuſa fuiſſe Altenburgi A. 1661. cura D. Io. Chriſtfriedi *Sagittarii*, volum. VII. in fol.

Digitized by Google

In quibus nihil deſideratur eorum, quæ vel in ienenſibus, vel wittebergenſibus, vel islebien. habentur. Vide tamen El. *Frickium* de Lutheri ſcriptis p. 2738. Laudantur ob utiliſſ. indices, productionem ſcriptorum Lutheri haud paucorum, antea nunquam excuſorum, & ſeriem annorum, iuxta quam omnes Lutheri libri ſunt diſpoſiti. Altenburgenſes tomos excepit unus *halenſis*, a I. G. Zeidlero A. 1702. in fol. editus, cum præfatione I. F. *Buddei*. Atque hic tomus germanica quædam continet antea non impreſſa, inter quæ etiam ſunt Epiſtolæ quædam. Præterea notandum, editum eſſe a Sigism. *Sueuo* freiſtadienſi Elenchum ſeu Catalogum ſcriptorum Lutheri omnium, in quo indicatur, quo tomo & folio ſingula cum germanica, tum latina reperiantur. De variis tomorum Lutheri wittebergenſium & ienenſium editionibus vide Seb. *Niemanni* ſcriptum germanicum, cui titulus, *Iod. Keddens Verlegene alte lumpen.*

LXXXV.

D. Mart. LVTHERI Colloquia menſalia, oder Tiſchreden. Lipſiæ 1700. Collecta primum a M. Anton. *Lauterbach*, poſtea in locos communes digeſta, & ex aliorum doctorum virorum collectaneis aucta per Io. *Aurifabrum*. Noſtra hæc ultima editio cum prioribus melioribus collata eſt. De variis editionibus huius libri informabit te Ad. *Rechenberg* diſp. de Colloq. menſal. Lutheri, §. 8. Præmittuntur Præfationes *Stangwaldi* & *Aurifabri*, cum *Lutheri* contra primam editionem proteſtatione, & iudiciis ac teſtimoniis *theologorum* quorundam de iſtis Colloquiis. Inter alia narrat Aurifaber, Lauterbachium, ſeque ipſum multa ex ore Lutheri dicta annotaſſe, reliqua vero hauſta eſſe ex collectaneis Viti *Dieterici*, Hier. *Beſoldi*, Io. *Schlaginhauffii*, Io. *Mathefii*, G. *Röterii*, Io. *Stolſii*, & Iac. *Weberi*. Quamvis autem non inutilis ſit hic liber, & de multis articulis fidei aliisque rebus informatio inde peti queat, obſervandum tamen, id quod annotat. I. Ern. *Gerhardus* in dedicat. Patrologiæ paternæ a. 4. & *Morhof* in Polyh. l. 1. c. 16. n. 64. multa in ſympoſiacis colloquiis ioco fuiſſe prolata, minime propalanda; neque hunc librum a Luthero vel editum, vel approbatum fuiſſe. Ceterum de eo conſulendi ſuut *Porta* in Erinner. an fromme Prediger, quæ Paſtorali præfigitur, D. Io.

Ger-

Gerhard diſpp. acad. T. II. 1049. *Kesler* Meth. diſp. III. Mart. *Beer* in Fortpflanz. euangel. wahrh. 107. auctor *Append.* ad Epiſt. Lutheri ad Theol. noriberg. B 2. *Hackſpan* in 1. Reg. XI, 1. p. 701. *Rechenberg* diſp. de Colloq. menſal. Lutheri, *Spener* Gewiſs. rüge über Schelguigii Itinerar. antipietiſt. 5. *Wolf.* præfat. in Caſauboniana §. 6. El. *Frick* in Append. Lutheran. Seckendorf. 2732. & *Polanus* Syntagm. theol. T. I. 292.

Pag. 45. b. Liber Iobi eſt quaſi argumentum *fabula*; ſicut comœdia agitur, qua perſonæ invicem colloquentes introducuntur.

Nimirum *fabula* interdum hiſtoriæ notionem gerit. Atque ita etiam hic ſumitur; ſiquidem Lutherus mox ſubiungit: Exiſtimare ſe, librum Iobi eſſe *veram hiſtoriam*. Phil. *Caroli* Animadverſ. in Gellium 465.

Ibid. Poſſibile eſt, *Salomonem* compoſuiſſe librum Iobi.

Alii *Moſi* tribuunt, alii *propheta cuidam* in captivitate babylonica, ut huius miſeriam Iobi calamitatibus deſcriberet. *Placc.* de pſeudon. 382. *Rampins* prolegom. in Iobum §. 2. H. *Von der Hardt* program. in Aben Eſra, A. 1712. p. 64.

P. 47. De libro Salomonis, *Ecclesiaſtes* dicto, aiebat Lutherus: Hic liber deberet eſſe plenior, multa deſunt, nimis leviter equitat, ſicut egomet, cum adhuc eſſem in monaſterio.

Sed hæc verba non eſſe intelligenda de Eccleſiaſte Salomonis, verum *de libro Sapientia* & *Siracidis*, patet ex ſequentibus, ubi ait: librum iſtum eſſe ſcriptum, Regum, Principum & Magiſtratuum perterrefaciendorum cauſſa, eſſeque bonum & utilem librum eo, quod præclaras contineat doctrinas; qui regimen domeſticum geri debeat. Quorum prius ſane libro Sapientiæ, poſterius Eccleſiaſtico ſeu

ſeu Siracidis libro competit. Vt adeo *obſervator verborum erraverit*, hos libros cum Eccleſiaſte confundens, non autem Lutherus. El. *Frick* in Append. Lutheran. Seckendorf. p. 2733.

LXXXVI.

Oper. Phil. MELANCHTHONIS Partes ſeu T. IV. A. 1562-1577. Wittebergæ editi cura & ſtudio Caſp. *Penceri*, qui & ſingulis Tomis Præfationes ſeu epiſtolas dedicatorias præfixit, in quarum prima agit de varia Eccleſiæ fortuna & facie inde ab initio mundi usque ad ſua tempora, deque cauſis edendi iunctim ſcripta Melanchthonis; in ſecunda de neceſſaria mutatione dogmatum falſorum, quæ fuerant in papatu, deque fine recudendi ſcripta Philippi. *Non autem*, inquit, *recudimus univerſa. Nam & quæ ante tricesſimum annum ſcripſit, ipſe ſupprimi atque aboleri voluit, quod iuvenilia eſſent & inelaborata, & in iis, quæ poſt annum triceſimum ex intervallo ſæpe repetivit, delectum adhiberi voluit, non quod aliqua ineſſet poſterioribus diſſimilitudo rerum, cum ubique recitet eandem doctrinam verbis pæne iisdem, ſed quod alia aliis maturiora eſſe iudicaret*; in tertia de norma iudicii, qua diiudicandæ ſint controverſiæ dogmatum, & de iudiciorum auctoritate, valeant ne ſententiæ propter auctoritatem vel potentiam pronunciantium, aut numerum ſuffragantium, an vero propter teſtimonia prophetica & apoſtolica; in quarta de iis, quæ in Comitiis Imperii decreto conſenſuque Ordinum a theologis quodam quaſi conflictu diſputationum agitata fuerunt atque tractata, ad controverſias religionis vel componendas, vel leniendas publicæ pacis cauſſa, donec de iisdem legitima Synodus, ex auctoritate verbi divini, decerneret.

In Prima vero Parte continetur 1) Catecheſis. Quam *Philippus* in Præfatiuncula tenue ſcriptum appellat. 2) Auguſtanæ confeſſionis editio prima, quæ exhibita eſt CAROLO V. Imp. A. 1530. Refertur autem hæc inter opera æque Philippi ac Lutheri

ri, quia Philippus eam ex Lutheri Art. XVII. concinnavit. *Placc.* de Anon. p.15. 3) Aug. conf. editio poſtrema, quæ repetita eſt A.1538. ante Colloquia wormatienſe & ratisbonenſe, h. e. Apologia aug. confeſſionis. De qua *Luther.* in Colloq. menſal. 473. 4) Confeſſio doctrinæ ſaxonicarum eccleſiarum, ſcripta A. 1551. ut exhiberetur Synodo tridentinæ. 5) Locorum communium ſeu Hypotypoſium theologicarum poſtrema editio, abſoluta A. 1545. Prima eſt de anno 1521. ſecunda de A. 1522. tertia de A. 1523. *Lutherus* in ep. ad Eraſmum T. II. opp. lat. p. 457. libellum hunc vocat invictum, ſuoque iudicio non ſolum immortalitate, ſed canone quoque eccleſiaſtico dignum. Vide etiam *eiusdem* Colloq. menſal. p. 37. & 712. *Philippi* præfat. in Tom. III. operum, *Hutter.* LL. theol. p. 9. eiusdemque Concord. concordem 95. *Die Hauptvertheidigung* 264. 266. *König.* Caſ. conſcient. 581. Quid autem ſint *Loci communes*, docet *Sixtus* ſenenſis Biblioth. S. p. 191. Atque hi Loci Phil. Melanchthonis in italicam translati linguam ſub nomine di Meſſer Filippo *di Terra nera*, Romamque miſſi, per annum integrum emebantur & legebantur magno cum adplauſu, pluraque eorum exempla petebantur Venetiis; ſed poſtquam innotuit eſſe Melanchthonis, ſuppreſſa & combuſta fuerunt, velut memoratur in *Scaligeranis* p. 342. Quibus adde *Placc.* de pſeudon. 58. & *Morhof.* Polyh. T. I. 87. Eandem fortunam expertus eſt etiam *Lutheri* Catechiſmus: nam cum ſine eius nomine in Italiam delatus eſſet, pro libro valde pio habitus fuit, teſte *Baxtero* in Abnegat. ſui c. 50. Vide *Placc.* de Anon 89. 6) Examen theologicum, traditum Wittebergæ A. 1554. De quo iterum vide *Hutter.* Concord. concord. 95. & Io. Conr. *Dürrium* Iſag. in LL. normal. noriberg. 119. 7) De controverſia *Stancari*, A. 1553. *Dürr.* 154. 8) Definitiones appellationum, in doctrina Eccleſiæ uſitatarum. *Dürr.* 134. 9) Reſponſiones ad articulos Inquiſitionis bavaricæ. *Dürr.* 139. Et hæ fuerunt cygnea quaſi cantio Philippi, quas etiam vocavit Teſtamentum ſuum, quippe ſcriptæ A. 1559. 10) Enarratio Symboli nicæni prior, edita A. 1550.

In Secunda 1) Epitome renovatæ eccleſiaſticæ doctrinæ. A. 1523. 2) Ratio brevis ſacrarum concionum tractandarum. 3) De

Digitized by Google

De officiis concionatoris. 4) Brevis ratio diſcendæ theologiæ. 5) *Didymi Faventini* adverſus *Thomam Placentinum* oratio pro Luthero. A. 1521. Quæ quidem a non nullis Eraſmo, ipſomet teſte in Epp. p. 507. fuit tributa, cum tamen ſit *Melanchthonis*: Placentinus vero eſt Thomas *Rhadinus*, ord. Prædicatorum, auctor orationis ad populum & Principes, Romæ contra Lutherum habitæ, ut refert *Seckendorf.* in Hiſtor. lutheran. germanica p. 283. Qui Rhadinus iſtam Philippi declamationem, ſtili elegantia in primis commendabilem, alia excepit ſimili, ſed ſine reſponſione ſive Lutheri, ſive Philippi dimiſſus. 6) Adverſus pariſienſium theologaſtrorum decretum Apologia pro Luthero. A. 1521. 7) Reſponſio ad ſcriptum quorundam delectorum a clero ſecundario Coloniæ Agrippinæ, ſcripta Bonnæ. A. 1543. 8) De eccleſia, & auctoritate verbi Dei. 9) Doctrina de pœnitentia, repetita. A. 1549. 10) Defenſio coniugii ſacerdotum, miſſa ad Regem Angliæ. Rationibus hiſce utitur, quia 1. oportet epiſcopum unius uxoris maritum eſſe. 1. *Tim.* 3, 2. *Tit.* 1, 7. 2. vitandæ ſcortationis cauſa, ſuam unusquisque habeat uxorem, 1. *Cor.* 7, 2. 3. prohibitio coniugii eſt doctrina dæmoniorum, 1. *Tim.* 4, 3. 4. apoſtolorum tempore, & diu poſt, in græca & latina eccleſia fuerunt ſacerdotes mariti. 5. naturalia, in quibus etiam eſt appetitio maris ad feminam, ſunt immutabilia, nec prohiberi legibus humanis poſſunt. 11) Scripta quædam de uſu integri ſacramenti, & miſſa theatrica, de poteſtate Pontificis & Epiſcoporum, & aliis controverſiis. Collecta opera & ſtudio Caſp. *Crucigeri*, partim A. 1540. in conventu ſmalcaldienſi, partim anno ſequente in conventu ratisbonenſi. 12) Scriptum contra *Schwenckfeldium*, propoſitum a theologis in conventu ſmalcaldienſi A. 1537. 13) Teſtimonia de euchariſtia non adminiſtranda, niſi adſint, quibus ea diſtribuatur. Ratisbonæ A. 1541. 14) Annotata Caſp. *Crucigeri*, Ratisbonæ anno prædicto, ad refutandas præſtigias ſophiſmatum *Eccii*. 15) Enarratio Symboli nicæni poſtrema, abſoluta A. 1557. 16) Commentarius in Geneſin. Eſt inter prima auctoris ſcripta, coeptus videlicet anno 1523. Vide *Philippi* præfat. Tomo III. præmiſſam. 17) Argumentum in *Eſaiam* prophetam. 18) In *Ieremiam*. 19) In *Thre-*

nos Ieremiæ. 20) Commentarius in *Danielem.* A. 1543. 21) Argumentum concionum *Haggai.* 22) Commentarius in *Zachariam*, dictatus. A. 1553. 23) Explicationes in initium *Malachiæ*, traditæ A. 1553. 24) Commentarii in *pſalmos*, ſcripti A. 1553. 54. & 55. 25) Enarratio *pſalmi* 51. *&* *aliorum*, coepta A. 1552. 26) Enarratio *pſalmi* 110-116. nec non 118. ſcripta A. 1542. & ſequente, publiceque propoſita a Caſp. *Crucigero.* 27) Explicatio *Proverbiorum Salom.* dictata A. 1555. 28) Enarratio *Eccleſiaſtæ.* 29) Argumentum eiusd. libri repetitur Wittebergæ A. 1534.

In Tertia, poſt epiſtolam Philippi de ſuis ſtudiis, conſiliis & affectione erga Eccleſiam & Remp. in qua cenſuram inſtituit ſcriptorum ſuorum, 1) Enarratio euangeliorum dominicalium. 2) Breves commentarii in *Matthaeum*, ſcripti A. 1540. in gratiam Sebaſt. *Froſchelii*, quos hic poſtea invito Melanchthone edidit. 3) Caſp. *Crucigeri* Enarratio in euangelium *Ioannis.* A. 1546. In idem & Philippus orſus eſt lucubrationem, ſed, ut ipſe fatetur in præfat. huius Tomi, valde tenuem. 4) In epiſt. Pauli *ad Rom.* A. 1520. Atque hunc laborem recognovit A. 1524. & ſequente, immo & anno 1532. In huius enarratione, ut & in LL. theologicis collegit doctrinam eccleſiarum noſtrarum. Vide ipſummet in epiſtola modo allegata, A iiij.

In Quarta, (cui præmittitur dedicatio Caſp. *Peuceri*, complectens hiſtoriam Auguſtanæ confeſſionis, & inde ſecutorum colloquiorum) 1) Diſpoſitio orationis in epiſtola Pauli ad *Romanos*, cum epiſtola dedicatoria ad Hermannum Comitem Novæ Aquilæ, in qua de oratione & ſtilo S. Pauli diſſerit. A. 1530. 2) Enarratio *epiſtolæ ad Rom.* edita A. 1556. cum epiſtola dedicatoria ad Vlr. *Mordiſinum*, in qua teſtatur, ſæpe ſe epiſtolam iſthanc auditoribus ſuis propoſuiſſe, quia notum ſit, eam continere præcipuam partem ſapientiæ, quæ propria eſt eccleſiæ. 3) Comment. in 1. *epiſtolam ad Corinth. & poſterioris capita tria* priora. Mutilus hic labor redditus fuit per luem peſtiferam, quæ anno 1552. auctorem coëgit Torgam ſecedere. Et conſcripſit eum Philippus pro Paulo *Ebero*, ut hic eum privatim auditoribus dictaret ſuis: ſicut

ſicut hic ipſe refert in ep. didicat. Commentario præmiſſa, in qua inter alia dicit, *Melanchthonem* ſecreto rogatum conſilium a Principe Electore, ſub cuius ditione natus erat, paucula ſcripſiſſe de cœna Domini, magis ut rixas ſuaderet quoquo modo ſopiri & dirimi, quam ut de ipſa controverſia pronunciaret. In illa pagella ad unum ſcripta, ſecreto ſcripta, non in hoc ſcripta, ut vulgaretur, & tamen contra voluntatem auctoris publicata, factam eſſe mentionem *Hubuſii*, ita ut ſummis in eccleſia & antiquiſſimis ſcriptoribus poſtponeretur. In fine eiusd. commentarii exhibetur epitaphium Philippi, conditum a D. Io. *Maiore*. 4) Enarratio *epiſtola ad Coloſſenſes*, prælecta A. 1556. 5) Item epiſtolæ 1. *ad Timoth.* & 2. *capitum ſecunda*, ſcripta & dictata A. 1550. & 51. 6) Propoſitiones & diſpp. cum epiſtola Iac. *Eiſenbergii*, & Mart. *Lutheri*. 7) *Acta vvormatienſia.* 8) *Ratisbonenſia.* 9) *Smalcaldienſia.* 10) *Apologia Proteſtantium*, ſeu cauſæ, quare & amplexi ſint, & retinendam ducant doctrinam Aug. confeſſ. & quare iniquis iudicibus, collectis in Synodo tridentina, non ſit aſſentiendum. 11) Scripta exhibita in colloquio wormatienſi. 12) Reſponſio ad criminationem *Staphyli*. A. 1558. & nota, ſcripti contra Oſiandriſmum mentionem fieri a *Camerario* in Vita Melanchthon. p. 354. non vero hic. 13) Conſilium de moderanda controverſia in articulis religionis præcipuis, ſcriptum ad FRANCISCVM Gall. Regem A. 1536. cum *Regis* epiſtola, qua invitat Philippum, ut ocyus in Galliam veniat, & de unione doctrinarum cum ſelectis aliquot doctoribus apud ſe coram diſſerat. Subiuncta etiam eſt reſponſoria Philippi, qua ſe excuſat, quod hoc tempore venire non poſſit. Hoc conſilium extat etiam in Conſiliis Philippi theologicis P. I. 218. Sed Elector Sax. noluit concedere, ut Philippus iret in Galliam: eiusque rationes commemorat *Seckendorf* in Hiſt. luther. 1456. Et ſorbonici doctores diſſuadebant regi actionem cum hæreticis: *Id.* 1459. & *Saivjore* Biblioth. crit. P. I. 448. Vbi notandum, Regis Galliarum legatum, qui cum Philippo locutus eſt, literasque ab eo retulit, non vocari *Voceum*, uti p. 823. extat, ſed *Voraum*. 14) Epiſtola ad Senatum venetum, quem rogat & obteſtatur, operam det, quo cives ſui, apud quos Serveti libellus circumfertur, fugiant, abiiciant, exe-

Digitized by Google

crentur impium illius errorem. 15) Epiſtola ad Henricum VIII. Angliæ Regem, ſcripta A. 1539. in qua deprecatur aſperitatem Decreti regii, quod ſupplicia minatur profitentibus doctrinam Proteſtantium.

Philippus, cognomine *Schvvarzerde*, quod ipſe poſtea mutavit in græcam vocem *Melanchthon*, natus Brettæ in Palatinatu ad Rhenum, elegantiores litteras, philoſophiam & theologiam Wittebergæ per plures annos cum omnium admiratione & inſigni fructu docuit; & apud exteros, etiam religionis adverſarios, propter ſingularem eruditionem, moderationem, inque rebus agendis dexteritatem bene audiit, ſtilo uſus plano, liquido, nec ſuis deſtituto elegantiis, tandemque obiit A. 1560. æt. 63. Prodiit liber Gorlicii A. 1580. 4. cui titulus: Teſtimonia a Luthero aliisque Philippo data. Talia quoque extant apud *Magirum*. p. 581. & *Blount*. 615. Ceterum de Philippo eiusque ſcriptis vide *Hutteri* Prologomena in LL. theol. c. 2. *Selneccer*. apud Pipping. in Arcanis biblioth. thom. lipſ. 323. *Meyfart*. de Academ. 111. *Dürr*. Iſag. in libb. normal. norib. 31. 63. 92. *Fecht* Supplem. hiſt. eccl. ſec. XVI. 54. *Hopp*. program. ad orat. Schelguigii p. 4. *Caſel*. apud Rollium Dec. I. Memor. plilof. 457. *Furſtener*. de Iure ſuprem. Princip. 140. *Morhof*. Polyhiſt. T. I. 196. 243. *Schurzfleiſch*. de Merit. German. circa lit. gr, §. 7. *Wicel*. in Via reg. 299. *Sadolet*. in Branti Epp. p. 290. *Bembum* apud Cren. Anamadverſ. P. VI. 218. quid? ipſum Philippum, qui in præfat. Partis III. Opp. ſic loquitur; *Meas ſententias fuiſſe moderatas & conſilia συμβιβαστικῶς ad communem concordiam accommodata, multi norunt. Sed tamen idem nolim ambiguis & fucoſis moderationibus reſtitui errores & confirmari ſævitiam noſtra ſuffragatione. Quæratur concordia ſalutaris Eccleſiæ, non ut ille, qui conditiones flexiloquas* Antiocho *ſcripſerat, ut dimidium navium ei relinqueretur, poſtea diſſectis navibus acervum dimidiatum reliquit.* Ioſ. *Hallus* refert in Duræi prodromo p. 275. Lutheri lari inſcriptum fuiſſe: Res & verba *Philippus*; Res ſine verbis *Lutherus*; Verba ſine re *Eraſmus*. Imago Philippi ſingulis eius tomis præmiſſa eſt, ſicut Lutheri operibus ipſius ienenſibus latinis. Vtramque ego poſſideo artificioſiſſima Lucæ Kranachii manu in

tabulis

Digitized by Google

tabulis cretatis pictam, abavoque meo ab ipſo Philippo donatam. Verba, quæ *Melanchthon* ſua manu de ſacramento corporis & ſanguinis Chriſti in libellum D. Io. Maioris dominica palmarum A. 1560. paulo ante mortem ſcripſit, hæc dicuntur eſſe: *Verum corpus & verus ſanguis Chriſti exhibentur, in pane & poculo. Quæſtio iam oritur, quo modo Chriſtus poſſit eſſe corporaliter in ſacramento, cum idem corpus non poßit eſſe ſimul in diverſis locis? Reſp. Chriſtus dixit ſe affuturum. Ergo vere adeſt in ſacramento, & corporaliter. Nec quærenda eſt alia ratio. Verbum ita ſonat. Ergo neceſſe eſt ita fieri. Quod vero ad corpus attinet, Chriſtus, quando vult, poteſt eſſe ubicunque vult. Quare alia iam ratio ſui corporis, & noſtri. De ubiquetate non eſt diſputandum in hac controverſia; nec Scholaſtici dicunt de hac ubiquetate, ſed recitant ſimplicem ſententiam de corporali præſentia Chriſti. Deitas neque corpus neque ſanguinem habet, & eſt coniuncta humanitati Chriſti, & hac coniunctiſſima divinitati: & ſunt deitas & humanitas in Chriſto inſeparabiles. Ergo Chriſti corpus & ſanguis in ſacramento eiusque actione ſunt ubique, iuxta hac verba*: Hoc eſt corpus meum, Hic eſt ſanguis meus. &: Eſt nobiſcum usque ad conſummationem ſæculi.

MENDA SIC TOLLANTVR.

Pag.	lin.	
12	12	*Cranmero*
25	21	dederit
36	26	*Tetkmannus*
91	2	*Monsfauconio*
132	19	Epiſcopi antiocheni
161	7	uſque ad lineam 21. deleantur omnia.
301	20	Liueleii
321	2	*Simonio*
330	10	ſubleſtam
	15	luſitanus
360	22	*Robortellus*

Cetera Lectoris humanitati relinquuntur.

Digitized by Google

INDEX AVCTORVM

Quorum ſcripta hic recenſentur, quive operam in iis adhibuerunt ſuam.

ABraham, *Aben Eſra* 2
Acciaiolus Zenob. 91. 93. 144.
Adelmann Conr. 405
Ader Guil. 291. 335
Adolphus, ep. merſeburg. 386
Adrianus græcus 282. 327. Pont. rom. VI. 388. 402. 414. 418.
Africanus. *v*. Iulius
Agellius Ant. 138
Agobardus 165. 173
Albaſpinæus Gabr. 73. 74. 76. 154
Albertus, Card. & Elect. mogunt. 386. 407. 411
Alcuinus 208. 225
Algerus leod. 208
Allatius Leo 284. 329
Amadeus, lauſannenſis 229. 325
Amama Sixtin. 279. 295. 297. 298. 300
Ambroſius, camaldul. 103. 124. 132. mediolan. 184. 191. 225
Amsdorf Nicol. 404. 406
Anaſtaſius, bibliothecar. 117. 120. 199
Andreas, archiep. cæſar. 129. 136
Anianus, celedenſis diac. 126. 133
Ansbertus 224
Anshelmus 189. 222
Antonius Theodor. v. *Peltanus*.
Apollinarius, ſenior 107
Arcerius Io. 76
Aretas 136
Argyropilus 102. 106
Arias Bened. *al. Montanus*. 4. 6. 285.
Arnobius, afer 169. iunior. 71. 72. 170
Arnoldi Mich. 245. 247. 254
Aſterius, amaſenus 229. 235
Athanaſius 93. 99
Athenagoras 62. 63. 65
Athias Ioſ. 20. 21
Aubertus Io. 137. 151
Auguſtiniani vvittebergenſes 385
Auguſtinus, hippon. 195. 199. 200. 203. 227. cambrenſis hibernus 207
Aurifaber Io. 464. 470. 471
Baal hatturim 3
Badvellus Claud. 14. 16. 278
Balduinus Fran. 73. 168. 175
Barnabas 44. 51
Barthenora. *v*. *Obadias*.
Baſilius magnus 101. 104. 371
Baudartius Wilh. 36
Baynus Rud. 278. 319
Beda 201. 221
Ben Sira 287. 318
Benzel Eric. 123
Bernardus, abb. clarævall. 238. 242. abb. Bonæ vallis 242. brixian. 121. Bartholom. 387.
Bertramus Bonav. Corn. 285. 286. 331
Betuleius Xyſt. 175. 179
Beveregius Guil. 45. 49
Beumler Mar. 143

Beurer

Beurer Io. Iac. 103. 123
Beza Theodor. 14. 16
Biblia ebr. & chald. 1. 11. græca 6. latina 8. 17. hiſpan. 13. italica 23. german. 24. ſaxon. idiom. 28. vinarienſia 30. belgica Statuum General. 36.
Bildius Beat. *v. Rhenanus.*
Billius Iac. 62. 68. 69. 70. 106. 109. 124. 151.
Le Blanc Lud. 345
Bogermannus Io. 36
Borrhaus Mart. 343. 344
Brerevvood Edovard. 286. 332
Brixius Germ. 122
Brunellus Pomp. *vel* Hieron. 131
Bucerus Gerſ. 36
Bugenhagen Io. 28. 426. 467
Bullinger Henr. 348
Burgenſis 8. 10. 289
Buteo Io. 283. 328
Buxtorf Io. 1. 4. 41. filius 41
Caleſtius, pelagianus 199. Pont. rom. 206
Caietanus 385. 405
Calvinus Io. 241
Camerarius Ioach. 143
Camero Io. 278. 323
Caninius Angelus 292. 336
Canones apoſtolici 45
Canterus Theodor. 76. 165. 174
Caperoos Io. 36
Capnio. v. Reuchlinus.
Cappellus Iac. 278. 323. Ludov. 279. 280. 292. 303. 323
Caraffa Alph. 142
Carolus V, Imp. 387. 401. 408. 409 410. 411. 414. 419. 434. Dux munſterberg. 414
Carlſtadius Andr. 406. 420. 428. 429
Cartvvright Chriſtoph. 290. 295. 297. 334
Caſaubonus Iſ. 278. 322
Caſſander Georg. 377. 381
Caſtanus Io. 237
Caſtellio Sebaſt. 18. 19. 277. 278. 299
Celius Mich. 461
Cellarius Mart. *v. Borrhaus.*
De la Cerda Io. Lud. 154. 162
Chatardus Io. 107
Cheeus Io. 122. 130
Chriſtopherſon Io. 70. 143
Chryſologus Petrus 225. 229. 231. 232
Chryſoſtomus Ioannes 104. 121. 129. 225. 282. 370
Chytræus Dav. 274. 275
Clarius Iſid. 277. 278. 299. 316
Clauſer Conr. 63. 67
Clemens I. Pont. rom. 45. 46. 52. *VII.* 388. 389. 402. 421. alexandrin. 77. 78. Clementina 46. *Clementina* Epitome 47. *Clementis* Martyrium 47
Clericus Io. 44. 45. 56. 356. 358. 359. 360. 363. 369. 376.
Clichtoveus Iod. 137. 141
Climacus Io. 151
Cloppenburg Io. 293. 337
Coccejus Io. 247. 252
Codurcus Phil. 278. 281
Collecta eccleſiaſtica 377
Colomeſius Paul. 45. 56
Combeſis Fran. 105

Digitized by Google

Commelinus Hier. 76
Commodianus 165. 171
Concordantia biblica 41
Conſtantinus ſive Conſtantius, presb. antioch. 129. 132. magnus, Imp. 445.
Conſtitutiones apoſtolicæ 45
Corderius Balth. 83
Cornelii Pet. 36
Cornelius, Pont. rom. 167
Cotelerius Io. Bapt. 44. 45. 46. 48. 49. 56
Criſpinus Io. 244
Critici ſacri 277
Crocius Io. 351. 352
Cruciger Caſp. 390. 395. 399. 404. 434. 458. 461. 475. 476
Cunæus Pet. 285. 331
Curiander Abel 303
Cyprianus Cæcil. 164. 171
Cyrillus, alexandr. 137. 139. 147
Damaſcenus Io. 150
Damaſus 195. 196. 199. 200
Damman Sebaſt. 36
Dietenberger Io. 29
Dietericus Vitus 28. 29
de Dieu Lud. 293
Dilherr Io. Mich. 31. 32
Dionyſius, areopagita 113
Dodvvell Henr. 164
Daring Matth. 8. 10
Donatus Bernardin. 92. 93
Druſius Io. 278. 279. 286. 287. 288. 297. 298. 300. 303. 318
Ducæus Fronto 69. 102. 111. 121. 122. 124. 125. 131
Eberhardus 222
Eccius ſive Eckius Io. 385. 399. 400. 402. 406. 407
Ab Eib Gabr. 408
Eiſenberg Iac. 477
Elgerſma Rup. 433
Elias, cretenſis metropolita 106. 109
Elmenhorſt Geverh. 165. 174
Emmius Vbbo 36
Emſer Hier. 385
Ennodius Magnus Felix 165. 173
Ephraim, Cherſon. archiep. 47
Epiphanius, ep. ſalamin. 116. 119. 195. ſcholaſticus 143
Epplinus Ottomar. 243
Eradius, presbyter 225
Eraſmus Deſider. 102. 122. 123. 124. 180. 184. 192. 203. 204. 206. 278. 290. 302. 319. 340. 359. 385. 387. 401
Eſtius Guil. 270. 271
Etzelius Balth. 128. 132
Euripides 363
Euſebius Pamphili 89. 90. 91. 198. 201. 369. vercellenſ. 225
Euſtathius, antioch. epiſc. 284. 329. ſebaſtenus 103. 104. 106
Eutherius 146
Euthymius. v. *Zigabenus*.
Faber Iac. ſtapul. 49. 151. 152. 255. 256. 271. Nicol. 292. 336
Fagius Paul. 11. 12. 245. 247. 278. 289. 299
Faſtidius 222
Faſtidioſus 233
Faventinus Didym. 475
Funkelius Herm. 36

Fell

Fell Io. 45. 55. 63. 164
Ferdinandus Imp. 467
Ferrandus, diaconus 233. 234
Ferrarius Ambroſ. 84
Feuardent Fran. 69. 72
Firmicus Iul. 165. 170
Flacius Matth. 271. 272
Forerius Fran. 278. 299. 319
Franciſcus Gall. Rex 477
Freder Io. 395
Freher Marq. 290. 335
Fridericus, El. Saxon. 385. 386. 387. 399. 401. 406. 407. 408. 409. 413. 414. 420.
Frobenius Io. 400
Fromond Libert. 257
Fulbertus 225
Fulgentius, ruſpenſis 207. 225. 229. 232. 234.
Fullenius Bern. 36
Fuller Nic. 289. 333
Gabius Io. Bapt. 143
Galenus Claud. 363
Garnerius Io. 142. 146. 147. 148
Gaza Theodor. 122. 131. 360
Geldorp Gooff. 36
Gelenius Sig. 126
Genebrardus Gilb. 84. 89. 107
Gennadius, maſſil. 306
Gentilis Scip. 281. Alberic. 279. 280. 325.
Georgius, trapezunt. v. *Trapezuntius*. Dux Saxon. 406. 409. 412. 423. 432. 440. 467.
Gerbertus 189
Gerbardus Io. 31. 32
Geſnerus Conr. 62. 64. 66
Gillebertus, abbas 241
Gillius Pet. 143
Glaſſius Sal. 31. 32
Gloſſa ordinaria 8
Gomarus Fran. 36
Gouldmann Fran. 277
Goupylus Iac. 126. 134
Goſel Ioſ. 21
Gothofredus Iac. 281. 125
Gregorius Io. 289. 334. nazianz. 102. 103. 106. 108. neocæſar. 107. nyſſenus 102. 111. 112. magnus 225
Gretſer Iac. 111. 126. 133
Gronovius Iac. 169
Grotius Hugo 277. 278. 279. 280. 281. 294. 301. 316.
Gualterus Rudolph. 144
Gualtperius Otto 278. 303. 324
Guerinus Dionyſ. 113
Guido carmelita 222. 240
Guilielmus, abbas S. Theodorici 242
Guiſius Guil. 245. 246
Gurtler Nic. 299
Halleix Pet. 49
De la Haye Io. 165. 174
Heinſius Dan. 77. 78
Helvicus Chriſtoph. 282. 283. 284. 328.
Henricus iun. Dux Brunſv. ac Luneb. 412.
Heraldus Deſid. 165. 174
Herold Io. 371. 376
Hermas 44. 52
Hermias 64. 66
Hervetus Gent. 87. 142. 143. 144
Heſychius, hieroſolymit. 282. 327
Heyden Io. 154

Hierocles, nicomed. 91
Hieronymus, ſtridon. 118. 192. 202. 369.
Hierotarantinus Iola 117
Hilarius, pictav. 180. 183. 225. arelat. 378. 381
Himmel Io. 32
Hoeſchelius Dav. 76. 122. 278. 282. 301. 319.
Hommius Feſt. 36
Honorius, auguſtodun. 222. 378. 381
Horius Nic. 428
Hoſpinianus Rod. 349
Hoſtus Matth. 283. 291. 329.
Houting Henr. 245. 246. 251
Huetius Pet. Dan. 79. 82. 296. 297. 339.
Hugo, de S. Victore 208. 221
Humfredus Laur. 139. 141
Huß Io. 445
De Hutten Vlric. 386. 387
Iacob, Aſcheris fil. 3
Ianſenius Corn. gandav. 257. 259. 260. iprenſis 259.
Iarchi 2
Ignatius 48. 49. 52
Inſulanus Guil. 374. 377
Ioannes, ep. CPtan. v. *Chryſoſtomus*: *Damaſcenus*: *Neſteuta*: *Climacus*; antiochen. 147. abbas feſcamp. 221. epiſc. miſenenſis 407. 413. Elect. Saxon. 433. 434. Io. Frid. Dux Sax. 466.
Ionas Iuſt. 390. 391. 394. 426. 461. 469.
Iones Io. 10
Irenaus, lugdun. 69. 72
Iſidorus, peluſiota 134. 135
Iſocrates 365
Iudex Matth. 395
Iulianus, ep. eclanenſ. 150
Iulius, africanus 282
Iunius Patric. 49. 55
Iuſtinianus Auguſtin. 298. 340
Iuſtinus, martyr. 58. 65
Keiler Andr. 31. 32
Kirchner Timoth. 421. 463
Klebitius Wilh. 291. 335
Knatchbull Norton. 299. 340
Kremer Io. 379
Kymeus Io. 445
Labbeus Phil. 151
Lactantius L. Cæcil. 175. 179
Läertius 371
Lampadius Io. 99
Lang Io. 86
Lankiſch Frid. 43
Lanſſelius Pet. 62. 69. 113
A Lapide Corn. 262. 263
Latenus Iod. 36
Layctonus Steph. 9
Leander de S. Martino 8. 10
L'Empereur Conſtant. 246. 247. 252.
Leo magnus 146. 186. 229. 230. 237. decimus 385. 386. 399. 401. 407
Leontius, byzantinus 62. 67
Leopardus Paul. 363. 376
Lequien Mich. 152
Leunclavius, ſiue *Levvenklaius* Io. 111. 112. 113
Leusdenius Io. 245. 247. 254
Libanius 103. 360
Liberius, Pont. rom. 97

Lilius Guil. 360. 375
Van der Linden Io. Antonid. 294. 339
Lindſellus Auguſtin. 110
Liranus 8. 9
Liveleius Ed. 278. 301. 319
Livineius Io. 124. 132
Lonicerus Io. 110. 111. 391
Lubberti Sibr. 36
Lucas Fran. 9. 10. 290
Lucianus, martyr. 282. 327. ethnicus 360
Lundius Dan. 246. 251
Lupus Chriſtian. 147
Luther Mart. 25. 27. 28. 383. 397. 404. 464. 471. 477
Lydius Mart. 373. 377
Maimonides 245. 250. 285
Maior Io. 477
Maldonatus Io. 266. 268
De Malermi Nicol. 23. 24
Manutius Ald. ſenior 151. 153
Marinerius Vincent. 110
Marloratus Auguſtin. 341
De S. Maria Paulus. v. *Burgenſis.*
De S. Martino Leander 8
Maſius Andr. 278. 297. 298. 300. 317
Matthias, anabaptiſta 379
Maximilianus II. Imper. 385. 399
Maximinus 225
Maximus CPtanus 98. 113. 114. 115. 116. 146. 186. taurinenſis 225. 229. 231
Melanchthon Phil. 383. 385. 386. 387. 388. 389. 390. 391. 392. 393. 395. 400. 402. 422. 431. 466. 467. 468. 469. 473. 478.
Menardus Hugo 44. 55
Menſing Io. 433
Mentzer Balth. pater 152
Mercator Marius 147. 158
Mercerius Io. 154. 161
Methodius 113. 115
Metius Feder. 143
Minutius 165. 168. 169
Miſchna 245. 249
Moncaius Fran. 293. 339
Montacutius Richard. 91. 93. 106
Montanus Phil. 110. 111. v. *Arias.*
Morellus Feder. 64. 69. 106. 107
Moſes bar Cepha 295. 339. Mardenus 295. 340.
De Muis Sim. 289. 334. 383
Munſter Seb. 277. 299. 302. 315
Muntzer, Thomæ fil. 422
Muſaus Io. 271
Muſculus Wolfg. 99. 101. 139. 349. 350
Nannius Pet. 63. 68. 93. 124. 125
Nebriſſenſis Ant. 286. 332
Neſteuta Io. 122. 128. 131.
Nicephorus, patr. CPtan. 282. 326
Nicetas Io. viterb. 398. Serron 106. 109.
Nobilius Flamin. 125. 134
Nonnus 106. 109
Novatianus 154. 163
Obadias, Bartenora 245. 250
Obſopœus Vincent. 391. 395
Oceanus 194
Oecolampadius Io. 110. 138. 139. 140. 151. 371
Oiſelius Iac. 165. 174
Olearius Io. 271. 276

Digitized by Google

Onkelos 11. 278
Optatus, milevit. 73. 75
Origenes 79. 80. 84. 137. 197. 199. 201. 282
Oſiander Luc. 22. Andr. iunior 22. 23
Ovidius 363
Pachymeres Georg. 114. 115
Pagninus Xant. 4. 5
Pamelius Iac. 154. 163. 164. 165
Pammachius 194
Pantinus Pet. 126. 127. 133
Pamphilus, martyr 89
Patres eccleſiæ 57. apoſtolici temporis 44
Patricius 222
Paulinus, epiſc. nolan. 193
Paulus ep. emeſ. 139. diaconus 165. burgenſis. *v. Burgenſis.*
Pearſon Io. 50. 54. 164. 277. Richard. 277
Pelagius 199. 201. 225
Peltanus Theodor. 118. 129. 136
Pererius Bened. 265
Peringer Guſt. 247. 253
Perionius Ioach. 62. 67. 70. 128. 151
Petavius Dionyſ. 83. 116. 117. 118
Petitus Sam. 289. 333
Petri Suffrid. 62
Petrus diaconus 231. Martyr. *v. Vermilius.* Chryſologus, *ſive* Ravennatenſis. *v. Chryſologus*
Peucerus Caſp. 473. 476
Pfaff Chriſt. Matth. 71
Phœnicius Stanisl. 118
Philippus epiſc. friſing. 408. 412 Landgrav. Haſſ. 410
Picus Io. gallus 118. 121. 143
Pirckheimer Bilib. 151. 158
Piſcatorius Io. 244
Pithœus Pet. 281. 326
Plancius Pet. 136
A Plaunitz Io. 418
C. Plinius Cæcil. Secundus 49. 53
Poduska Io. 400
Polyander Io. 36
Polycarpus 49. 52
Polychronius 282. 327
Ponce Conſal. 117. 118. 120
Pontius 165
Poſſidonius 204
Priceus Io. 281
Prierias Silv. 384. 398
Primaſius 221
Priorius Phil. 154. 163. 164. 165
Proſper aquitan. 187. 208. 229. 236. 378
Pſellus Mich. 106. 109
Rabanus 200
Radimannus Barthol. 349
Raynaudus Theophil. 229
Rechenberg Adam 62. 65
Recognitiones apoſtolicæ 46
Redörffer Wolfg. 433
Reiſner Ad. 153. 154
Remus Georg. 76
van Renceſſe Ger. 36
Reuchlinus Io. 100
Revius Iac. 36. 278. 319
Rhenanus Beatus 154. 160
Rigaltius Nicol. 154. 162. 164. 165. 168. 171
Rittershuſius Conr. 134. Georg. 283. 329

Robor.

Robortellus Fran. 371.376
Rodi Steph. 466
Roland Iac. 36
de la Roque Matth. 51
Rorarius Georg. 391.404
Rosdialovinus Wenceſl. 400
Rothardus Mich. 284.329
Rufinus. 46.88.168.194.199
Sa Emman. 256
Saadias 3
Salmaſius Claud. 154.161
Sanctius Caſp. 261
Savilius Henr. 121.131
Scaliger Ioſ. Iuſt. 279.322
Scattergood Ant. 277
de Schaumberg Silv. 464
Schickardus Guil. 284
Schmid Eraſm. 39.40.42
Schottus Andr. 173
Schurf Hier. 413
Scultetus Abr. 280.281.303.324
Seehofer Arſac. 419
Seiler Raph. 64.69
Seldenus Io. 356.357.358
Seleucus, manich. 200
Selneccer Nicol. 273.274
LXX. Interpretes 7
Severianus 127
Sheringam Rob. 245.251
de Sickingen Fran. 464
Siſanus Laurent. 110.111.112
Simeon, metaphraſtes 113.115
Simler Ioſ. 346
Sirmondus Iac. 107.142.143.148. 171.173
Siud. v. Sulaka.
Slevogt Paul. 31
Slichtingius Ion. 298
Smyrnenſis eccleſia 49
Sophronius 369
Span Laurent. 392
Spencer Io. 352.355
Speratus Paul. 424
Stangvvald Andr. 471
Statius Achill. 125.134
Statuum Generalium Biblia 36
Staupitius Io. 400
Stephanus Rob. 14.15.299. Henr. 64.280.303.325.363
Stevvechius Godeſchalc. 165.175
Strabus 8
Stunica Didac. Lopez 290.335
Sulaka 295.340
Tatianus 64.66
Teckmannus Arn. 36
Tertullianus Q. Septim. Florens 154.159
Tezel Io. 384.398.404.405
Theodotus byzantinus 76
Theodoretus, Cyri epiſc. 104.142. 148
Thedorus, daphnopates. 146. magiſter. 128. mopſveſtenus 147
Theologi colonienſes 386.400. ingolſtadienſes 419 lovanienſes 386.389.400. pariſienſes 387. 402. 411. Smalcaldiæ collecti 446.470. wittebergenſes 448. 469
Theophilus, antiochenus 63. 65. alexandrinus 194. Io. 139.141
Theophylactus, Bulgar. archiep. 98. 99.110.369
Thyſius Ant. 36

Tibe-

Tiberianus 49
Tilmann Godefr. 104. 123. 134
Tirinus Iac. 264. 265
Traianus, Imp. 49. 54
Trapezuntius Georg. 112. 137. 140. 151
Trithemius Io. 165
Turrianus Fran. 117. 120
de *Valera* Cyprian. 13. 14
Valerianus, cemelienſis 223. 229. 235
Valeſius Henr. 84. 116
Valla Laur. 278. 319. 363
Varrerius Caſp. 284. 330
Vatablus Fran. 14. 15. 278
Veiel El. 77
Veltkirchius M. 360
Venatorius Thom. 468
Vergerius Pet. Paul. 200
Vermilius Petrus Martyr. 346. 348
Viccars Io. 254
Victorinus 221
Victorinus Pet. 76. pictavienſis 167
Vigerius Fran. 83. 89
Vigilius, tapſenſis 98. 378
Villalpandus Io. Bapt. 279
Vives Lud. 204. 228
Voſſius Gerh. 118. 121. Io. Gerh. 49. 126. 128. 145. Iſaac. 44. 48. 49. 50. 51. 54
Vrſinus Fulv. 147
Vrſula, Princ. mönſterberg. 428
Vſſerius Iac. 48. 49 50. 293. 337
Vulgatus latinus 27
Wagenſeil Io. Chriſt. 246. 252
Walæus Ant. 36
Walafridus 2
Waſerus Caſp. 285. 286. 332
à Weze Henr. 300
Widemann Wolfg. 440
Wimpina Conr. 433
Wittebergenſis academia 385. 406
Wolphius Io. 348
Wouwerus Io. hamburg. 164. 163 165
Wreen Matth. 293
Xenophon 365
Zanchius Hieron. 351
Zeger Nic. 278. 302. 321
Zehner Ioach. 117
Zephyrus Fran. 154. 160
Zigabenus Euthym. 62. 67
Zin Pet. Fran. 62. 67. 122. 133. 142

INDEX
Anonymorum & pſeudonymorum.

Bibliotheca ſelecta auctor 109
Borborita 281
Faventinus Didym. 475
Felix Fabian. 409
Friedliebius 382
Fronto 281
Furſtenerius Cæſarin. 478
I. M. H. 270
Lampugnanus 335
Liſtrius Ger. 365
Modeſtus Veran. 378
Myon Eutych. 200
Pacimontanus. v. *Modeſtus*.
Pearſoniarum Vindiciarum refutator 51
Phagus Agricola 441
Placentinus Thom. 475
Schaumius Eggebert. 329
Sicurus Doroth. 353
Simplicius Io. 280. 298
Di Terra nera Filippo 474
Turpio Felix 372
Varimadus 380
Verinus Simplicius 298

FINIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google